PHOSPHORI AVSTRIACI

DE GENTE AUSTRIACA

LIBRI TRES

In quibus Gentis illius prima origo, magnitudo, imperium, ac virtus asseritur, & probatur.

His præmittitur

Methodus legendi historias.

& adjicitur

Appendix de nobilitate, ac officio Curialium.

LOVANII,

Apud *Hæredes Coenestenii*. 1665.

Cogita Generationes ſingulas. Deuter. XXXII.

Generatio & generatio laudabit opera Domini: & potentiam ſuam pronunciabunt; & virtutem terribilium ſuorum dicent. Pſ. CXLIV.

Ponite corda veſtra in virtute ejus. Pſ. XLVII.

Auguſtiſſimæ Genti Auſtriacæ,

LEOPOLDO IGNATIO,

Romanorum Imperatori.

PHILIPPO IV.

Hiſpaniarum Indiarumque Regi.

PHILIPPO PROSPERO,

Principi Hiſpaniarum, Philippi IV. Filio.

DUm tot undique hoſtes, Imperator, *Victorioſiſſime*, Rex, *Glorioſiſſime*, Princeps, *Modeſtiſſime*, in Auguſtiſſimam Gentem veſtram Auſtriacam arma movent, ſumpſi Calamum, & ſtylum ſtrinxi. Ut nimirum dum in Martiali campo, Potentiſſima Gens veſtra, victricibus armis hoſtes ſuos profligat, ego ſcriptores nonnullos, qui ejus Magnitudinem, Imperium & Virtutem, ſcriptis dilacerânt, ſtylo Confoderem. Arma non aliunde, quam ex ipſo veritatis & Rationis armamentario, deprompſi. Neque adulari volui, neque debui, in tanto argumento, &, ut ingenuè dicam, neſcio.

Veritatem oſtendi, quam audire, qui

vestræ gloriæ invident, non possunt. Illa Mentem meam & calamum duxit; non affectus, qui animum sæpè transversum agit. Et, nisi fallor, ea duce, **Gentis Austriacę originem & magnitudinem** ratione asserui; **Imperium**, ex Historicorum fide, legitimum, & supra invidiam, ostendi; **Virtutem** à calumniis vindicavi. Ita vobis pugnantibus, & una cum Franca sobole, sub Crucis, & Pontificio vexillo, Auspice Alexandro VII. Othomannam lunam penitus obumbrantibus, otiosus non fui, & calamo pro vobis pugnavi.

Si quæ victoria est, Augustissimi Reges, tota illa vestra sit; & hoc, qualecunque industriæ meæ monumentum, æternæ gloriæ vestræ dicatum, patimini, ad trophæa ista suspendi, quæ prostratis nuper Musulmannis, vobis tam gloriosè erexistis. Vix enim venistis, & vicistis.

Quanquam equidem fatear, eam esse ingenioli mei tenuitatem, ut incomparabiles Maximorum Heroum virtutes, minimè assecutus sim.

Quis martem tunica tectum adamantinâ,
Dignè scripserit? aut pulvere troico
Nigrum Merionem? aut ope Palladis
Tydiden superis parem? ait Lyricus.

Imò

Imò verò, quis laudatissimos Imperatores, DIVOS, inquam, Progenitores vestros, RUDOLPHOS, ALBERTOS, FRIDERICOS; Quis MAXIMILIANOS, CAROLOS, FERDINANDOS; Quis PHILIPPOS Reges, Pios Justos, Pacificos, (uno verbo) Austriacos, Victores, ac triumphatores Augustissimos, dignè recenseat?

Quis præclara eorundem adversus Ottomannicam Rabiem, & Orthodoxæ Religionis hostes facinora, atque in Rempubl. Christianam merita enumeret? Quis prope divina, quæ in illis & floruere, & in te præcipuè modò, Gloriosissime Cæsar, Leopolde Ignati, certatim elucent, Regiarum virtutum decora & ornamenta, enarret? Ista certè

Sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt. Et quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes: Claudianus.

Heroicam, dico, in utraque fortuna moderationem, fortitudinem, Clementiam, providentiam, Justitiam.

Tantaque se rudibus Pietas *ostendit in annis,*
Sic ætas animo cessit; quererentur ut omnes
Imperium *tibi sero datum.* Victoria *velox*
Auspiciis effecta tuis. Idem de III. Consul. Honor. Aug.

Nam

Nam & urbes munitiſſimæ primis Armorum Tirociniis, à te expugnatæ ac Receptæ ſunt: deque Mahometiſtis, ac Romani Imperii perduellibus, Victoria longè Clariſſima toto orbe, in qua ſupplicem habes pro pace, Orientis Cæſarem, tuo Ductu eſt relata: tuæque gloriæ, inſtar ſereniſſimi ſolis, Radiis, ac Victricis potentiæ tuæ ſplendoribus, Luna Tracica manet obſcurata ac Eclypſata.

Enarrent hæc luculentius, quorum copioſius eſt eloquium, & vis in pulpitis diſſerendi magis trita. Faveat Conatibus tuis, Victorioſiſſime Imperator, totiuſque Gentis Auſtriacæ, magnus Deus, & Decus augeat. Sic voveo pleno corde, Lovanii, nonis ſextilibus Anno M. DC. LXV.

Auguſtiſſimæ Imperatoriæ, Regiæ Majeſtatis V^{ræ} ac Sereniſſimæ Celſitudinis tuæ, Humillimus, obedientiſsimus, & minimus, Cultor, Cliens, ac deſervitor

G. C. B. S. T. L. P. A. C. T. S. H.

Au-

Austriaca fœcunditas.

Augustissimæ Austriæ domus felicitas, sobolum Phenix, inter celebriora, ac illustriora Christiani orbis matrimonia extstat. Nulla enim totius mundi familia, tot tantaque munera, propter Catholicam pietatem, medium conjugibus, à Deo consecuta est, sicut ipsa. Hinc per multiplices gradus, recto ordine, Rudolphus Habspurgicus Imp. attulit ex suo sanguine paterno, innumeros utriusque sexus posteros. Abs se suscepit liberos 14. Ab Alberto filio Imp. nepotes 12. Ab Alberto nepote, pronepotes 7. A Leopoldo probo Pronepote, abnepotes totidem. Ab Ernesto ferreo abnepote, adnepotes 10. A Friderico Pio Imp. adnepote, trinepotes 5. A Maximiliano I. Imp. Trinepote, minores 4. A Philippo I. minore, posteros 6.

Itaque per octo origines, seu Generationes patrum ad filios, filiorum ad nepotes, ac nepotum ad alios genitos (sive primogenitos, sive non) Austriaca progenies, nondum stipite interrupto, felicissima fortuna, ac fæcunditate, huc usque successores edidit, editura in posterum majores, quibus tanta ditionum hæreditas (de qua inferius) indivisa patrimonii lege (licet divisis guberniis) sit tradenda.

Hinc insuper dilatata sobole, per Ibero-

rum plagas, ac per aureum unum Ramum, recens truncum penè effectum Philippum I. duntaxat, tigelli vectesque fratrum, patruorum, patruelium, consanguineorum pulcherrimos alios Romanos, tam in Hispania per nova germina, quam in Germania, usque ad modernos principes, hoc modo protulit.

Ex Carolo V. & Ferdinando I. Imperatoribus, filiis, suscepit Philippus I. Nepotes 18. quinque ex primo, tredecim ex secundo. Ex Philippo II. Hisp. Monarcha, & Maximiliano II. Imp. nepotibus, pronepotes 21. sex ab uno, & quindecim ab alio. Ex Philippo III. Rege pronepote, abnepotes 3. at ex Ferdinando II. & ex Ferdinando III. pronepote, abnepote, abnepotes 6. adnepotes 7.

Per tramites autem transversales, alii posteri, ex masculo sanguine Austriaco reperiuntur; nempe Carolus Cæsaricida, Rudolphi Bohemiæ Regis, Quinto Geniti Rudolphi I. filius. Fridericus, unicus Friderici pulchri Imp. ex prima uxore filius: Elisabetha, & Anna, ejusdem Cæsaris ex eadem conjuge filiæ: Catharina & Agnes filiæ Leopoldi *Equitum gloria* dicti. Fridericus & Leopoldus, Othonis, Quinto geniti Alberti primi, filii. Albertus *mirabilia mundi* Alberti cum trica filius. Albertus

tus V. Imp. Alberti mirabilia mundi filius. Sigismundus simplex, & Wolfgangus filii Ferdinandi, Leopoldi probi tertio geniti. Andreas, Carolus, Eleonora, & Anna, filii Ferdinandi Tyrolensis; Et Maria Eleonora, Ferdinandus Carolus, Sigismundus Franciscus, Clara Isabella, & Imperatrix Leopoldina, filii Leopoldi Austriæ Archiducis, Comitis Tyrol. &c.

Pietas Austriaca, Posterorum fœcunda.

Numerus satis considerabilis, ac fortunæ Austriacæ pietatis optimè Correspondens. Mares sunt 83. inter quos reperimus Rudolphos 7. cum Protoplaste: Albertos 7. Hartmannos 2. Fridericos 8. Carolos 10. Leopoldos 8. Ernestos 3. Maximilianos 6. Joannes 3. Philippos 5. Ferdinandos 11. Sed magis omni admiratione dignum videtur, quod Reges Romanorum 14. sola una Austriaca familia, huc usque ediderit; nimirum 2. Rudolphos. 2. Maximilianos. 2. Fridericos. 4. Ferdinandos. Carolum V. & Mathiam.

Fœminæ sunt 77. inter quas etiam numeramus Guttas 2. Agnetes 4. Catharinas 9. Annas 8. Elizabethas 10. Margarethas 7. Helenas 2. Eleonoras 4. Marias 9. Magdalenas 3. Joannes 2. Imperatrices

 verò,

Reginas, Electrices, Archiducissas, & magnas Ducissas suo loco enumerandas relinquimus.

Aliàs quidem terrarum orbis, magis ac magis, posteris destitutum Austrium genus conspexit; sed maximè tam in Alberto II. Contracto, quàm in Maximiliano I. Nihilominus quemadmodum summa Austriacorum Principum pietas, cujus origo superos recognoscit, res divinas, Candenti Religionis Catholicæ, ac æterni Numinis cultus, & nunquam demisso zelo propagare, eisque indies augmentum tribuere, indefatigato Conamine plurimum laborat; ita sanè Maxima Dei providentia, Austriam Gentem fæcundare non desistit, & tunc præcipuè, quando videt necessitatem imminere, pro totius Ecclesiæ bono.

Quoties Austriaca pietas, famulatum, cum Dei Clementia, progenitorum pro viribus conservabit, toties pariter eam sobolem, ad lucem proferet, quam non solum multi Christi Vicarii testati sunt, verum etiam nuper Pontifex Innocentius X. Ipse namque litteris suis ad Serenissimam Annam Medicæam Archiducissam Austriæ, prægnantem, hæc paterno diplomate fassus est.

Diplo-

Diploma Innocentii PP. X.

Dilecta in Christo filia, nobilis mulier, salutem & Apostolicam benedictionem. Pro eo, quo nobilitatem tuam in Domino prosequimur, Paternæ Charitatis, & dilectionis affectu, ea tibi libentissimè concedimus, per quæ spirituali consolationi tuæ consuli cognoscimus. Cum itaque sicut nobis nuper exponi fecisti, tu prægnans existis, nos nobilitati tuæ partum, in Augusto illo thalamo, Inclytæ Domus Austriacæ, in qua progigni solent, propugnatores fidei, & domitores impietatis, faustum felicemque à Domino ex intimo corde precantes: tibi verò pænitenti, & confessæ, ac sacra communione refectæ, semel plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino Concedimus, ac benedictionem Apostolicam peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem, sub Annulo piscatoris, die VII. *Jun.* M DC LIII. *Pontificatus nostri anno nono.*

Ad hanc quidem pietatem, qua omnis Austriacorum principum nititur potentia, & sine qua, quodcunque primorum hujus mundi Heroum Robur faciliter corrueret, respexit D. Greg. Bulz. vir sanè in omnibus eruditus, canens de Rudolpho I. in 4. Epigram. cui titulus

Ex Astris prænunciatur Austriaca potentia.

Anxius ut stellas remetitur in Æthere vates,
Grandia fatidico præscius ore canit.

Surget, ait, Comiti, gens postera multa Rudolpho,
Quæ Reget Augustâ sceptra suprema manu.
Austriaca cur nemo rapit diademata Genti?
Tellus Cœlorum Rumpere fata nequit.

Prognostica Nominalia.

EUCHARISTIA
anagramma:
HIC AUSTRIÆ.

Hic, *id est, loco specierum.*

AUSTRIÆ & HIC genitrix, munimen, & inde moratur
Austrius hicque pius nomen, & omen habet.

EUCHARISTIA
anagramma:
HÆC AUSTRIA.

In syllaba Hæc *non adest Diphtongus, quod potest admitti.*

Hæc pieterna æterna, HÆC AUSTRIA, ad astra reducens,
Quicquid in Austriacis Relligionis erit.

EUCHARISTIA
anagramma:
CIE AUSTRIA.

Orcus, sancte panis, dum tantos provocat hostes,
Qui te Conculcent, AUSTRIA marte CIE.

Austria, *hoc est, Res Austriacas.*

Alexander Septimus Chisius
anagramma:
Nexus vigilans SPE HIS ARDET:

Quibus

Quibus per alterum ſanguinis nexum, auſpicatum ſacramentum ſic Revelatur.

ITALUS.

Domus Auſtriaca, & Borbonica.

Italus Rex utriuſque ſtirpis fons (ſecundum plurimos) è cujus ſex ejus nominis apicibus prodit iſtud Arcanum

SALUTI.

Tria autem hæc nomina, xxx. Characteribus conſcripta, tali oraculo, tranſpoſitivè enuncianda,

VI ROBUSTA SIBI, CÆLO TURCAS DOMANT.

Inter Deum, & mortales, inter Chriſtianos Heroas, populosque, vigilans in Chriſti vicario nexus Apoſtolicus, communique conſulens

SALUTI.

HIS prorſus SPE ARDET, ut ea VI ROBUSTA,

Qua hæ duæ ſoboles maximè eminent, perenni fædere junctæ,

SIBI, & COELO TURCAS DOMENT.

His quoque prius admodum exarſit, ubi olim Deo ſic cum Moyſe cecinit.

Ad

In Cant. Moys. v. 17. *Ad sancta Ducas culmina montium,*
Te auctore Dudum Condita. firmior
Hic nostra sedes nos. manentque
Templa novo fabricata saxo.

Christianissimus Galliarum Rex.

Cui præcipua nomina. ALOYSIUS Decimus Quartus BORBONIUS. Transpone hasce litteras, & in hunc modum Regi adolescenti hilari voce applaude,

I MUNDO CARUS, qui Austrius sobole Bis.

Repete subinde, & hæc fausta ei auspicare.

I MUNDO BIS CARUS, qui Austrius sobole, Austriæ soboli animo, & sacramento conjungaris.

Sic imperat Cælum omne.

Terra universa sacro illo Philomati ore, quod lingua pontificia nunc obloquitur, sic Deum precatur.

Locrat v. 16. *Formido in illos, ô ruat amplius,*
Terrorque & omnes vis tua deprimat.
Immota bellantum Rigescant
Agmina, &c.

Tali ligamine, quo barbarus, efferusque Orientis canis, in ferrea catena astringendus.

TALI

TALI fædere,

Quò fœdæ tot impiorum hoſtium acies, adeo in cunctos principes Chriſtianos, némine excepto, formidoloſæ, uſque ad interitum proſternendæ.

CARMEN LXXIV.

Philomathi Muſ. Juven.

D. JACOBO ABBATI

Altovito Romam.

Ubi nunc auctor, in Petri ſede, ad id ſollicitior.

PRimores obiere patres; & vidimus unà
Optatæ pacis votaque ſpeſque mori.
Nil intentatum precibus, monitiſque Reliqui,
Sollicitus tritas ire redire vias;
Europam pacare omnem, & componere certis
Legibus, Auſtriacam Borboniamque Domum.
Ut conſanguinei damnent civilia Reges
Arma, quibus melius Thracia victa ruat.
Poſtulat hoc ſceptri pietas; graviuſque recuſant,
Quam tolerare queant, utraque Regna jugum.
Hæc eadem toto communis pectore clamat
Relligio, mæſtas non ſemel uda genas.
Hæc lacrymis gemituque ſuo, ter maximus urget,
Antiſtes; monitis hæc tonat ille ſuis, &c.

Et

Et paulo infra.

Nec tamen audimur. Fervent in prælia dextræ
Longius, & nostro pax procul orbe fugit.
Regibus ergo sacris parcas, Regumque ministris,
Ac stygii damnes agmina diræ Iovis.
Hæc nostris inimica aris, pietatis avitæ
Turba novatores, ad fera bella movet.
Tartareo digressa specu, tenebrosa per orbem
Nubila fumosæ, dissipat illa stygis.
Hæc Cœlum Rapit ex oculis, lucemque diemque,
Atque humili cogit serpere corda solo.
Nostra ferox igitur producunt crimina bellum,
Et luimus meritum per mala tanta nefas.
Dixit: Ego pacem faciens Deus. *Illius ergo est*
Unius hæc donum: cætera fluxa reor.
Poscimus hanc frustra pacem, quam crimine fœdo
perdimus: exemplo qui petet, ille feret.
Quam verbis petimus, rebus poscamus eandem:
Est multum, verbis jungere posse manus.

Vide ejusdem Philomathi, nunc Alexandri VII. Rom. Pont. Opt. Max. promissa, ac vota, pontificiam ad pacis Generalis tractatus legationem tunc fungentis, in carm. LXXXII.

Christina Suetorum Regina

anagramma:

Eam AUSTRIA genuit Christo.

Chri-

Christina Suetorum, Gothorum, & Vandalorum Regina

anagramma:

Austriæ mutuo Conjungor,
Horrens Lutheri dogmata.

Christina Regina Suetiæ

anagramma:

Et sine te Hauris cara igni.

Et sine te *dicto illinc, Sperna, Regna, Coronam;*
Istinc nomen habet, virgo, numisma tuum
Sic Hauris cara igni, *qui Deus est (aspicis inquam)*
Et qua auro sculpis, nomine digna geris.

Christina Sueciæ Regina


anagramma:

Ecce Regia Arista in sinu.

EPIGRAMMA.

Sueta prius patrum tantis Regina trophæis,
Quæ bellona foret, cur modo facta Ceres?
Cuique triumphalis cinxisset tempora laurus
Regia, *virgineos ornat* Arista sinus?
An tenus hæc cecinit vates psalmista, futuri
Celsa potens blanda pandere vela Cheli?
Æthere a montes postquam virtute parasset
Optato steriles ubere spondet agros.
Evenere: unus septem fert Culmus Aristas,
Totque ubertatis secla futura notant.
Nec septena Boum timeas mala signa triones,
Hæc feret adversum quos tibi messis opem.

Illu-



Illustrissimo & Excellentissimo

DOMINO,

D. STEPHANO

de GAMARRA &

CONTRERAS,

Equiti Ordinis Militaris

S^ti. JACOBI;

Regiique Exercitus Catholicæ Majestatis

Præfectui Generali; supremorum Consiliorum Belli, & status Belgii, & Burgundiæ, apud Personam Regiam assessori;

Arcis Gandarensis Gubernatori;

Nec non ad Reges Galliæ & Angliæ denominato; Et ad Ordines Generales fœderatarum Provinciarum, legato Ordinario, &c.

AUstriacam Gentem Vir Illustrissime, primo Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, suæ perdilectæ sponsæ, ac deinde Imperio Occidentis, magna Jugique Pietate *profuturam* vidit Deus, & gavisus est. *Propterea*

pterea antequam per ejus ſobolem, in Rerum naturâ, hæc pietas conſtitueretur, ordinavit, eam, ob magnum ſuæ Originis meritum, à vetuſtiſſimis conditoribus uſque ad Rudolphum Habſpurgicum, & ab hoc uſque ad modernos ejus poſteritatis principes ſibi eſſe fortunam, atque Auſtriæ Stirpi fortunatam, in præclariſſima & antiquiſſima ſanguinis origine.

Nobis igitur, Excellentiſſime Domine, in præſenti, propoſitum eſt, ob amorem veritatis, ob fidei, devotionis, & obſequii ſtudium, erga Auguſtam ac piiſſimam domum iſtam, brevem hunc Commentarium, in lucem edere, paratus luculentiorem, Deo favente, ubi gratum fuerit, jam enim omnia præparata. Cum autem qui utiliter vult ſcribere, quod non poteſt de ſeipſo Commendare, magnæ auctoritatis patronus eſt neceſſarius, ut qui propria exilitate minor erat, magnorum patrocinio quodammodo creſcat.

Et cum Alexander Magnus, *terrarum orbe victoriis parto, moriens interrogatus, cui vaſtiſſimum hoc imperii cor-*

pus,

pus, post ultima fata, relinqueret; non felicissimo, non ditissimo, sed dignissimo *generosè dixit, annulumque non Avidæo fratri, sed Perdiccæ tradidit: quid optimo cuique faciendum, verbo simul & exemplo posteritati consignans.*

Quur itaque ego cuncter? Invictissimorum Heroum Austriacæ Gentis gesta parturiebam, cui hunc ingenioli mei fœtum, Alexandro instruente, relinquerem, ab ipso conceptionis initio, nunquam dubitavi: ille enim ante annorum millia dignissimo *dixit, & Ill*[mam] *V*[ram] *Grat: quasi digito demonstravit. Hoc Audacter ego, non meo judicio, sed Belgii, sed totius Senatus Regii, sed ipsius Regis Catholici sensu, qui te, tuaque opera in gravissimis Reip. negotiis, belli pacisque tempore est usus.*

Et quid mirum? Cui virtutum nihil deerat, nihil quod ad dignitatem facere videretur, deesse oportebat. Hic multa ego dicerem, sed quid tu homo Rustice? Ignosces Magne pater, & patiere paululum, inter data cælo tenus munera (quæ modestia abscondere nititur, & ipsa tamen se produnt) cautè versari.

Quo-

*Quorum quod primum mirer, ipse nescio. Militarem fortitudinem? qua juventutem, & virilem ætatem, sago & armis (quibus * & filium unicum Deo & Regi litasti) in servitio Regis Catholici, ut supremus Regii exercitus generalis præfectus, & invictus, consumpsisti. Eloquentiam? in splendidissima ad fæderatas Provincias legatione tua, prudentissimus & sapientissimus fæderati Belgii Senatus, ut audivit, laudavit. Humanitatem? totum Belgium obstupuit, & cum dubitaret, esse cum gravitate facilitatem posse, expertum credidit. Prudentiam? Hic verò nescio quid dicam. Quid enim istud est, ita vivere in summo honoris fastigio posse, ut nemo invideat? inter superiores, ut nemo contemnat? inter æquales, ut omnes ament? An Generis nobilitatem & splendorem? loquantur omnes. An ardorem orthodoxæ fidei & Catholicæ Religionis? loquantur experti. An modestiam ac disciplinam in Aula? loquantur domestici.*

Hinc ad supremos honores à Rege Catholico evectus, & legatus Denominatus ad Reges Galliæ & Angliæ, tandem in le-

* In obsidione Valencina vulneratus, gloriose obiit.

gatio-

gatione Ordinaria, ad fœderatas Belgii provincias, senectutem toga, in servitio Regis & Reip. consumis.

Non indignaberis itaque Vir Fortissime, si unus ego faciam, quod passim omnes. Si amem, quod debeo: Si laudem, quod cogor: Si munusculo, si commentariis meis prosequar, quod (licet tenuitatis meæ conscius) audacter volo: non quia ego dignus, aut dignum aliquid dignitate tua adfero; sed quia, Illustrissime Domine, pandora quædam virtutum, dignissimus es, cui, quod optimum parturimus, Alexander consecrari voluit. Minor ego sum, qui maximo Regum non obediam. Itaque, quia ille dixit, ego facio.

Facio, inquam, Excellentissime Vir, quod olim Theseus, & ante eum Abantes fecere, quos Plutarch. de vir. Ill. primitias Comæ suæ Diis obtulisse scribit. Hos imitati, non aliquid dignum Vestra Illustrissima, Celsitudine ac Generositate, sed Comæ nostræ primitias, id est, primum exiguum opusculum, sub Excellentissima gratiosissimaque protectione vestra, ac patrocinio mei ipsius, in lucem emittimus, Vobis damus, dicamus, conse-

cra-

cramus; *idque tam humiliter facimus*, *quam* Illmæ ac Generosissimæ, Vræ Gratiæ, *gratum fore confidimus*; *faciunt autem Excellentissimæ Virtutes vestræ, ut confidamus plurimum.*

Illmæ ac Excellentissimæ Vræ Dominationis, humillimus Cliens.

G. G. B. P. A. C. S. T. H.

Ad

AD
LECTOREM
Auctoris
EPISTOLA.

NOn est quod à me expectes, amice Lector, ut pro Tractatus hujus commendatione laudem tibi historiæ plenis buccis personem. Id enim à tot tantisque factitatum est viris, ut planè actum agerem.

Extant enim hac de re veterum Græcorum ac Latinorum encomia, non siluere nostri temporis scriptores. Philosophi historiam *Doctrinæ suæ vivam rationem* esse testati sunt: Cicero *temporum testem*, *veritatis lucem*, *memoriæ vitam*, *vitæ magistram*, ac *vetustatis nunciam* vocat, ita ut nequaquam historia, in qua narrationis libertas à nullius dependet nu-

** tu,

tu, nec lucem vereri, nec calumniam timere debeat, etiamsi in ea, aut Cæsariani sermonis puritatem, Livianam inimitabilem, cum summa gravitate, ubertatem, Salustii castam brevitatem, Curtii numerosos flores, aut Taciti sententiosam concinnitatem desideres. Magnos enim auctores impensè admiramur ac veneramur, imitamur difficilius, exprimimus ac effingimus rarissimè.

Neque horum à me virtutes æquus deposcet Lector, gnarus suo unumquemque niti genio, cujus impulsu ad id, quod proprium singulis ac peculiare est, omnibus in rebus trahimur, quod his qui in auctorum lectione multum versantur, non minus notum, quam considerando suave ac jucundum est, cum propter incredibilem rerum naturalium varietatem, tum ob singularem delectationem, quam ex divinæ omnipotentiæ ac sapientiæ admirabili consideratione, capimus ac haurimus.

Certè

AD LECTOREM.

Certè in re litteraria ſemper licitum fuit, ut unusquiſque pro ſuo modulo id confidenter in publicum adferret, quo ſe poſteris prodeſſe poſſe exiſtimaret. Si opinione fallimur, noſtri tantum temporis jacturam (ſi ita hoc tempus appellari debeat) facimus, infelix labor ſine alicujus detrimento mox evaneſcet.

Nobis igitur in præſenti propoſitum tantum, tractatum hunc brevem (juſtum enim aliàs volumen requireret hæc materia) in laudem Auguſtiſſimæ, ſerenisſimæ ac potentiſſimæ Gentis Auſtriacæ, adverſus æmulos ejus, edere, quem in tres dispunximus partes. In prima, agemus de vetuſtate ac nobilitate ſtemmatis Habspurgici & Auſtriaci: in ſecunda de potentia gentis Auſtriacæ, ac juſtis titulis, quibus Principes Auſtriaci, provincias ſuas (frendeat licet invidia) legitimè poſſident: in tertia denique virtutes, quibus Auſtriaci Principes, domi foriſque emicarunt, bre-

viter in lucem Deo dante proferemus.

Præcipua (post honestè transacti laboris suavem memoriam) quæ me ad hunc laborem pertraxit causa, est, sincerus amor, quo ab ineunte ætate erga Illustrissimos Principes Austriacæ familiæ impensissimè semper fui addictus, quod ex eorum pectoribus æqui justique scintillulas, è divina illa generositate depromptas, resultare mihi certò persuaderem. Nec putet quis, quia de magnis Principibus magna ex aliis auctoribus (unde potius compilator, quam auctor horum dici merear) affero, ad majora me aspirare, cum sim apprime mea sorte & musâ contentus, & Deo juvante nihil appetam. Dicam potius cum S. August. *Quisquis es magnus, laudet te Domine; ego autem non sum: quia homo miser sum & peccator ego sum.* Et quamvis etiam totum opusculum in magnam Principum Austriacorum laudem resolvatur, eximit tamen me, à tur-

turpis assentationis, vitio D. Greg. in laud. Gorg. soror. suæ, ubi hæc habet: *Domestica prædicabo, sed non quia Domestica, ideo falsa, sed quia vera, ideo laudabilia, vera non modò, quia justa, sed quia nota.*

Igitur amice lector, à te humaniter Rogo, hanc meam opellam boni ut consulas. A te enim inprimis fructum laboris hujus expecto, qui in eo est positus, ut conatum nostrum sincerè interpreteris. Nam fructus, qui ex dedicatione sperantur, aut exigui sunt, aut certè temporarii. Et si contigerit liberalem nancisci patronum, quicquid inde accedit, cum auctoris vitâ finitur. At qui à vobis sperantur fructus, æternos statuimus.

Quod si successus spem fefellerit; consolabor me conditione multorum auctorum, ac temporis benè impensi parvâ jacturâ. Judicate, lectores, adhibita prudentia, pro vestro arbitratu, ac cogitate homines nos esse omnes,

ſtaturâ, vultu, colore, voce, habitu, temperamento, fortunâ, eruditione, ac præcipuè judicio planè diſſimiles.

Fortè etiam, curioſe lector, à me deſideras deſcriptionem glorioſiſſimæ victoriæ invictiſſimi Cæſaris Leopoldi Ignatii adverſus Mahumeticam ſectam tum in Hungaria ac Tranſylvania, & sereniſſimæ Reip. Venetorum in Archipelago & Regno Candiæ, & alibi. Sed cum mihi authentica documenta ex caſtris & aulis non communicentur, tu opella hac, ut hominis obſcuri, rurii n pace, extra Aulam, caſtra, patriam degentis, utere, donec clariora mecum videas. Hæc igitur æqui bonique conſulite, lectores, & ſi quid offendiculi occurrat, benevolè ignoſcite. Quicquid enim dixi, ab illo Prophetæ dicto regulatus dixi; *Arguet me juſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Pſ. CXL. Valete.

INDEX

INDEX GENERALIS
CAPITUM,

Quæ in hoc Tractatu continentur.

Methodus legendi Hiſtorias, & in iis proficiendi.

Caput I.

TRACTATUS
De Augustissima gente Austriaca
PARS I.

De Habspurgicorum atque Austriacorum Principum origine ac successione, deducta ab Anno Christi CCCCXVII. ad usque ejusdem annuam MDCLXIV.

CAPUT I.

XI. *Suc-*

CIↃ.

PARS II.

De Magnitudine, potentiaque Gentis Austriacæ;

Ac jure,

Quo Provincias suas obtinent.

CAPUT I.

§. I.

CAPITUM.

§. II.

XXIV. De

§. XIII.

Votum

Capitum.

PARS III.

De Virtutibus, heroicisque actis Gentis Austriacæ.

Caput I.

§. I.

§. III.

§. III.

XIV. De

§. III.

§. VI.

APPENDIX

De Officio Nobilium, & aulicorum Conditione.

Caput I.

TRAC-

METHODUS LEGENDI HISTORIAS, *ET* In iis proficiendi.

CAPUT I.

Quid Hiſtoria.

HIſtoria generaliter eſt vera narratio. Cicero lib. 4. de invent. definit eam *rerum geſtarum expoſitionem eſſe* : vel, *rem geſtam, ab ætatis noſtræ memoria remotam.* Plenius verò fuſiuſque Corn. Agrippa, *Hiſtoria*, inquit, *eſt diligens ac fida rerum geſtarum cum laude aut vituperatione narratio, ad docendum delectandumque inſtituta, quæ exemplis dictorum, factorum, conciliorum, eventuumque, allicit ad virtutem ſectandam, vitiaque fugienda, his exemplis vitam privatam & publicam inſtruens.* Et quoniam hiſtoriæ omnes nihil aliud ferè continent, quam æternæ ſapientiæ, ſive legis à Deo traditæ illuſtria prorſus exempla, quæ in Regum, Rerum-

publ. magnorùmque virorum rebus gestis sunt expressa, rectè quidam ita historiam describunt: *Historia est vita & imperiorum gubernatrix, à Deo Sapientiâ, exemplis insignibus lustrata.*

Nemo igitur verè doctus aut prudens est, nisi qui in Historiam ingenium intulerit. Est enim illa *Vita magistra, speculum temporum, regula morum.* Hac duce benè vivunt, qui in aliorum bonæ vitæ normam oculos intendunt; hujus luce, quæ retrò in tenebras abierunt, iterum conspiciuntur. Quippe tanquam sol diem veritati facit, & quod ille non poterit, præterita tempora sub aspectum reducit. Hanc qui novit, vixisse semper existimatur, & dum in ejus theatro, quæcunque unquam fuerunt, videt, nihil omninò ignorat. De rebus variis aulæ curięque plerumque disputant; sed has omnes historia ostendit. Sic est principum scientia, & magnorum virorum cibus, sine nausea, sine tædio, sine periculo. Ausim dicere, totius est mundi liber, & quò propius cujusque patriam attingit, eò jucundior gratiorque esse solet.

C A-

CAPUT II.

Quotuplex sit Historia.

VAriæ ſunt Hiſtoriæ diviſiones. Ac prima eſt, quâ tria ejus genera conſtituuntur, *Divinum, Naturale, Humanum.* Divinum hiſtoriæ genus eſt, quod ad Deum naturæ auctorem ſpectans, religionem docet, pietatemque ab impietate diſcernit. Traditur hæc à Theologis. Naturale eſt, quod ad naturam pertinens abditas rerum cauſas inquirit, & verum à falſo diſtinguens ſcientiam producit. Hanc Philoſophi exponunt. Humanum eſt quod hominum in ſocietate vitam agentium actiones explicat, ex imperióque & rerum agendarum uſu provenit, ac vitam humanam moderatur. Circa hanc politioris litteraturæ Scriptores verſantur.

Hiſtoriam alii in *Propriam* & *Communem* partiuntur. Propria eſt, quæ unius aut hominis, aut populi dicta factaque memoratu digna amplectitur. Talis eſt Curtii de Alexandro Magno; Livii de populo Romano hiſtoria. Communis eſt, quæ plurium populorum vel rerumpubl. ſeu civitatum geſta commemorat. Talis eſt hiſtoria Pompei Trogi ſeu Juſtini, & Herod. Halicarnaſſei,

aliorumque, qui vel plurium populorum res gestas posteritati commendarunt, puta Græcorum, Persarum, Ægyptiorum, vel certè maxime illustrium; vel denique omnium omninò, quorum aliqua ad nos cognitio pervenit. Sunt qui historiam aliam *novam*, aliam *veterem* constituunt. Sunt qui in *sacram* & *prophanam* dividunt. Sunt denique qui trimembrem, *Græcam*, *Romanam*, *Barbaram* efficiunt.

Optima historiæ distinctio est in *Divinam, Ecclesiasticam, Naturalem, Humanam.* Divina est, quæ de Deo est, veterisque & novi Testamenti libris continetur. Ecclesiastica est, quæ de relligione & Ecclesiæ administratione tractat, hæreses & Schismata notans. Hanc post alias luculenter Cæsar Baron. conscripsit. Naturalis est, quæ de natura est, tradita ab Arist. potissimum & Plinio. Humana est, quæ res hominum publicas aut privatas variasque rerumpubl. formas, imperia, regnaque comprehendit: hujus scriptores sunt ii, quos propriè historicos appellamus. Inter omnes eminet divina, estque quasi norma, & perpendiculum cæterarum, fons veritatis, ex quo naturæ cognitio, religio, virtutes omnes, Regnorum & Rerumpubl. formæ dimanarunt.

CAPUT III.

Historiæ ſpecies ex vario ſcribendi modo.

IN hiſtoria conſcribenda non unus ſervatus eſt modus: Quidam enim ſolius temporis rationem habuerunt, ut diei cujuſque vel menſis, vel anni, geſta referrent; & hinc *Ephemerides*, diurna ſeu diaria, *Annales*, *Faſti*. Alii ad temporum ordinem, quidam ad familiarum originem & propagationem attenderunt; & hinc *Chronica*, *Chronologiaque*. Nonnulli locorum deſcriptiones tradiderunt; & hinc *Geographia topographiaque*. Aliqui ab ortu & extrema memoria res geſtas imperiorum rerumpublicarumque, earum incrementa, ſtatus, converſiones complexi ſunt, idque vel breviter, vel copiosè; & hinc *Commentaria* ac quæcunque hiſtoriæ.

Diaria ſeu Ephemerides, diei cujuſque geſta referunt. Faſti ſeu annales, anni cujuſque res memorabiles, ut maximos magiſtratus, præclaras hiſtorias, oſtenſiones, triumphos, ludos, breviſſimè ac ſine anxia cauſarum inquiſitione commemorant. Chronica res geſtas, indicato tempore, & ordine ſervato, tantum attingunt. Chronologiæ familiarum & populorum origi-

nes per continuas generationes exponunt. Et quando ſunt familiarum tantum, Genealogiæ dicuntur.

Ex his quatuor hiſtoriæ ſpecies colliguntur. Prima de locis *Geographia*; Secunda de temporibus, *Chronica*; Tertia de generationibus, *Genealogia*; Quarta de rebus geſtis, *Annales*, cæteræque hiſtoriæ.

CAPUT IV.

Quæ Hiſtoriæ Utilitas.

HIſtoriæ utilitatem brevi hoc Encomio complexus eſt Cicero lib. 2 de Orat. *Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vitæ memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.* Eam Thucydides *perpetuum quendam exemplorum theſaurum, & expreſſam totius vitæ humanæ imaginem, ad omnia mundi tempora congruentem,* appellat. Id verò fuſius explicat Baſil. imper. ad filium Leon. ſcribens: *Per veteres hiſtorias*, inquit, *ire ne recuſa. Illic reperies ſine labore, quæ alii labore collegerunt. Illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia, varias humanæ vitæ mutationes, & rerum in ea converſiones, mundi hujus inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus; denique malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia; quorum illa fugies, ne in juſtitiæ divinæ manus incidas; hæc ample-*

amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.

Ex his colligendum, non utilem modò, ſed propemodum neceſſariam eſſe iis hiſtoriarum lectionem, qui Remp. capeſcere, & publica civitatum regnorumque negotia adminiſtrare aliquando cogitant; cum hîc expreſſa habeant ſalutarium Reip. conſiliorum exempla, omneſque principum, & magiſtratuum virtutes, Rerumpubl. formas ac ſtatus, mutationum & everſionum cauſas. Et cum exempla illuſtria generoſos animos vehementer inflamment, habet hinc unuſquiſque, unde privatam quoque vitam, & mores rectè inſtituat. Eſt hiſtoria theatrum quoddam publicum, in quo ætates omnes, & omnium ætatum homines illuſtres comparent, loquuntur, deliberant, agunt; quibus intereſſe cùm utiliſſimum jucundiſſimumque ſit, tum interſunt quodammodo, qui hiſtoriam legunt.

CAPUT V.

Quo ordine legendæ ſint Hiſtoriæ.

Legi Hiſtoriæ certo ordine modoque debent, ne & memoria labefactetur, & res geſtæ nullo modo capiantur. Primò

igitur legendum est Chronicon aliquod, breve illud quidem, seu auspicantibus facile, quod sit velut communis quædam temporum omnium tabula, in qua mundi origo cernitur, eluviones, Rerumpubl. initia & exitus continentur. Ad hanc rem utilis est *Joannis Funccii* Bruteni Chronologia, ab orbe condito usque ad annum Christi, CIↃ. IↃ. LIII. qui certissima temporum ratione ea collegit, quæ ab Euseb. Bed. Lucid. Sigism. aliisque tradita fuerunt. Item *Joan. Carionis* Chronologia, sed hæc paulò uberior est, & postea ab aliis malè interprolata & aucta.

Ut enim in cæteris artibus, summa doctrinæ totius initio rectissimè discenda proponitur; ita in historiarum lectione principio Chronicon aliquod, seu brevis habenda est epitome. Ab universis deinde ad singula paulatim est delabendum eo ordine, quo in Chronicis sunt comprehensa.

Et quoniam prima politia disciplinæ, & humanitas, exculta imprimis fuit apud Chaldæos, Assyrios, Phœnices, Ægyptios, horum primò quoque investigandæ sunt antiquitates apud Berosf. Methast. Herodot. & similes. Deinde inquirendæ Hebræorum historiæ, eorumque Reip. ratio. Postea veniendum ad cognoscenda Medorum, Persarum, Indorum veteribus notorum

rum

rum, Scytharum imperia. Ab his ad Græcos, à Græcis ad Italos & Romanos, quorum imperium magnitudine, rerum gestarum gloria, & virtutum linguæque dignitate cæterarum nationum imperia superavit.

His quia proximi sunt Galli, Gallis Germani, Germanis Pannones & Sarmatæ, ad horum cognoscendas historias erit transeundum. Tum pergendum ad Brittannos, Hispanos, Mauros & Arabes, qui Persas & Græcos aliquando de Asiæ imperio depulerunt. Post hos veniendum ad Turcas, qui ab oris Caspiis in Asiam influentes paulatim Asiæ minoris, Græciæ totius, & Ægypti regiones invaserunt. Hîc non omittenda Tartarorum imperia & Moschovitarum. Postremi sunt Americi in Australi Africa & India, quorum etiam legendæ sunt historiæ. Cognoscendæ quoque sunt minores Respublicæ, ut Rhodiorum, Venetorum, Genuensium, Florentinorum, Cretensium, Helvetiorum, similiumque.

Perceptâ Gentium & Rerumpublicarum Historiâ, inquirendæ sunt res gestæ eorum, qui vel imperii, vel generis splendore & operibus, vel denique virtutibus, & ingenii laude floruerunt, quorum suo quisque judicio delectum habebit.

Porrò in cognoscenda singulari cujusque

gentis historia, idem omninò servandus est modus; ut nimirum, quantum fieri potest, Epitome aliqua præmittatur. Ita qui Historiam Romanam intelligere planè velit, primò Sextum Rufum leget, qui paucis paginis universam est complexus; deinde ad Flori Epitomen, postea ad Livium & Eutropium accedet.

CAPUT VI.

Quomodo loca rerum in Historiis sint instituenda.

QUod in aliis artibus memorię causa fieri solet, in historia idem observandum. Communes rerum memorabilium loci certo quodam ordine disponi debent, ut ex iis ad actiones humanæ vitę dirigendas exempla promantur. Cùm autem in omnibus actionibus humanis tria potissimũ spectentur, *consilia, dicta, facta*, ex quibus benè sentiendi, benè dicendi, benè agendi virtus existit; ita sunt loca historiarum instituenda, ut tribus libris comprehendantur. Unus sit consiliorum, alter dictorum, tertius factorum. Verùm cùm in his non parva sit varietas, eorum locorum distinctio subducenda est, & singuli libri in alios generales titulos dividendi, nimirum in *Politica*, seu civilia, *Moralia*, & *Polemica* seu militaria. Et

quo-

quoniam iterum in hac generalitate varietas eſt, minores alii tituli ſecundum virtutes omnes, vitia, artes, actiones hominum ſingulares, caſus humanos, erunt conſtituendi.

His locis ita in capite librorum conſtitutis, conſequens erit, ut quicquid in hiſtoriis memoratu dignum occurret, ſuo loco inſeratur, adjectis pro memoria ad marginem notis, quæ conſilii, vel dicti, vel facti honeſtatem, aut turpitudinem, aut jucunditatatem deſignent. Ut ſi conſilium aliquod honeſtum deſcribatur, ſignentur in margine characteres C. H. ſi dictum factum, D. F. eodem modo in aliis. Addo, ne quis in legendis hiſtoricis ſæpius à lectione ad ſcripturam avocetur, notas communium locorum ad marginem adjiciendas eſſe, deinde ſingula in locos ſuos per otium referenda. Exiſtet hic fructus, ut optima quæque ſic repetita altius memoriæ inſigantur.

Nolo etiam hiſtoriarum Lectorem circa frivola immorari, in quibus laboris multum, fructus nihil. Debent enim hiſtoriæ in vitæ emolumenta converti, adhibito circa res omnes judicio. Cæterum cùm ſint duo veluti oculi hiſtoriæ, *Topographia* ſeu locorum deſcriptio, & *Chronologia*, ſeu temporum cognitio; accuratè notari tempora debent, & loca ex Geographicis tabulis cognoſci.

CAPUT VII.

Quomodo explorari fides & veritas Historicorum debeat.

UT rerum ex historiis veritas habeatur, instituendus est imprimis singularis historicorum delectus, deinde meminisse oportet, quod ab Arist. Sapienter est dictum, *In historia legenda neque nimis credulum, neque plane incredulum esse oportere.* Nam sæpè vera pro falsis haberentur, & nullus ex historia fructus hauriretur. Prudens ergo lector dabit operam, ut historici mores & ingenium planè intelligat, priusquam de historia sententiam ferat. Juvant ad hanc rem cùm plurimi, tum verò Justus Lipsius, qui de præcipuis historicis judicium censuramque suam dedit. Prodest etiam nationum diversarum aut omnium naturas moresque cognoscere, ut verius meliusque de omni historiarum genere judicetur. Porrò ad veraces historias à fallacibus dignoscendas hæ leges sunt observandæ.

I. Divina historia, quæ V. & N. T. libris continetur, indubitatam veritatem habet, & certissimam fidem. Tota enim est à Deo, qui ipsa veritas est.

II. Cui

II. Cui historiæ vel historico auctoritatem Ecclesia tribuit, eidem fides est adhibenda.

III. Cum historici, quæ narrant, se vidisse, aut ab iis, qui viderunt, accepisse, testantur, & eorum integritas præcedentium testimonio probatur, multorumque seculorum consensu recepta est, iis credere oportet.

IV. Fide digna eorum historia videtur, qui, quæ narrant, quia nec ipsi viderunt, nec à fide dignis acceperunt, lectorum judicio committunt. Item qui ingenii Severitati Prudentiam adjungunt, & Eloquentiæ nitore ita rem ornant, ut tamen non mutent.

V. Illi cæteris anteferantur historici, qui non tantum rem fideliter narrant, sed etiam ita disponunt, & exponunt, ut quo modo, & quare quicquid sit gestum, cognoscatur. Item qui suo judicio, quasi aliud agentes, breviter aliqua probant, aliqua damnant, & procul sunt ab adulatione, nec timore, vel amore, aut ullo alio affectu moveri videntur. Quippe præter veritatem, explanatio & judicium, legitimarum historiarum sunt notæ. Atque hęc esto legendi historias, & in iis proficiendi, methodus. Nunc ad primam Gentis Austriacæ originem investigandam, nos accingamus.

TRAC-

TRACTATUS
De
Augustissima Gente Austriaca,
PARS PRIMA.
De HABSPURGICORUM atque Austriacorum Principum Origine, ac Successione,

Deducta ab anno Christi CCCCXVII. *ad usque ejusdem annum* M. DC. LXIV.

CAPUT I.

Origo Gentis Austriacæ investigatu difficilis propter vetustatem.

NOn ignoro, inanem eum operam sumpturum, qui vetustissimæ gentis HABSPURGICÆ primum ortum veramque originem è probatis scriptoribus, aut certis archivis, demonstrare se posse existimet. Scio etiam temerarii hominem fore judicii, qui ea, quæ vulgus scri-

Scriptorum hac de re tradit, obstinatè defendendum putet. Nihil tamen in hac rerum universitate (præter unum rerum omnium creatorem) initio carere, inter probatissimos doctissimosque jam olim convenit philosophos, etsi Arist. aliquotque ante, & post eum rerum naturalium perscrutatores, universitatem sine initio ab æterno exstitisse senserint: in hoc tamen conveniunt, res omnes compositæ naturæ in ea existentes ortum sumpsisse, quum eas necessariò semel interire conspiciant.

Quale igitur HABSPURGICORUM fuerit initium, quisve Gentis primus auctor, à quo Comitis titulo sit ornatus, ut de re ob nimiam antiquitatem planè incerta, cum nemine cupio litigare. Hoc tamen è receptis constat historiæ scriptoribus, ac vetustissimis archivis, diu ante tempora RODOLPHI Comitis HABSPURGII, Cæsarisque hujus stirpis & nominis primi, fuisse non solum HABSPURGII Comites inter Germanos illustres, sed præpotentes principes; quod magno numero ædificata ditataque ab iis virorum fæminarumque testantur monastéria, arces, atque oppida, quorum nomina apud Naucler. Onuphr. Lazium, aliosque complures, veteres recentesque auctores,

con-

conſtanter enumerata lector reperiet, & nos hac prima parte recitabimus.

Quam verò amplos apud Helvetios horumque vicinos HABSPURGII poſſederint agros, & quomodo potentiam extenderint à Rheno ad interiorem uſque Alſatiam ac Sueviam, non ſolum iidem auctores narrant, ſed continuata ad hunc uſque meæ ſcriptionis annum M. DC. LXIV. poſſeſſio, apertiſſimè loquitur. Quæ res non ſine cauſa occaſionem pleriſque dedit, HABSPURGICOS non à Francis, ſed è veteribus Alemannorum (ſic ſe poſterioribus temporibus Suevi, ex interiori Germania ad Rhenum migrantes, eoque trajecto Galliam invadere conantes, appellari voluêre, ut primi Galliæ Belgicæ trajecto Rheno invaſores ſe Germanos, poſtremi Francos nominavêre) proceribus, qui longè latèque apud Helvetios eorumque vicinos olim rerum ſunt potiti, eſſe prognatos.

Poſtremò enim, eoque ingenti prælio Alemanni ac Franci ad arcem Tolbiacam, haud procul Coloniâ Agrippinâ ſitam, hodieque Zulpich dictam, inter ſe concurrentes, ac de Galliarum imperio poſt plurima cruenta certamina jam poſtremum extremo conatu decertantes, cùm, ſuperantibus procul dubio Francis, Suevi ſeu

Ale-

Alemanni obſtinatiſſimè locis ſuis pugnantes immorerentur, ad internecionem ferè deleti, tranquillam poſt hanc pugnam Francis Galliæ poſſeſſionem reliquêre. Superſtites è clade Alemanni, Rhenum denuò tranſeundum non rati, partim apud Helvetios, partim iis regionibus (conniventibus Francis) conſedêre, quæ etiamnum hodie Sueviæ nomen obtinent, linguaque multò aſperiore, uti & Helvetii, veteremque duritiem retinente, utuntur, quam Germani Rhenum accolentes, aut ad Danubium Albimque habitantes.

Ex horum ſuperſtitum Suevorum Regio ſtemmate, aut alia inter eos illuſtri familia, Gentem nomenque HABSPURGICUM fluxiſſe, aut ex antiqua ſecum Suevia attuliſſe, vel certè apud Helvetios primo natum eſſe, quare minus, ut mihi perſuadeam, licebit, quam è Francico Fraidmundi (Gallo-Franci corruptè Pharamundum & Waramundum appellant) Regis ſtemmate ortos credere? Quicquid ſit, antiquiſſima ac nobiliſſima ſtirpe ortos eſſe HABSPURGICOS, è majorum claritate ac opibus, qui multis ante hæc tempora ſeculis inter Germaniæ principes fuêre magni & illuſtres, perſpicuè liquet.

CA-

CAPUT II.

Viri doctissimi in quærenda HABSPURGICORUM *orig. & nunc, & olim, laborarunt.*

QUare nihil mirum si Viri nostri, ac Superioris seculi doctissimi in quærenda HABSPURGICORUM origine, ob summam antiquitatem tenebris involuta, operam ponendam censuerint, ac cum ingenti labore ditiones, in quibus olim regnavêre, peragrarint, oppidiorum, civitatum, ac Arcium archiva perscrutati sint, principum diplomata, Cænobiorum scrinia, sepulchrorum picturarumque Epitaphia ac elogia examinarint, denique publicas privatasque tabulas perlegerint, deligentissimèque contulerint: quorum primus seriò in hanc rem animum intendit Cæsar Maximilianus primus, nullis (ut erat naturâ auri contemptor) parcens sumptibus, usus opera Joan. Stablii, Jacob. Manlii, ac Ladislai Sund Heimii, doctimorum eo tempore virorum, qui (quod Cæsaris jussu iis omnia paterent) industriam non vulgarem huic negotio impendêre, sed extremam manum non imposuêre, id relinquentes successoribus,

bus, inter quos primus ſibi aliquid conandum cenſuit Wolfgang. Lazius, medicus ac hiſtoricus Cæſarum Ferdin. ac Maxim. II. qui, prædeceſſorum conſiderato pleriſque locis ac rebus errore, eundem ſuſcepit laborem, adhibito ſtudio, ac diligentiâ non exiguâ: quem, quia poſtremus hac in re deſudavit, mihi ſequendum propoſui, donec certiorem nactus fuero ducem.

Tantum autem abeſt, ut aliquem in mea verba jurare velim, ut contrà ſummas illi ſim acturus gratias, qui me ac lectorem de errore humaniter admonuerit, reique veritatem (quod ad primam attinet HABSPURGICORUM originem) certius aperuerit. Quis autem tam arroganti eſt ingenio, qui à ſe nil niſi numeris omnibus abſolutum perfectumque proficiſci aſſerere audebit? Id enim ſolius eſt Dei. Nos verò fateamur oportet, nil eſſe nobis magis proprium, quàm errare, idque iis imprimis in rebus, quæ naturâ ſunt obſcuræ, aut longiſſimorum temporum lapſu tenebris involutæ. In his igitur ubi mihi Lazius fidem fecit, aut certè perſuaſit, adductus tum peregrinationum ejus auctoritate, tum teſtimoniorum dignitate, lubenter me tam diu duci ſinam, donec magiſter certior, ut antea ſum obteſtatus, contigerit.

Qua

Qua autem ratione à Francis, liberis Germaniæ inferioris populis, Galliarumque (pulsis Romanis) domitoribus, ortos velit Lazius, ac plerique alii, comites HABSPURGICOS, paulò altius dictorum Francorum Regum originem repetentes, quam poterimus brevissimè per aliquot sequentia capita enarrabimus.

CAPUT III.

De primis Francorum in Germania & Gallia Regibus.

FRaidmundus, ab oris dignitate, decore, ac venustate dictus, corruptè Pharamundus, primus (ut volunt) in Germania Francorum Rex, successorem habuit filium Luitwichum, corruptè Clodovæum, à comæ dignitate atque elegantia dictum crinitum. Is filium Merwichum, corruptè Merovæum; hic Scilpereichum, corruptè Chilpericum, cui successit Luitwichus II. corruptè Clodius ac Clodovęus, dictus magnus, quod primus, pulsis omni Gallia Romanis ac Alemannis, Franco-Gallorum fuerit Rex, tanta clade ad vicum Tolbiacum (hodie Zulpich dictum) affectis Alemannis, ut in posterum perdito imperio ac libertate, ne nomen quidem gentis in Germania vel Gallia restiterit.

Mul-

Multis enim annis Alemanni ac Franci contra Romanos atque inter ſe de Galliarum imperio decertarant. Sed hac poſtrema ad Tolbiacum pugna Franci rem obtinuêre, marte tamen tam dubio, ut Luitwichus, de humana ope deſperans, ad divinam confugerit, pollicitus, ſi viciſſet, Chriſtianum ſe futurum. Suſcepto voto, mox Alemannorum acies inclinare vidiſſes, Francoſque recenti accepto vigore hoſtes premere, & in præcipitem fugam agere: quo prælio ad internecionem Alemanni ferè ſunt deleti, manente tantum nomine in hodiernum uſque diem in Franco-Gallorum, Hiſpanorum, & Italorum ore ac libris, nullâ exſtante vel minimâ terræ portiunculâ, quæ Alemannia aut Germania dicatur, ſed Teutonia, atque incolæ, Teutones, ipſis **Teutſ**/ ſeu **Deutſ**; **Teutſlandt**/ ſeu **Deutſlandt.**

Duxit Luitwichus magnus Grothildim, corruptè Clotildim, filiam Schilpereichi Burgundiorum Regis, fœminam Chriſtianam, è qua ſex reliquit liberos.

Major natu Clodamirus Rex Aurelianorum, in pugna contra Burgundos occiſus, reliquit è Calſinda, aliis Gundeca, filios tres, quos frater ejus Grothartus, corruptè Clotarius, interfici juſſit. Scildebertus Rex Pariſiorum obiit, duabus genitis filia-

filiabus ex uxore Ostgotha, de quibus nihil reperitur: ipse sepultus est Parisiis in fano D. Vincentii à se constructo, nunc D. Germano sacro. Theodoricus Rex primus Austreichii (hoc est, orientalis regni) quod in Austrasiam corrupêre, conati è non intellectis Germanicis nominibus Latina facere vocabula. Hic sedem Metis posuit, suscepitque ex Elura, filia Alarici Gothorum Regis, filium Theobertum Austrasiæ Regem, qui è Guisegarde, filia Facaonis Regis Ostgothiæ, seu Lombardiæ, suscepit filium Theobaldum, Regem Austrasiæ ac Burgundiæ inferioris, qui è Walrada, filia Regis Lombardiæ, aut rectius Langbardiæ, nullis genitis liberis, è vivis decessit, relicta testamento Austrasia patruo magno Clotario I. Suessionum Regi, qui è Radegunde filia Bertharii Regis Thoringiæ, quatuor reliquit liberos, ac filias duas, de quibus mox. cap. seq. Clotildis filia magni Luitwichi nupsit Almarico Westgothiæ Regi, sepultaque est Parisiis apud D. Genovevam: altera Tilchildis Deo Sengii, apud D. Petrum, virginitatem consecravit.

Ad hæc reliquit magnus Luitwichus filium notum nomine Thietreicum, corruptè Theodoricum, qui filiam duxit Zeigensmundi, corruptè Sigismundi, Bur-

gundiæ

gundiæ Regis, de quo nil reperitur, quam quod cum fratre legitimo ejusdem nominis sæpè à scriptoribus confundatur.

CAPUT IV.

De Clotarii I. liberis, aliisque descedentibus.

NUnc ad Clotari I. liberos revertamur. Scerebectus natu major, Rex Parisiorum, nullis relictis liberis Blaviæ in Aquitania anno Christi 572. obiit, sepultus ibidem apud D. Romanum. Guntranus, aut Gutradus, Aurelianorum Rex, tutor Clotarii II. nepotis ex fratre. Sigibertus, aut Zeigenprechtus, Rex Austrasiæ, insequens Fredegundim, fratris sui Scilperichi uxorem & interfectricem, prope Tornacum interficitur, sepeliturque apud Suessiones in fano D. Medardi, relinlinquens è Bruneschilde, aliis Brunehuta, filia Alamechildis Regis Westgothiæ, filium, ac filias duas.

Scilpericus filius IV. Clotarii I. Rex fuit Suessionum, ac morte fratris Sceреberti etiam Parisiorum, periitque insidiis alteræ uxoris Fredegundis (è qua liberos reliquit tres) interfectus à Lantzeicho curiæ magistro, Fredegundis adultero, sepul-

ſepultuſque eſt Pariſiis apud D. Vincent. Prima ejus uxor fuit Lantwera, quæ filiam unicam Ghindelindem peperit. Tertia fuit Gelſinda, ſoror dictæ Bruneſchildis, quæ non peperit. Prima Clotarii I. filia Radegundis nupſit Amberto, ſeu Amprechto claræ ſtirpis Franco, majores D. Arnulphi, ac Caroli magni Cæſaris. Altera fuit Blithildis nupta Ausberto Tungrorum duci.

Scilperici (filii Clotarii I.) hi ſunt è Fredegunda liberi. Theodoricus ſuſcepto ſui nominis filio, à Fratre fuit interfectus. Clotarius II. Galliarum monarcha, è duabus uxoribus duos reliquit filios, ac unicam filiam; Dagobertum Francorum Regem; Haribertum Aquitaniæ Regem; Dodam D. Arnulphi uxorem, unde eſt ortus Carolus Magnus. Dagobertus è Naicthilda altera uxore reliquit Clodovæum Francorum Regem; è Rangetrude tertia uxore Sigibertum Auſtraſiæ Regem, cujus unicus filius hæreſque Dagobertus, mortuo patre, à Grimoaldo curiæ magiſtro adhuc puer captus, in Scotiam miſſus, tonſus in monaſterium eſt detruſus, ubi innuptus obiit. Grimoaldus verò filium ſuum Regem Auſtraciæ facere conatus, captus à Clodovæo II. in vinculis cum filio periit.

Clo-

Clodovæus ex uxore Balthilde tres reliquit filios; Clotarium III. Francorum Regem, qui innuptus quarto regni ſui anno obiit; Scildericum Auſtraicæ Regem, ac mortuo fratre etiam Franciæ, qui occiſus quinto regni ſui anno, Chriſti 679. periit ſine liberis; Theodoricum Franciæ, & Auſtraicæ Regem, qui varia aliquamdiu jactatus fortuna obiit anno 699. relinquens ex uxore Grothilde filios duos; Clodovæum III. Francorum Regem, qui ſine liberis obiit; ac Scildebertum Franciæ atque Auſtraſiæ Regem, qui ex uxore filios reliquit duos; Scilpericum, aliis Clotarium, quem Onuphrius etiam dictum memorat Danielem Clericum, Franciæ Regem; qui ſine liberis obiit, ſepultuſque eſt Novioduni, relinquens Franciæ & Auſtraicæ regna fratri Dagoberto, qui duos genuit filios; Clotarium IV. (Onuphrius vocat Scilpericum) Francorum Regem, ſine liberis defunctum; ac Thietrichum, ſeu Theodoricum, Francorum Regem, è quo eſt natus Scilpericus, cognomine ſtupidus, ultimus Francorum Rex ſtirpis Fraidmondicæ, cui ſucceſſit Pipinus dictus brevis, Caroli magni Pater, ſtirps nova, nil cum veris Francis commune habens præter nudum nomen. Qua autem id ratione factum ſit, docent Hiſtoriæ.

CAPUT V.

Series Regum Austrasiæ, unde orti dicuntur HABSPURGII.

ENumeratis quàm potuimus brevissimè, è stirpis Franciæ primis Francorum in Gallia Regibus, nonnihil vestigia repetentes seriem Austrasiæ Regum, unde orti dicuntur HABSPURGII, resumamus.

Sigibertus igitur I. Austrasiæ Rex, filius Clotarii I. Suessionum Regis, nepos magni Clodovæi, tres (ut diximus) è Bruneschilde reliquit liberos. Ingonda, uxor fuit Herinsgildi Regis Westgothiæ. Grotosindis, corruptè Clotosindis, nupsit Albonio, aliis Richardo, Regi Ostgothiæ: hi in Hispania apud Vascones, illi in Italia apud Insubres imperanti. Tertius fuit Scilpericus, qui à patruo Guntrano adoptatus, ei in regno Aureliæ, ac patri in Austrasia successit, periitque cum uxore Falenberda, è poto in balneis veneno, duobus relictis liberis.

Theobertus Rex Austrasiæ, Metis sedem regiam habuit: Theodoricus Rex Aureliæ ea in urbe habitabat, summoque animorum consensu fratres aliquamdiu regnavêre, & amicitiam coluêre, donec tandem

dem ab avia Bruneſchilde (quæ Theobertum capitali proſequebatur odio, & cum uxore & liberis exſtinctum cupiebat) irritatis animis ad arma concurrerent, quibus Theobertus inferior, ſecundo prælio ad vicum Tolbiacum victus ac captus, cum duobus filiis, Guntrano ac Clotario, Coloniæ Agrippinæ, inſtigante Bruneſchilde, à fratre Theodorico, contra naturæ ac humanitatis jura, eſt interfectus. Minimum natu Meroveum adhuc puerum, Bruneſchildis, capite in murum adacto, cerebroque per viam ſparſo, crudeliter propria manu interemit. At natu maximus Sigibertus, aut Zeigoprethus fugâ elapſus, (ut quidam volunt, ſed parùm efficaciter probant,) ad Franconiæ duces in Germaniam pervenit, & ad Bruneſchildis uſque mortem delituit ut ſeq. dicemus cap.

Theodoricus ſublato cum filiis fratre (natu maximo excepto) cùm paulò poſt invitâ aviâ Bruneſchilde, nuptias cum formoſiſſima fratris à ſe interfecti filia pararet, verens Bruneſchildis ne nova nupta patris fratrumque mortem vindicandam judicaret, Theodoricum clam dato veneno è medio ſuſtulit, vix anno, ex quo fratrem cum duobus filiis necarat, elapſo. Quod cùm Clotarius II. Francorum monarcha, intellexiſſet, difficillimis aliquot præliis,

Theodorici nothis quatuor filiis superatis, & in potestatem redactis, Regnum cum vitâ eripuit. Deinde Bruneschildim astu captam, posteaquam ei scelera omnia exprobrasset, ad equi indomiti caudam alligatam, per plateas trahi jussit, donec ruptis membris infelicem efflasset animam. Sepulta est in Albatia Authumensi à se ædificata.

Sunt auctores qui mitius modestiusque de Bruneschilde scripsêre, neque tam crudelem fuisse, ut quidam volunt, neque etiam violenta, sed naturali morte decessisse prodiderunt. Nos in re antiqua communem secuti opinionem, in medio veritatem relinquimus.

CAPUT VI.

HABSPURGICORUM *Comitum origo.*

TEoberto, aut rectius Thietberto, sævitiâ atque immanitate aviæ Bruneschildis, & inhumanitate fratris Theodorici, aut potius Thiet seu Theut (quod Gothis Deum significat) reichi, cum duobus filiis è medio sublato, dictus Sigibertus natu maximus, veteribus copiis è fugâ superstitibus in unum collectis, novisque conscriptis, bellum contra patruum reparat, ac tertiùm cum eo filioque Scilperico in Campaniâ haud procul Catalauno, ad ripam

pam fluvii Coxonæ directâ acie vires confert.

Sed post diuturnum cruentumque prælium victus, Coloniam Agrippinam cùm paucis aufugit, unde (persequente Bruneschilde) fune è mœnibus nocte dimissus, in Ostfranciam habitu adolescentis litteris operam dantis tonsusque exulatum est professus, latuitque apud Gundobaldum, ac Gotofredum, Franciæ Orientalis duces, donec Bruneschilde, patruique liberis à Rege Clotario victis interemptisque, ubi, ac quisnam esset, palam fieri pateretur; eo confidentius, quod Regem Clotarium à sævitiâ alienum æquitati ac moderationi studere, optimèque sua, tum patris, patruique regna liberali animo ab omnibus ordinibus oblata gubernare intellexisset, sperans se ab eo regnum paternum, aut ejus partem, procerum utriusque Franciç interpellatione, facile obtenturum, quippe qui non paucos secum non conferendos, ad honores dignitatesque naturæ bonitate promovisset.

Rex Clotarius (ut scripsimus) Galliarum Monarcha effectus, cum cognovisset cognatum Sigibertum fugâ è manibus patrui ac Bruneschildis elapsum, in Ostfrancia latuisse, ac etiamnum hærere, infortunati adolescentis ac familiæ ejus for-

fortunâ motus, cùm rogaretur à compluribus utriusque Franciæ proceribus, ne regio Francorum stemmate ortum adolescentem, cum insigni familiæ dedecore, privatam vivere vitam, aut alienis diutius aulis molestum esse pateretur, ad se sub fide publica privataque evocatum, ac cum exiguo comitatu venientem, nec in tanta fortunæ iniquitate sordidum se, nec abjectè gerentem, læto animo ac sereno vultu recipit, interque secretos intimosque amicos admittit, admiratus animi generositatem atque indolem, paternos spiritus præ se ferentem.

Cùmque nihil eo dignum, quo cohonestaretur, pro tempore se offerret, (majoribus enim minoribusque provinciis duces præfectosque perpetuos dederat, addito jurejurando, se neminem, dum vixisset, loco moturum, qui in fide perstitisset, idque quo rebus civilibus à continuis bellis quies daretur, subditorumque fortunis, bellorum civilium calamitate miserè afflictis, concessâ tranquillitate consuletur) forte fortuna Herpo, Transjuranæ ditioni præfectus, à feroci hominum genere (Alethæo Burgundo, ac Leumundo Sedunensium Antistite, ducibus) interficitur.

Qua de re rex Clotarius certior factus, punitis rebellibus, ditionem omnem

Trans-

Transjuranam cognato Sigiberto Auſtraſio donat, atque in perpetuum cum ſucceſſoribus ceſſit. Sciebat enim eandem dignitatem, veteris Burgundiæ, tunc Auſtraſiæ, partem, olim ejus patri Theoberto, ab avo Scilderico, antequam regnum Auſtraſiæ accepiſſet, conceſſam fuiſſe. Proinde in ea rerum varietate ſeſe ſatis cognato facere arbitrabatur, ſi traditâ illi nobiliſſimâ maximâque Regni Auſtraſiæ provinciâ, olim patris ejus adhuc privati præfecturâ, reliquas regni Auſtraſiæ ditiones, pro belli ſumptibus, ac Weſtfranciæ tranquillitati conſulturus, regno ſuo jungeret.

Verùm nec Regium Zigibertus diadema capiti imponere, nec regio titulo uti eſt permiſſus, ſed dicto Regi Clotario pro ducatu Transjurano clientali ſacramento ſucceſſores omnes, ut idem facerent, obligavit. Hæc ſi tam efficaciter, quam narrantur, doceri poſſent, nil eſſet certius, quam HABSPURGIOS à Fraidmundo Franco ortos.

CAPUT VII.

Etymon nominis HABSPUGRI.

ZEigoprechtus, corruptè Sigibertus, Thilberti Francici Auſtraſiæ Regis, ac

Theuchildis Toringiæ Regis filiæ, natu maximus filius, è regno paterno in exilium actus, primus omisso Regio titulo dux transjuranus est appellatus, cujus provinciæ tranquillam possessionem adeptus, apud Helvetias in editis Juræ ac Vogesi montis scopulis (ubi per eorundem anfractus hodie angusta ac nemorosa in Lotharingiam ducit via, haud procul famosissimis Helvetiorum Thermis, quæ *Plumers* aut *Blumers* hodie dicuntur) duarum arcium admirandi operis sui, suorumque apud posteros memoriæ ergo, fundamenta jecit, moriensque duos ex uxore reliquit filios.

Thietprechtum, corruptè Theobertum, Provinciæ Lugdunensis comitem, unde salinarum ac Provinciæ comites derivant; Ottobertum seu Otprechtum, qui dictas arces absolvit, divoque Trutperto Martyri sacellum ædificare cæpit, ac causa uxoris suæ Luitbeugæ, filiæ Gutzonis, Suevorum ducis, primus hujus stirpis Rurimondæ comes, ac Neomagensis Lantgravius (sic enim eo tempore Brisgoviensis ditio appellabatur) perfectis arcibus nomina à patre concepta imposuit.

Uni Altburgum, quod veterem Germanis sonat arcem (steterat enim eo loci olim arx mediocris) à memoria D. Romanici

de si-

desiderii, ac Columbani, eo locorum Christi oratorum, qui à Theodorico Aureliæ Rege in exilium (quod ejus tyrannidem liberius reprehendissent) acti, in dictis montium jugis humili exstructo cœnobio, memoriæ D. Deodati dedicato, habitationem elegerant, & incolas in religione Christiana instruxerant, monte in hodiernum usque diem nomen retinente *Romersberch*.

Alteri arci nomen dedit *Habspurg*: hac voce, montis ejus legitimam possessionem, suam esse significare volens. Germanis enim HABSPURCA compositū est ab HABS, quod est habeo, ac PURGI, quod inter alia significat etiam montem. Quamquam Jac. Man. à latina Germanicaque voce compositam existimet, dictamque olim HABENSPURG, à *habeo*, ac *purgo* seu *Burgo*.

Ego à puris putis Germanis vocibus compositum credere malo, quarum prior *habere*, altera *arcem* ac montem significet; nisi eam Otprechtus à filio Babone denominari voluerit. Nam in non paucis antiquis diplomatibus scriptum legitur ABENSPURG: cui si loco aspirationis, consonantem B. dederis, habebis BABENSPURG: quasi dicas, arx Babonis, cui eam pater Otprechtus construxit. Cùm enim conjecturis hac in re sit agendum, non video, cur huic minus,

quàm cæteris, locus ſit dandus, præſertim cùm nil olim familiarius fuerit Germanis, quàm procerum, aut locorum nomina, arcibus oppidiſque dare.

Ottobertus auctâ, in proximam Herciniæ ſylvæ partem, dote uxoris, bello, ac aliis rationibus, ditione, intelligens D. Trutpertum in ipſis Herciniæ ſylvæ ſaltibus tertio à Friburgo Brisgoviæ milliari, ab incredulis, quibus Chriſtum commendabat trucidatum, captis punitiſque latronibus, eodem loco martyri, quo fuerat ſepultus, ſacellum ædificare cœpit: quod morte præventus abſolvere non potuit, relicto ejus rei pio ſanctoque honore filio Baboni, aut Beboni, qui Regiam in vico *Bebenwiler* à ſe denominato habuit; uti fuit & *Belenchein*, ubi & ſepultus exiſtimatur.

CAPUT VIII.

Comitum HAPSPURGI *initia, non adeo certa.*

HÆc initia ut obſcura & vetuſtiſſima, ita revera ſunt incerta, nec ſatis (ut cap. vj. diximus) efficaciter probantur. Nam, ut cap. I. diximus, ſunt quidam non exiguæ auctoritatis ſcriptores, qui aſſerunt dictum Zigibertum nequaquam fugâ elap-

ſum,

ſum, ductatum Transjuranum à Rege Clotario accepiſſe; ſed cum patre ac fratribus in pugna periiſſe, aliamque fuiſſe ſtirpem claram ac illuſtrem è veteribus Alemannis, Suevis, aut Helvetiis ortam, quæ ducatum Transjuranum poſſideret. Non enim, inquiunt, primorum HABSPURGICORUM Comitum nomina, cum veterum Francorum nominibus convenire; quæ omninò eos ſervaturos fuiſſe volunt, ſi ex iis originem duxiſſent.

Adde quod nuſpiam doceatur, quare tam cito reliquerint ducis Transjurani nomen, ac titulum comitis HABSPURGII ſumerent.

Poſtremò (quod valde urget) quare nullus reperiatur è primis HABSPURGII comitibus, qui clientale Sacramentum Francorum Regi dixerit, aut aliqua eos ratione Patronos agnoverit, cùm tamen velint, Sigibertum id Regi Clotario dixiſſe, atque ea conditione, ut idem Succeſſores facerent, dictum ducatum accepiſſe.

Ad hæc reſpondere poſſent, id juris ceſſiſſe Regem aliquem Francorum, Romanorum Imperatori. Sed non ſufficit, docere deberent. Penes lectorem harum rerum ſit fides ac judicium. Etenim qui exinde ſequentur HABSPURGI comites, è publicis tabulis, diplomatibus, ac ſepulchris

eruti, in lucem prodibunt, nullo eorum patronum Franciæ aliquem Regem agnoſcente.

CAPUT IX.

Succeſſio comitum HABSPURGI *per Babonem.*

DUxit Babo, aut Bebo, in uxorem vicini comitis filiam, cujus nomen non reperio, quæ ei duos peperit filios, Ratherum ac Ambertum, quos tabulæ, quæ in Archivis Abbatiæ D. Trutperti ſervantur, appellant Ratprechtum, ac Amprinchtum, qui innuptus civili bello periit, quod Pipinus brevis, Caroli Magni pater, adverſus Lantfredum Sueviæ ducem, ac Comitem Bertarium geſſit.

Ratherus verò in uxorem duxit Hermentrudim, Geimpſii Comitis filiam, quæ ei filios peperit duos, Hettoprechtum, ac Gelbonem, obiitque 26 Junii, anno Chriſti 766. conditusque eſt juxta avum ad D. Trutpertum. Hettoprechtus aut Etto, ſeu Ottoprechtus, Comes HABSPURGI, Altburgi, Briſgoviæ, ac partis Alſatiæ, genuit è quadam Burgundiæ comitis filia Gelbonem, de quo nil reperimus.

Sed addunt nonnulli, Rampertum, Amprinctum, Hiltrudim, ac Dorotheam ex eadem

eadem matre genitos : hanc Luitfrido comiti Sundgovienſi, illam Corolo Salinenſi comiti nuptam : quod aliis minus probatur, ob annorum diſcrepantiam, quæ tamen tanta non eſt, quin facile conciliari poſſit, ſi hæc probati alicujus ſcriptoris veteris diplomatis, aut publicarum tabularum auctoritate fulta inniterentur.

Sunt enim qui exiſtimant, Ramprechtum filium fuiſſe non Hettoprechti HABSPURGII, ſed Luitfridi comitis Sundgovienſis, è ſtemmate ducis Atticonis ac D: Ottiliæ ejus filiæ, in Alſatia regnantium orti, adoptatumque fuiſſe ab Hettoprechto, in jus, familiam, gentem, ac ditiones regni HABSPURGICI omnes. Sed cum iiſdem deſtituantur teſtimoniis, quibus ſuperiores, non video, quare majorem fidem mereri debeant.

Illud certum eſt, Ramprechtum poſſediſſe quicquid eo tempore juris ac ditionis HABSPURGICI erat per Herciniam Sylvam, in Briſgoa, in monte Vogeſo, Jura, in Alſatia, Suevia, Helvetia, atque alibi, & quicquid olim dux Attico, ejuſq; filia D. Ottilia, poſteriq; eorum in Alſatia poſſedere.

Quare ego facile eo inclinor, ut Ramprechtũ filium Hertprechti credam. Tanta enim fuit hominũ eo tempore ſimplicitas, aut barbaries, ut in re parvi momenti eſſent nimii,

nimii, cùm verò diligentiâ opus erat, dormire, aut aliud agere diceres. Accedit quod tot ſeculorum decurſu, ac variis rerum viciſſitudinibus, multorum diligentium ſcriptorum labores interierint. Non enim existimo, Hettoprechtum, ſi liberis destitutus fuiſſet uni omnem, eamque ampliſſimam, hæreditatem dare voluiſſe, ſed multos potius ſanguine junctos, quàm unum ſibi fuiſſe devincturum.

De rebus geſtis Ramprechti ejuſque uxore, nil repperi, titulus tamen majorum ſepulchro aſſcriptus in fano D. Trutperti cernitur, ſine anni ac diei annotatione.

CAPUT X.

Continuatur ſucceſſio comitum HABSPURGI *per Ramprechtum.*

REliquit Ramprechtus liberos complures. Maximus fuit natu Guntradus, corruptè Guntranus, qui veteribus limitibus Ergoviam, Lauffenburgum, vicinaque alia quædam loca adjecit, fratribus hac ratione paternam hæreditatem dividens: Gerbiloni conceſſit Huringiam, Ortembergam, ac Franckenbergam, qui arcem è ſuo nomine *Gelberſtein* condidit: Eginoni agrum omnem ſui juris ad Rheni ripam ſitum,

tum, qui etiam arcem è ſuo nomine *Egeneſhein* ibi ædificavit, unde & poſtea ejus nominis comites defluxêre: Hugoni Obretzdallum, Wilerdallum, Graxennum, ac Keſtenholtium, à quo Hugone Reges Burgundiæ poſtremæ ſtirpis nonnulli deducunt. Alii verò ab Hugone Luitfridi filio, ac Humfredi comitum HABSPURGENSIUM fratre, ut Lazius, qui tamen hîc ſibi ipſi non ſatis conſtat.

Factum eſt hac liberali Guntradi comitis diviſione, ut ſubſequentes HABSPURGICI comites, ad tempora uſque RODOLPHI I. Cæſaris, pauperiores multò ac imbecilliores ſint effecti.

Reliquit Guntradus è Com. Burgundiæ filia (non quod eo tempore ibi comes erat, ſed intellige comitem in Burgundia) ſucceſſorem, filium Luithardum, qui multis donatis agris ditavit Cænobium *Gangenbacenſe*, quod id, petentibus Argentorato Herciniam Sylvam, occurrat, ac peregrinantibus hoſpitia liberaliter præbeat. Duxit in uxorem Etentrudim, filiam comitis Franconiæ, quæ quatuor liberos reliquit, Ottonem antiſtitem Argentoratenſem; Hugonem comitem Nimagenſem, in Briſgovia; Hedvigim uxorem com. Egenesſteimenſis, cognati ſui; Luitfridum natu maximum, HABSPURGI comitem, qui

cæno-

Cœnobium D. Trutperti in Abbatiam convertit, ingentibuſque donis ditavit, ut ab eodem datum diploma, Anno 903. teſte Munſt. Coſmog. lib. 3. teſtatur, imperante apud Germanos Cæſ. Arnulpho, cujus diplomatis exemplum exſtat apud Lar. comm. Geneal. Auſtr. Qui Autographum exſcripſit, in quo fit mentio Luitfredi & filiorum ejus, Hunfredi, Luitfredi, ac Hugonis.

Duxerat Bibradam, quæ obiit anno 929. tribus dictis relictis filiis, è quibus Hunfredus com. fuit HABSPURGI; Luitfredus comes Sundgoviæ; Hugo, cauſa uxoris Hedvigis, comes Egenes Heimenſis, ac Dagensbergenſis, unde altera (eadem tamen è familia) horum comitum origo. Hunfredus duxit Anaſtaſiam marchionem Ranſpergii in Suevia, peperitque filios tres; Guntradum II. HABSPURGI com. Eberhardum com. Briſgoviæ, à quo duces Zeringenſes, de quibus infra cap. 21. & 22. venêre; Rothardum, qui genuit Albertum præſulem Argentoratenſem, ſcindique hoc iterum tempore HABSPURGICUM ſtemma, ob fæcunditatem, in multas cæpit ſtirpes.

Fuere hujus Guntradi limites ab Ergovia, quæ Arula amne irrigatur, ad uſque lacum Brigantinum, & hinc ultra in Herciniam

ciniam Sylvam; indeque in Helvetiorum interiores agros, quos hodie confœderatæ civitates (cantones appellant) possident, desinentes. Prior ejus uxor fuit Brigantina, è Comitibus Montfortiis orta: Altera Ida, Adelberonis com. à Calu filiâ, è quibus quatuor suscepit filios; Beczonem comitem HABSPURGI, qui sepultus cernitur in Cænobio *Sulcxpergensi* finium Brisgoviæ in Choro, cum tali Epitaphio: Graff Beczo von Habspurg: Sancta Maria bitt Godt fur mich. Fratri Guiczelino sine liberis morienti in Ergovia successit Bertilo comes Streichburgi, ac Scarffensteinii; condidit Cœnobium *Walkirchense* in nigra Sylva. Gebiczo præsul Basiliensis, aliis Constantiensis, fundavit monasterium *Wassenau*, juxta Ravenspergam.

CAPUT XI.

Successio Comitum HABSPURGI *per Beczonem.*

BECZO è variis uxoribus quatuor suscepit filios, atque unicam filiam. GEBERHARDUS è monacho Hirschaugien-

giensi, fit antistes Constantiensis. Rapoto comes HABSPURGI conditor Cænobii *murcha* prope Lucernam, ubi anno 1034. est sepultus, posteaquam ædificasset novam ad amnem Arulam HABSPURGICAM Arcem haud procul monte vocetio. Rodolphus Sundgoviæ comes ædificavit monasterium *D. Mariæ* in *Otmarsem*, ubi cum uxore Adelheide filia comitis Vropurgi, ad D. Blasium in nigra sylva sepultus cernitur. Bechelinus sine liberis obiit. Rijncheneza uxor fuit Ulrici com. à Lenzpurg ad Arulam amnem.

Duxit Rapoto Idam Filiam Theodorici, aliis Gozelonis, Lotharingiæ ducis, quæ quinquies peperit. Warnherus natu major com. HABSPURGI exstruxit Abbatiam *Wettingensem* prope thermas montis Vocetii apud Helvetios, genuitque ex Hildegarde filia com. à Pfyrd. (Ferrettam franci vocant) etiam liberos quatuor. Frater Warnheri Theodoricus Lotharingiâ, quæ illi debebatur, ab Arduennatibus ac Bolonienfibus exactus, originem dedit comitibus à Lauffenburg ac Rynefelt: Albertus ac Berengarius pueri obiere. Ida uxor fuit Raptanis comit. Tiersteinii. Warnherus II. comes HABSPURGI, uxore mortuâ, sacris initiatur atque antistes fit Argentoratensis, ditionibus inter filios distribu-

ſtributis; fratres enim ſine liberis obierant. Ipſe mortuus eſt Anno 1079.

Otto comes HABSPURGI ac Ergoviæ, ductâ Hillâ com. Ferrettæ filiâ, procreavit Warnherum III. qui ſine liberis obiit; & Adelheidim uxorem com. Horenpurgii ac Fricſtalli: profectuſque Otto in Saxoniam, Cæſari Henrico IV. in auxilium, occubuit, fratre Warnhero IV. ſibi ac filio Warnhero III. in HABSPURGI comitatum ſuccedente, quibus mox Lauffenburgum adjunxit, ductâ filiâ Baronis Starkenbergii, quæ filium ei Albertum, ac filias duas peperit.

CAPUT XII.

Succeſſio Comitum HABSPURGI *per Albertum divitem.*

ALbertus com. HABSPURGI cognomine *dives*, floruit ſub Cæſare Henrico VI. à quo in quodam diplomate inter teſtes adfertur, duxitque Bertam filiam com. Phulendorfii: Richenza nupſit Ferettæ comiti. Gertrudis Mombelgardi comiti. Reliquit Albertus filios duos, ac filiam unicam, nimirum Albertum II. natu majorem, qui, quod inſigniter judicio ac conſilio valeret, *ſapiens* eſt cognominatus,

quique

quique factâ cum RODOLPHO paternæ hæreditatis divisione, retinuit comitatum HABSPURGI, Ergoviam, Turgoviam, Lantgraviatum Cussenburgi, cum advocatia Thuringensi, adeptusque est paulò post superioris Alsatiæ Lantgraviatum, idque hac ratione.

Mortuo sine masculis liberis postremo Alsatiȩ Lantgravio, stirpis HABSPURGICÆ, è comitibus Egenes Heimensibus orto, tres inter se successionis propinquitate disceptabant: Albertus comes Hohenbergi ad Neccarim amnem siti; Ludowicus com. Ottingensis; ac noster Albertus Sapiens. Erat Alberto Hohenbergico unica tantum filia hæresque. Hanc Albertus Sapiens, sopiendæ ea ex parte controversiæ causâ, filio suo RODOLPHO (qui postea Cæsar est factus) uxorem impetrans, HABSPURGIIS junxit comitatum Hohenbergi, ac quod is jus in Alsatiam habebat. Comes verò Ottingensis jus suum Alsaticum Ecclesiæ Argentoraten, plus HABSPURGIIS offerenti, vendidit, quæ in hunc usque diem, ut & Austriæ principes, titulo Lantgravii Alsatiȩ utitur, amicè terminis inter se constitutis.

Duxit Albertus Sapiens primum Hedvigim, aliis Helvidiam, com. Kiburgi filiam, quæ Albertum ac Carolum Canonicos Constantienses peperit. Hac mortuâ, I-

dam

dam filiam RODOLPHI com. Phulendorfii, quæ cæteros peperit. Adeo ob morum probitatem, concilii promptitudinem, ac judicii acrimoniam, à subditis suis dilectus, ut non pauci nobiles ac ignobiles, liberis carentes, hæredem eum in solidum scriberent. Dedit ei Cæsar Fredericus I. comitatum Thuricensem, & Advocatiam Seckingensem ad imperium devoluta: quem exinde bello Asiatico sequutus, ibi obiit, sepultus Accaroni. Uxor Ida *Murchæ* monasterio, sub arce HABSPURGICA, condita jacet.

Alberti frater Rodolphus, cognomine *Taciturnus*, possedit comitatum Laufenburgi, Rinefeldi, Walshutæ, Kiburgi, Lantgraviatum Schisgovii, ac alia pleraque, duravitque ejus stirps in annum fermè Christi 1350. ut cap. 23. & 24. narrabimus.

Reliquit Albertus Sapiens filios sex, ac filias duas, è quibus Albertus, Carolus, Henricus, ac Hartmannus canonici, stirpem non auxere. Albertus alter, profectus cum cognato Conrardino, Sueviæ duce, pro recuperatione regni Neapolitani, quod Carolus Andium dux illi eripuerat, obsidensque in Italia Parmam, levi in prælio capitur, & in carcere Parmensi innuptus moritur. Berga uxor fuit com. Kissenbergii, deinde Baronis ab Oxenstein Alsati. Elisabetha nupsit Etelfrederico

à

à Zolern, Burchravio Norimbergensi stirpis HABSPURGICÆ. De Rodolpho natu maximo Alberti filio, seq. cap. agemus.

CAPUT XIII.

Qua ratione comites HABSPURGI, *Austriæ duces Archiducesque sint facti.*

ALberti comitis HABSPURGI, cognomine *Sapientis*, filius natu maximus, ex altera uxore, fuit Rodolphus, natus in oppido HABSPURGO Kal. May Anno Christi 1218. factusque est post patris mortem, HABSPURGI & Ergoviæ comes; è qua exigua hereditate fratri Alberto II. annuam patris testamento solvit pensionem, ad vitæ ejus usque finem duraturam. Quare fortunarum tenuitate coactus, (ad quam HABSPURGII matrimoniorum fæcunditate è summis opibus devenerant) animum ad militiam, ad quam natura factus erat, adjecit, profectus cum multis viris nobilibus in Syriam, contra Mahumetistas. Unde incolumis cum laude reversus; nec uspiam in Germania bellum se dignum reperiens, consulturus liberis (quos ei multos jam uxor Anna Hohenbergica pepererat) apud Ottocarum Bohe-

Bohemiæ Regem, Auſtriæque occupatorem, curiæ præfectum ſumma cum laude aliquamdiu egit. Sed cùm ineptum Ottocari ingenium, rebus ſuis inutile eſſet expertus, eo relicto, mercenariâ militiâ operam induſtriamque variis Germaniæ principibus exhibuit, undecieſque ſuſcepto tam ſuo quam aliorum nomine bello, feliciter & cum honore confecit, decies & quater cum hoſte ſemper victor in acie congreſſus.

Sextum ejus bellum fuit contra Henricum Waliſchenburgi comitem, antiſtitem Baſilienſem, qui Niburgum, ac Briſacum ad Rhenum occuparat, Otmarſem, Blodesſchein, Klingam, ac Rijnefeldam, HABSPURGICÆ ditionis oppida, igne ac ferro vexarat. Cùmque auxilio Antiſtitis Argentoratenſis, Præſulem Henricum, præliis victum, Baſileæ obſideret, præter ſuam multorumque exſpectationem, Anno 1271 IV. Octobr. Romanorum Imperator, omnium Germanorum principum ſententiis, renunciatur, rejectis qui id vehementer ambierant, Richardo Angliæ, Alfonſo Caſtellæ, atque Ottocaro Bohemiæ, Regibus, annitente, eo inſcio, imprimis Archipræſule Moguntino, quem olim Romam proficiſcentem, ac domum redeuntem, ſumma cum humanitate, ac juſto cum præ-

præſidio erat comitatus; juvante etiam Alberto magno Philoſopho Theologo, Antiſtite Ratiſponenſi, cui olim Rodolphus animi vitioſas inclinationes, ac corporis intemperantiam profiteri fuerat ſolitus, quique, optimè & exactè ejus indole perſpecta, eum vehementer ſummo Pontifici commendarat; is verò Germaniæ proceribus Electionis ſuæ nuntium accepit in Caſtris ad Baſileam agens, ab Henrico Marſchalco Pappenheimenſi, & VIII. idus Jan. anni ſeq. Aquiſgrani, à Sigifredo Colonienſi Archipræſule, accepto à principibus Sacramento, corona eſt redimitus.

Exinde perdomitis gravi bello Suevorum Regulis, Burgundiæ duce, ſublatiſque Baſileæ, aliiſque Germaniæ locis, civilibus factionibus, quibus miſerè interregni tempore, à morte cæſaris Frederici II. ad hæc ejus tempora, ſpatio circiter 22. annorum æſtuarat Germania, primùm Norimbergam, deinde Herbipolim, poſtremo Auguſtam Windelicorum, Principum Germaniæ conventum celebrat, petitque, viribus in unum collectis, imperio aſſerant vendicentque Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, quæ interregni tempore Ottocavus Bohemiæ Rex magno imperii cum dedecore occuparat, hactenuſque poſſederat. Is enim cum Leopoldi VIII.

poſtre-

poſtremi Auſtriæ ducis, filiam natu grandem in uxorem duxiſſet, mox alia ſuperinducta repudiarat, neglectaque imperii majeſtate, repudiatæ dotem Auſtriam, imperii clientale beneficium, contempto Sacramento, vi ſuam fecerat, citatuſque ad dicendam cauſam, Cæſarem imperiique principes irriſerat. Cumque ingentem exercitum Cæſar Rodolphus cöegiſſet, imparatus Ottocarus timere, ac mox quicquid cæſar juberet admittere cæpit, modo paucis præſentibus, ad clientale Sacramentum clam dicendum admitteretur.

Annuit Cæſar, & ut in tentorio ſuo id fiat conſentit. Proficiſcitur ad Cæſarem juſtis cum copiis Rex Ottocarus, intratque ejus tentorium quaſi communicaturus. Sed ea erat medio in campo tentorii Cæſarei ſtructura, ut unico majori clavo loco moto, hinc inde in quatuor partes ſciſſum, in totidem mundi regiones decideret: conſpicienteque utroque exercitu, hinc Cæſar ſublime Regaliter indutus ſedebat, inde Rex Ottocarus in genua ante Cæſarem provolutus vexillum de manu ejus accipiebus, ac clientale Sacramentum de imperii beneficiis dicebat, Bohemis triſte ſpectaculum abominantibus, Cæſarianis læto gratoque murmure applaudentibus.

Reverſus exinde in regnum Ottocarus,

ut contumeliam vindicaret, ingentem cogit exercitum. Contra prodit Cæſar Rudolphus, viginti millibus equitum à Rege Hungariæ adjutus, collatiſque ſignis tandem Ottocarus deſideratis quatuordecim virorum millibus, ſuperatur, & occiditur: cumque Bohemiam Cæſar devaſtaret, neceſſitate compulſi pacem petunt.

Datur Wenceſlao Ottocari filio hac lege, ut poſthac Auſtriâ, cæteriſque ejus provinciis abſtineat, ac Gutam Cæſaris filiam in uxorem ducat: Agnes vero Wenceſlai ſoror, ea conditione Rudolpho, Sueviæ duci, Cæſaris filio nubat, ut ſi Wenceſlaus ſine maſculis liberis è vita deceſſiſſet, Agnes illi ſuccederet. Exinde Bohemiæ atque Auſtriæ pax reſtituitur. Albertus verò, Cæſaris filius natu maximus, Auſtriæ præficitur, ducta in uxorem Elizabetha filia Meinardi com. Tyrolis, cui antiquum in Auſtria jus erat, ut infra patet cap. xxxvj.

Poſt hæc iterum Cæſar Auguſtus imperii Comitia Anno 1282. indicit, ubi Auſtriæ procerum ordinumque continuis expugnatus precibus, conſenſu omnium Germaniæ Principum, Cæſarea innixus poteſtate, atque auctoritate filium Albertum Auſtriæ Archiducem, Stiriæ ac Carniolæ ducem, Windorumque Marchionem renuntiat,

nuntiat, & Anno 1284. Norimbergæ, præsentibus imperii principibus, traditis filio de manu insigniis, inaugurat, accepto, nomine imperii, clientali Sacramento. Deinde Meinhardum, filii Alberti socerum, Tyrolis comitem, Carinthiæ ducem, Terrisianique Marchionem, imperii Vicarium, accepto Sacramento nominat.

Tandem plenus laborum, magis quam annorum, quum aliquot imperii civitates aut in libertatem restituisset, aut proceribus, præsertim in Italia addixisset, tabe confectus, cum ex Erfordia Spiram contenderet, in oppido Germetschein pridie Kal. Octob. Anno 1291. exspiravit natus annos 73 ac menses quinque, conditusque est Spiræ juxta Henricos in Choro, cum tali Epitaphio. *Anno Domini M.CC. LXXXXI. pridie Kal. Octobris, obiit Rudolphus Rex, fuitque eo mortuo interregnum trium mensium, & septem dierum.* De ejus rebus gestis consule, è hujus seculi Scriptoribus Joan. Cuspin. ac Wolgang. Lat. quanquam non semper in annorum numeris satis conveniant.

CAPUT XIV.

De uxoribus Rudolphi Habsp. com. Rom. Imper.

PRima Cæsaris Rudolphi uxor fuit Anna Hohenbergica sueva, quæ ei septem filios peperit, totidemque filias, è quibus Rudolphus duodecimo ætatis anno obiit. Albertus Archidux Austriæ hujus familiæ primus, ac mortuo patre comes Habspurgi, & in imperio successor, princeps pugnacissimus ac fælicissimus. Hertmannus perfecto *Tulma* Cænobio, ibidem cum fratre Frederico sine liberis est sepultus.

Rudolphus alter dux Sueviæ, Lantgravius Alsatiæ, comes Ergoviæ, advocatus Turgoviæ, duxit Agnetem Onuphrio Elizabetham, filiam Ottocari Bohemiæ Regis, cui mortuo filio Wenceslao in Regno successit. Sed primo anno à Bohemis veneno sublatus, filium tantum reliquit Joannem, interfectorem patrui sui Cæsaris Alberti: qua de causa in Italia captus, ac Cæsari Henrico VII. traditus, in monasterium conclusus, innuptus obiit.

Hertmannus alter 18. ætatis anno in Rheno prope oppidum Rhinau innuptus periit.

Caro-

Carolus puer Basiliæ sepultus. Euphemia Deo *Tulmæ* vitam sacravit. Guta uxor Wenceslai Bohemiæ Regis, Machtildis Lodowici Palatini; Agnes Alberti ducis Saxoniæ; Catharina, aliis Hedvigis, uxor Hertmanni marchionis Brandenburgii, Anna Ottonis Bavariæ ducis; Clementia Caroli Regis Neapolitani stirpis Andegavensis.

Altera Cæsaris Rudolphi uxor fuit Agnes Onuphrio Elisabetha, filia Ottonis Burgundiæ ducis, quam provectæ ætatis vir adolescentulam duxit, sed nullos ex ea liberos genuit.

CAPUT XV.

De Alberto Habsp. Com. 1. Archid. Austriæ, ejusque liberis.

ALbertus Habspurgi comes, filius Cæsaris Rodolphi, natu maximus, patris industria primus hujus familiæ Archidux Austriæ, creatur Anno 1298. ut Lat. vult, ut vero Cuspin. 1299. mense Jul. Rom. Imperator, cujus coronationi tanta Aquisgrani hominum multitudo interfuit, ut Albertus Saxoniæ dux novi Cæsaris sororem, in uxorem habens, pressura hominum suffocaretur.

Vivo etiamnum patre ingens illi in

Austria oritur bellum contra aliquot proceres ac civitates rebelles, qui à Bohemiæ Rege, Bavariæ duce, & Antistite Salsburgensi juvabantur. Omnibus superatis felicissime conjurationem (quam vitream appellare solebat) dissolvit ac sopivit.

Dehinc bella, turbasque varias, cum Vicinis Hungaris ac Bohemis ortas composuit, Germanorum dissensiones sedavit, factiones sustulit, duodeciesque collata acie victor pugnavit. Quumque nec armis, nec veneno superari posset, à Joanne Sueviæ duce, fratris sui Rudolphi unico filio, ac tribus viris nobilibus, Russium amnem trajiciens, est confossus, nulla de causa quam quod dux Joannes se ab eo diutius, quam par esset, Regno Bohemiæ excludi, & in tutela detineri, conquereretur. Periit Kal. Maij Anno 1308. succedente illi in imperio Henrico VII. comite Lutzenburgensi, sepultus Spiræ juxta patrem. Periere percussores omnes (vindicante mortem Deo) miserabili obitu, de cujus quoque rebus gestis consule Cuspin. ac Lat.

Nullam duxit uxorem præter Elizabetham filiam Meinardi com. Tyrolis, quam vigesies & semel peperisse ait Cuspin. Lat. vero vigesies & septies, è quibus hi undecim ad pubertatem pervenere. Fredericus Pulcher comes Habspurgi, Archidux

Au-

Auſtriæ, primo duxit Eliſabetham Arragoniæ Regis filiam, quæ filias peperit duas, Eliſabetham deſponſatam Cæſari Carolo IV. obiitque anno 1334. quanquam Cuſpin. deſponſatam dicat Joanni Lutzenburgico, Cæſaris Caroli IV. filio; Annam, quæ duobus ante nuptias orbata ſponſis, conſtructo Viennæ Auſtriæ è propria dote in honorem *D. Claræ* cœnobio, id prima omnium cum ſexaginta duabus nobilibus virginibus Anno 1334. eſt ingreſſa, diuque Auſteram perpeſſa vitam, tandem cum magna integritatis fama è mundo migravit.

Altera Frederici uxor fuit Cunigundis Ludovici Bavari cæſaris, hoſtis ſui acerbiſſimi, filia, quam carcere liberatus duxit, procreatique ex ea liberi omnes infantes obiere. Hac quoque mortua, tertio fidem dedit Elizabethæ Geldræ, ſed morte præventus non duxit. Electus fuit Rom. Imperator, ac mox contra eum Ludowicus Bavarus, à quo in pugna victus captuſque, tandem liberatus, obiit Anno 1330.

Rudolphus alter, Cæſaris Alberti etiam filius, duxit Blancam, Philippi Francorum Regis ſororem, quæ obiit An. 1305. Deinde viduam Wenceſlai Junioris Bohemiæ Regis, poſt cujus mortem, ac Henrici Carinthiæ ducis, qui Annam ſororem dicti

Regis Wenceslai (Aliis Agnetem) in uxorem duxerat, Rex est factus Bohemiæ secundum conditiones Iglaviæ in Moravia factas: quumque anno uno Bohemis imperasset, hausto veneno obiit Anno 1307. sepultusque est Pragæ, succedente illi in Bohemia Joanne Lutzenburgi comite, Cæsaris Henrici VII. filio, quod in uxorem duxisset Elizabetham sororem natu maximam dicti Wenceslai Junioris Bohemiæ Regis, & Agnetis jam nominatæ.

Leopoldus, horum frater, fuit Lantgravius Alsatiæ, ductaque Catharina Henrici VII. Cæsaris filia, duas tantum genuit filias; Catharina, uxor prior fuit ducis Schurimichiæ; Agnes, principis Grossę in Silesia; eoque mortuo, Baronis Cauchiaci in Francia. Otto filius IV. Dux Stiriæ ac Carinthiæ, duxit Elizabetham filiam Stephani ducis Bavariæ, unde procreati liberi, ante pubertatem è vivis discessêre. Ea mortua, duxit Annam Cæsaris Caroli IV. Sororem, è qua editus filius infans obiit. Ipse moritur sine liberis Anno 1345. primusque Carinthiam, non tamen Tyrolim, familiæ Habspurgicæ atque Austriacæ acquisivit, ut infra cap. XXXVII. latius docetur.

Henricus, filius V. Canonicus ac futurus Antistes Moguntinus, sed mortuo fratre Rudolpho, relictis Sacerdotiis fit Rex Bohemiæ,

hemiæ, donatusque eſt à Cæſare Henrico VII. hæreditate Joannis Sueviæ ducis, qui Cæſarem Albertum interfecerat, obiitque nullis è duabus uxoribus relictis liberis Anno 1327. Albertus cognomine Pius, filius VI. è Canonico Patavienſi, poſt fratrum ſine liberis mortem, fit comes Habspurgi, & Archidux Auſtriæ, dictus etiam contractus, quod hauſtum venenum, medici neceſſitate coacti, in nervos divertiſſet. Hic omnia divino cultui poſthabuit, adeo ei deditus, ut reliqua fere omnia negligeret. Duxit in uxorem Joannam Ulrici comitis Ferrettæ filiam ac hæredem, è qua liberos ſex, ſtirpis valde diminutæ propagatores fæcundos, piosque principes, genuit, de quibus ſtatim; obiitque anno 1368. Kal. Auguſti.

Prima Cæſaris Alberti filia Agnes nupſit Andreæ Hungariæ Regi: quo interfecto, cum unica filiola in cœnobio *Koninxfeldenſi*, in Ergovia, vitam cum laude ſervatæ pudicitiæ finivit. Catharina nupſit Carolo Calabriæ duci; Elizabetha, Theodorico Lotharingiæ duci; Anna, Hermanno Marchioni Brandeburgenſi: Guta, Lodowico Comiti Ottingenſi in Suevia.

CAPUT XVI.

De liberis Alberti Pii seu Contracti, Com. Habsp. Archid. Austriæ.

ALberti pii seu contracti liberi hi sunt: Rudolphus comes Habspurgi, & Archidux Austriæ, juvantibus fratribus Viennæ Academiam instituit, ac Cathedrale D. Stephani templum, cujus fundamenta pater jecerat, absolvit. Primo duxit Catharinam filiam Cæsaris Caroli IV. eaque mortua Margaretam Henrici Carnorum ducis, Bohemiæque pro tempore Regis filiam ac hæredem. Comitatus Cæsarem Carolum IV. in Italiam, Mediolani in flore ætatis sine liberis, veneno (ut quidam volunt) periit, Anno 1363. sepultusque est Viennæ apud D. Stephanum, indeque Melacum translatus, in Archiducum sepulchro est positus. Infra cap. XXXVIII. dicemus, qua ratione comitatum Tyrolis familiæ acquisierit.

Albertus alter filius, fratri succedit, condiditque arcem Laxenburgam, suscepitque è Beatrice, filia Burchgravii Norimbergensis, filiam annam, uxorem Henrici ducis Bavariæ, ac filium sui nominis Albertum Austrię Archiducem, comitem Habspurgi,

purgi, qui duxit Joannam Alberti Bavari Hollandiæ ac Hannoniæ comitis filiam, eaque defuncta, Machtildim, Ludowici Bavariæ ducis filiam, quæ non peperit. Cognominatus fuit Aſtronomus, ob ſummum ejus diſciplinæ ſtudium, ac non vulgarem peritiam. Periit veneno, Anno 1404. ſepultus Viennæ apud D. Stephanum, unico quoque relicto ſui nominis filio Alberto Auſtriæ Archiduce, ac comite Habſpurgi, quinque annorum puero, civilis inter Auſtriacos proceres belli cauſa, ob tutelam provinciarumque gubernationem.

Vir factus, duxit Elizabetham filiam ac hæredem Cæſaris Sigiſmundi, quibus nuptiis, poſt ſoceri mortem, Rex eſt factus Bohemiæ; ac paulò poſt ordinum electione, etiam Hungariæ, tandemque Anno 1438. loco ſoceri Sigiſmundi Romanorum Imperator. Contra Turcas defendendis Hungaris profectus, alvi ſolutione, è nimio melo-peponum in ſummo calore eſu, in itinere periit, Anno 1439. ſuccedente illi, tam in utraque Auſtria quam in imperio, Frederico Cæſare nominis III. aut, ut aliis placet, IV. Maxæmiliani I. Cæſaris patre.

Reliquit Cæſar Albertus ex Elizabetha Lutzenburgica, aut potius Bohema,

 libe-

liberos tres; Elizabetham uxorem Casimiri Poloniæ Regis, quem post fratris mortem, Hungariæ ac Bohemiæ Regem fecit; Annam uxorem Guilielmi Saxoniæ ducis; Ladislaum Posthumum, Hungariæ Bohemiæque Regem, ac Austriæ Archiducem, qui in uxorem ducturus Magdalenam Caroli VII. Francorum Regis filiam, veneno exstinguitur, Anno ætatis suæ 19. Christi 1457. sepultusque est Pragæ, succedente sorore Elizabetha, cujus genealogiam in sequentibus sumus prosecuturi, ut videat Lector, qua ratione Bohemia ac Hungaria, quasi postliminio, iterum ad Austriacos Habspurgicæ familiæ principes pervenerint.

Leopoldus Archiducis Alberti filius III. dictus Probus, feliciter contra Venetos gesto bello, dum ingentes vir Bellicosus & acer è tota Germania copias, auxiliis etiam cæsaris Caroli IV. adjutus, contra defectores ac rebelles Helvetios ducit, inexploratos montium anfractus, angustasque fauces ingressus, undique ab Helvetiis conclusus, cum omnibus ferè copiis, multisque viris nobilibus nomen suum secutis, haud procul Sempacho 10. Jun. Anno 1386. interficitur, relinquens ex uxore viride, filia Barnabæ Vice-comitis Mediolanensis, filios qua-

quatuor, ac filias tres. Margareta ejus soror, uxor fuit Meinardi Marchionis Brandenburgii, filii Cæsaris Lodowici Bavari nominis IV. Catharina Deo Viennæ ad *D. Claram* vitam dedicavit.

CAPUT XVII.

De liberis Leopoldi probi.

Leopoldi probi filius natu maximus Guilielmus Archidux Austriæ, com. Habspurgi, cognomine Ambitiosus, Tripolitanos Turcarum obsidione liberavit. Desponsata sibi Poloniæ hæres eripitur à Lithuaniæ principe. Tandem è tribus uxoribus nullis relictis liberis obiit, Anno 1407. sepeliturque Viennæ apud D. Stephanum; succedente fratre Leopoldo Crasso, qui duxit Catharinam filiam Philippi Audacis, Burgundiæ ducis, è qua unicam tantum reliquit filiam.

Patris mortem suscepto contra Helvetios bello vindicare volens, prælio superatur, pauloque post cruris fistuloso apostemate exstinguitur, Anno 1412. nullis relictis liberis, succedente fratre Frederico, Tyrolis comite, qui cum clam è concilio constantiensi Papam Joannem abduxisset, à Cæsare Sigismundo proscribitur, & ab Hel-

Helvetiis, quod Abbati D. Galli auxilium tulisset, cæso exercitu in fugam conjicitur, ditionesque ejus invadentes, tum belli, tum præscriptionis jure, quicquid ad amnem arulum, ac in circuitu possidebat, ei eripiunt: Tigurini comitatum Kiburgicum, Wandelbergicum, Rapperswilicum, advocatiam Turocensem, Breingartum ac Mellingam: Bernates Uchtlandiam cum metropoli Friburgo, Burgdorfium, ac Ergoviam. Reliqui occupant, Suntgoviensem Landtgraviatum, comitatum Tierstainii, Badensem ac Dornecensem.

Genuit ex Anna Brunswicana unicum filium hæredemque Sigismundum, qui simplex fuit cognominatus, Tyrolis, Laufenburgi, ac Ferrettæ comitem, advocatum Seckingensem, Sueviæque Lantgravium, qui Carolo pugnaci, Belgarum ac Burgundionum principi, ditiones suas ad Rhenum sitas oppignoravit. Cumque è Saxonis ac Scotiæ Regis filiabus liberos non procreasset, provectæ ætatis cognatum Maxæmilianum, Cæsaris Frederici III. filium, adoptat, eique ante mortem omnes hæreditarias ditiones libera voluntate cedit, certis ad vitam annuis servatis proventibus, moriens, Anno 1497. cum pater ejus Fredericus obiisset, Anno 1440.

Margareta filia natu maxima Leopoldi probi,

probi, nupsit Meinhardo Bavariæ duci; eoque mortuo, Joanni Moraviæ Marchioni, filio Cæsaris Caroli IV. Elizabetha uxor fuit Henrici comitis Gorcensis. Tertia filia juncta est Conrado Burchgravio Magdeburgensi, qui & comes erat Hardicensis in Austria.

Ernestus filiorum Leopoldi probi natu minimus, ac stirpis Habspurgicæ Austriacæque nostri temporis author, ab animi constantia ac corporis robore dictus ferreus, comes erat stiriæ, vivensque è sacerdotiorum suorum reditibus, Bononiæ litteris operam dabat. Sed fratribus sine liberis extinctis, dimissis sacerdotiis, uxorem accipit Margaritam Stetini ducis filiam, Cæsaris Sigismundi amitam; quietem in Stiria agens, dum fratres de tutela pueri Alberti Austriaci inter se digladiantur.

Uxore Margareta sine liberis mortua, ducit Cimburgim, Vitoldi Lithuanię principis filiam, quæ ei novies peperit, è quibus Ernestus innuptus Anno 1425. obiit. Rudolphus, Leopoldus, Alexandra & Anna, pueri obiere. Albertus natu IV. cum per quinquennium fratri Frederico natu majori, ingens per Austriam civile excitasset bellum, & Acad. Friburgensem in Brisgovia condidisset, sine liberis, An. 1462. obiit. Margareta uxor Ernesti Saxonię Electoris, mater

mater Alberti, qui Cæſari Maxæmiliano I. apud Belgas ſumma cum laude militavit, ab eoque hæreditaria Friſiæ gubernatione eſt remuneratus. Catharina nupſit Carolo Marchioni Badenſi; Elizabetha com. Wardenburgio.

CAPUT XVIII.

De Frederico Habſp. com. Arch. Auſtr. Rom. Imp. III. *aliis* IV.

FRedericus filius Erneſti Ferrei, Comes Habspurgi, Archidux Auſtrię, dux Carinthię, Stirię, &c. Hæres omnium patruorum, fratrum, ac tandem etiam Ladiſlai poſthumi, Auſtriæ Archiducis, natus eſt auctore Cuſp. in Auſtria, Anno 1415. lectuſque Cæſar Kal. Januar. Anno 1440. nominis III. aut rectius IV. ſuccedens in imperio cognato Alberto Habſpurgico, Auſtriæ Archiduci, qui moriens, cum uxorem gravidam relinqueret, hac lege, ordines Auſtriæ ei provinciæ gubernationem commiſêre; ut ſi filium vidua eſſet enixa, tutelam infantis, donec adoleviſſet, ſuſciperet; ſi verò filiam, in Auſtriacas Provincias ſolus Fredericus ſuccederet. Sed cum filium peperiſſet Ladiſlaum, ſanctiſſimè ejus curam ac tutelam agens, quum ad puberta-

bertatem pervenisset, Austriam ei restituit.

Sed paulò post Ladislao, nondum ducta uxore, veneno à Bohemis sublato, Albertus Austriacus fratri Frederico tantam invidens successionem, conatus est, rebellium Viennensium ac Austriacorum auxilio, ingenti excitato civili bello, fratrem Fredericum pellere, diu ac acriter eum in arce Viennensi cum uxore ac filio Maxæmiliano obsidens. Sed tandem Albertus innuptus moriens, quinto belli anno universam Austriam fratri Frederico vel invitus reliquit, nisi quod veterani milites in contumacia persistentes, bellum traxissent, si non eos 7000. aureorum nummum majorique parte stipendiis suis addicta pacasset.

Postremò à Mathia Hunniade, Hungariæ Rege, Austria exactus, continuo quinquennio (quo is Austriam Viennæ habitans possedit) cum octingentis tantum equitibus, per universam errans Germaniam, principum controversias composuit, donec mortuo Rege Mathia, ac recepta filii sui Maxæmiliani opera Austria, cum parte Hungariæ, hæreditarias ditiones revisit.

Fuit Fredericus in adolescentia bello planè infelix, & ad pacem à natura formatus, quam tandem ei Deus provectiore

ætate

ætate concessit. Anno ætatis xxj. Hierosolymam pietatis causa profectus, Christi liberatoris vestigia, & sepulchrum invisens est exosculatus.

Reversus bellum in Helvetios movens, destitutus ab iis, qui auxilia promiserant, incepto destitit. Anno 1450. Romam profectus, à Papa Nicolao V. aurea Cæsarum corona est redimitus, pauloque post opera Æneæ Sylvii, scrinii ac secretorum suorum præfecti, (qui postea summum adeptus Pontificatum Pius II. nominari voluit) Romæ in uxorem ducit Leonorum, filiam natu maximam Eduardi Lusitaniæ Regis, quæ moriens, anno 1467. Neustatti (quod Neapolim sonat) in Austria, in SS. Trinitatis cœnobio, suo jussu ac sumptu ædificato, est sepulta, juxta tres liberos, qui infantes obierant. Qui Cæsaris Frederici III. res exactè noscere cupit, legat Æneæ Syl. Europam, Joan. Cusp. Cæsares, ac Wolg. Lat. comm. Austr.

Obiit Linthii Austriæ oppido, è maligno ulcere, in pede nato, quem cum tibia secandum, spe longioris vitæ, medicis præbens, ac res peracta satis feliciter se haberet, mense Aug. in professo assumptionis in cœlum D. Virg. Mariæ, imprudenter ab omni cibo pietatis causa abstinens

ſtinens (obſervantiſſimus enim erat princeps religionis majorum) octo melo-pepones, ſedandæ ſitis cauſa, comedit, aquam bibens (adeo enim vini parcus per omnem fuit vitam, ut à multis abſtemius haberetur; hinc tantopere temulentos habebat exoſos) debilitato naturali calore, in ſtomachi incidit dolorem, qui ſenſim auctus, tandem alvum ſolvit; proſtrataque virtute retentiva (ut medici loquuntur) viribuſque exhauſtis, 19. die Aug. Anno 1493. Deo animam reddidit, anno ætatis 78. pacata univerſa Germania, ut eo tempore eleganter cecinit Petr. Amalthæus, Viennæ bonarum litterarum Profeſſor hoc diſticho:

Aſtra Pius Cæſar pacato aſcendit ab orbe:
Talis vita fuit, qualis & interitus.

Imperavit annis 53. menſibus 4. ac diebus 4. Cæſarem Auguſtum ætate tribus annis ſuperans, ab eo in imperio tribus annis ſuperatus. Inteſtina Linthii ſunt ſepulta, corpus magna cum pompa Danubio Viennam eſt delatum, tota urbe obviam effuſa, magno cum honore exceptum, ac in æde D. Stephano ſacra perlatum, ubi tam diu in Archiducum Crypta fuit aſſer-

asservatum, donec Mausoleum, quod ante xx. annos pulcherrimo opere, ingenti sumptu inchoarat, à filio Maxæmiliano absolveretur, ibidemque corpus transferretur.

Duos tantum reliquit liberos, Cunigundim uxorem Alberti Bavariæ ducis; Maxæmilianum Habspurg. com. Austriæ Archiducem, &c. De cujus vita, filiique ejus Philippi, ac nepotis Caroli V. Cæsaris, rebusque eorum gestis, alio fortè tractatu, acturi sumus.

CAPUT XIX.

Præcedentis Genealogiæ amplior explicatio.

PHilippi II. Hispaniarum Monarchæ quatuor uxores fuere hæ. Maria filia Joannis III. Lusitaniæ Regis; altera Maria filia Henrici VIII. Angliæ Regis natu maxima; tertia Elizabetha filia Henrici II. Francorum Regis; quarta Anna liberorum natu maxima, Cæsaris Maxæmiliani II.

Soror Philippi Maria nupsit dicto Cæsari Maxæmiliano II. eique liberos quindecim peperit. Joanna altera ejus soror, uxor fuit Joannis Lusitaniæ principis, filii Regis

Regis Joannis III. peperitque Regem Sebaſtianum in Africa cæſum, ipſe verò obiit Anno 1578. Margaritha notha primum nupſit Alexandro Mediceo, primo Florentiæ duci; eoque ſine liberis mortuo, octavio Farneſio Parmæ ac Placentiæ duci, cui peperit Alexandrum Farneſium. Joannes nothus natus 25. Febr. anno 1547. innuptus obiit Belgarum Gubernator Anno 1578.

Cæſar Ferdinandus, frater Cæſaris Caroli V. natus eſt anno 1503. obiitque 1564. die Julii 25. duxeratque Annam Bohemiæ ac Hungariæ Reginam, ſororem ac hæredem Regis Ludovici fratris ſui; ipſa obiit Pragæ 27. Jan. Anno 1547. his relictis liberis. Elizabetha nata Linthii 9. Jul. anno 1526. nupſit Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Regi; obiit Vilnæ in Lithuania 25. Jun. Ann. 1545. Maxæmilianus II. natus eſt Viennæ Kal. Aug. an. 1527. duxitque Mariam patrui ſui cæſaris Caroli V. filiam, obiitque Ratisbonæ, imperii comitia celebrans 12. Octob. 1576. ipſo ferè momento, quo filius Rodolphus Cæſar fuit deſignatus. Anna nata eſt Pragæ 17. Jul. 1528. nupſitque 4. Jul. 1546. Alberto Bavariæ Duci. Ferdinandus II. Lintzii natus 14. Junij Anno 1529. primò duxit Philippam è patritia Welſerorum Auguſtana

ſtana familia ortam, è qua ſuperſunt Andreas Cardinalis Auſtriæ, ac Carolus Marchio in Burgau. Hac mortua duxit menſe Aprili Anno 1580. Guilielmi Mantuæ ducis filiam, ſuam è ſorore Leonora neptem, è qua unica è tribus ſupereſt filia.

Maria Pragæ nata 15. May 1531. nupſit 18. Jul. 1546. Guilielmo Cliviæ ac Juliæ duci. Magdalena nata Oenoponti 14. Aug. 1532. Vixit Cælebs in Cænobio *Hala* ad flumen Oenum. Catharina Viennæ nata 25. ſept. 1533. primum nupſit Frederico mantuæ duci, deinde Sigiſmundo II. Poloniæ Regi; quo etiam mortuo, Lintzium concedens, ibi anno 1572. obiit. Leonora Viennæ nata 2. Nov. 1534. nupſit Anno 1561. Guilielmo, Mantuæ duci. Margarita Oenoponti nata, 16. Febr. 1536. obiitque innupta Halæ 12. Mart. 1567. Barbara Viennæ nata 30. April. 1539. nupſit Alphonſo II. Ferrariæ duci, obiitque 1572. Carolus Viennæ natus tertio Jun. 1540. duxit Mariam filiam Alberti Bavariæ ducis, è ſorore Anna neptem, quæ ei 15. liberos peperit. Helena Viennæ nata 7. Jan. 1543. obiit innupta menſe Martio Halæ ad Oenum flumen anno 1574. Joanna Pragæ nata 24. Jan. 1547. nupſit Franciſco Medicæo Florentiæ duci, Coſmi

Cosmi filio, obiitque è partus dolore mense Junio 1578.

Natales liberorum Cæsaris Maxæmiliani II. hi fuere. Anna primogenita nata est Zigallæ in Hispania Kal. nov. 1549. fuitque quarta uxor Philippi II. Hispaniarum Monarchæ. Rudolphus II. Rom. Imp. natus est Viennæ 18. Jul. anno 1552. Ernestus Viennæ natus 15. Jun. 1553. Elizabetha Viennæ nata 4. Jun. 1554. nupsit Carolo IX. Francor. Regi, eoque mortuo, vidua Viennæ egit, Christo viduitatem apud D. Claram dedicans. Mathias natus Viennæ 23. Febr. 1557. Maxæmilianus Nieustarti natus 12. Octob. 1558. electusque est administrator ordinis Prussiæ & Teutoniæ per Germaniam & Italiam Anno 1585.

Albertus Nieustarti natus 13. Nov. 1560. Cardinalis Austriæ Archipræsul Toletanus, Pro-Rex Lusitaniæ, ac Belgarum Gubernator. Wenceslaus Nieustarti natus 9. Mart. 1561. obiit Madriti in Hispania innuptus mense Septembri 1578. Margarita nata Viennæ 25. Jan. 1567. matrem in Hispania euntem Anno 1581. sequuta, ibidem obiit. Leonora Viennæ nata 4. Nov. 1568. obiit Pragæ innupta paulo ante matris in Hispaniam profectionem.

Qui

Qui Genealogias Archiducum Austriæ, Hispanięque Regum, usque ad modernum gloriosissimum Regem Philippum IV. scire aveat, consulat Nicol. Rittershusium, qui Genealogias Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, aliorumque procerum præcipuorum describit latius.

CAPUT XX.

De aliquot familiis, è secundo, tertio, aut quarto natu comitum Habsp. filiis ortis, ac propagatis.

LUitfredus comes Habspurgi, nominis I. quique cœnobium *D. Trutperti* in Abbatiam ingentibus dotatam bonis commutavit, tres reliquit filios; Hunfredum Habspurgi com. Luitfredum II. qui contra Suevos pugnans periit; Hugonem uxoris causa comitem Egenes Heimensem, auctorem Abbatiæ *Willervallia*, quam ex suo nomine *Hugenshoren* appellavit, reliquitque filiam nomine Thietbergam, uxorem Lotharii II. Regis Austrasiæ, à quo id regnum Lothreichia, ac corruptius Lotharingia, tandemque Loreina est dictum; & filium Hugoprechtum (quæ vox ab imperitis Etymi Germanici, primum est depravata in Hugobertum, tandemque in Hubertum,

bertum, quaſi à rerum ubertate dictum, quum longe aliud ſignificet) Hugenshovii Abbatem, cui Sororius dictus Rex Lotharius donavit ducatum Transjuranum, majorum olim ſuorum Regnum: contra quem, quum ambitione ductus rebellaſſet, opera comitis Conrardi necatur, relicto filio Hugone Abbate duce Transjurano, qui apud Helvetios in Sungovia, Briſgovia, ac Ergovia continebatur, morienſque inter alios reliquit filium Conrardum ab arce in qua habitabat, dictum Stratlingenſem, ducem Transjuranum, qui aucta ditione, ſe ducem Burgundiæ eſt appellare auſus, pulſis hæredibus Gerhardi Roſſilbonenſis, majori ejus ditionis parte occupata.

Succeſſit huic Rudolphus, quem major ſcriptorum pars ejus filium facit, pauci generum, ducta in uxorem ejus filia Hedvige. Quicquid ſit, ſucceſſiſſe Conrardo, ejuſque hæredem fuiſſe, certum eſt, primumque hujus ſtirpis, qui conciliata populorum voluntate, ſe Burgundiæ Regem ſalutari, & apud D. Mauritium corona redimiri, anno 890. eſt paſſus; (de quo plura in hiſtoria noſtra Burgundica jam meditamur.) Libera enim voluntate ſub ejus ſe imperium ſubmiſit, quicquid eſt ditionis inter montem Juram, & Alpes Pæninas, ſacramentum illi dicentibus Allobrogibus ac Pro-

vinciæ Narbonensis, Lugdunensisque majori parte, frustra Cæsare Arnulpho Francisque eum pellere conantibus.

CAPUT XXI.

De Regibus Burgundiæ postremæ stirpis, è Comitibus Habsp. descendentibus.

RElìquit Rudolphus filios tres. Natu minimus Burchardus, antistes fuit Nivernensis. Richardus dux in Burgundia, duxitque Machtildim filiam Lotharii Regis Italiæ, cujus pater fuit Hugo Arelatensis, Rex Italiæ. Major natu Conrardus fuit Rex Burgundiæ, ut patet in cænobio Paterniaco, haud procul à lacu Eburodunensi in Sabaudia sito, qui sine liberis obiit. Successit ei Rudolphus II. fratris sui Richardi filius, qui in uxorem duxit Brechtam filiam Burchardi Sueviæ ducis, imperavitque etiam aliquamdiu procerum voluntate Francis, Rege Carolo simplice, à Veromanduorum comite, Peronæ in carcerem conjecto, fuitque etiam exiguo tempore Rex Italiæ ab iis vocatus, sed eorum inconstantiam, cum quinquennio imperasset, exosus, relicta Italia in Burgundiam rediit, Hugonique Arelatensi Italiam regendam concessit, sepultusque est Senonis,

nis, in meditullio Galliæ, in templo D. Columbani anno 912. Regni sui 25. Relinquens ex Adelheide quadam liberos tres: è quibus Agnes primum nupsit Burchardo Sueviæ duci; eoque mortuo, Bertholdo comiti Brisgoviæ stemmatis Habspurgici, arcis Zeringensis conditori. Conrardus dux in Burgundia.

Rudolphus III. Burgundiæ Rex, qui ob vitæ probitatem ac sanctimoniam inter Divos est relatus, cum suscepisset è Bertha, comitis Uropergensis propè Basiliam filia, liberos septem, moriens anno 936. E quibus primus fuit Conrardus Rex Burgundiæ, qui ex uxore Machtilde unicam tantum genuit filiam Gerburgim, uxorem Hertmanni II. Sueviæ ducis, quæ obiit sine liberis, anno 990. Rudolphus IV. Rex Burgundiæ, dictus *Ignarus*, obiit anno 1032. sine liberis, deficiente in eo regni Burgundici, ex Habspurgica familia, stirpe: scripsit enim testamento hæredem Henricum, filium Cęsaris Conrardi Salici.

Soror ejus Bertha nupsit Odoni Campanię in Francia comiti. Gisla Conrardo II. Adelheidis Lothario Regi Italiæ, filio Hugonis Arelatensis; eoque mortuo, Ottoni Magno Cæsari. Henna uxor fuit Lotharii postremi Francorũ Regis, stirpis Caroli Magni. Thietberga Hugobaldi Dillingensis,

ac Weringensis comitis, mater D. Ulrici prçsulis Augustani. Confer quç hoc scribimus cap. cum iis, quæ narrabimus in historia nostra Burgund. Hæc enim è Latii c. 8. comm. Geneal. Austr. sumpsimus, quæ tamen confundit præc. cap. 7. deducens horum regum seriem ab Hugone, filio è quatuor natu minimo Ramprechti, seu Ramperti com. Habspurgi. Lector, quod ei magis placebit, sequi poterit, ut etiam de iis eum facere cupimus, quæ dicta hist. afferimus de Burgundiæ regibus, quatuor tantum adferentes.

Regno igitur Burgundiæ hac ratione exstincto, varii in eo principes diversis titulis imperavere, è quibus etiamnum hodiè ducum, comitum Palatinorum, Sabaudiæ, Lotharingiæ, Vaudemontii, Monsbelgardi, Ferrettæ, Wittembergæ, Cantonum Helveticorum, Viennenses, Delfini, Aurantii, Arelatenses, comites Lugdunenses, multique alii nomen retinent, Cæsaribus ac Francorum Regibus nihil aliud satagentibus, quam ut Regni Burgundici nomen exstinguerent, atque è rerum natura hominumque memoria tollerent.

CAPUT XXII.

De Ducibus Cheringiæ, aut Zeringiæ, Deccensium, ac Lantgraviis Burgoviæ.

HUnfredus comes Habſpurgi, ex Anaſtaſia Marchione Rantpergi, tres genuit filios; Gutradum, aut Guntranum, Habſpurgi comitem; Rotharium natu minimum; Eberhardum ſecundum natu filium, Briſgoviæ Lantgravium, qui, (ut teſtatur Vitikindus in hiſt. Sax. & Abb. Urſperg. in Chron. de Cæſ. Ott. I. ſcribens) cum aliquot Germaniæ principibus rebellavit contra Cæſarem Ottonem I. diuturno ac ingenti excitato bello, in quo tandem pugnans periit, duobus relictis filiis; Eberhardo II. Briſgoviæ Lantgravio; ac Bertholdo Barbato, teſtamento Cæſaris Henrici III. duce Sueviæ.

Sed excluſus à Rudolpho Rynefeldii comite, dicti Cęſaris genero, donatus eſt Charentanorum ducatu; qui tamen paulo poſt ei iterum ereptus à Cæſare Henrico IV. Marquardo cuidam eſt donatus, relicta Bertholdo tantum Valle Cheringana, unde dux eſt appellatus; eo magis, quod eodem loco arcem Cheringenſem condidiſſet, à

qua ipſe, poſterique ejus, ducis titulum accepêre, ſucceſſuque temporis, ad leniendum ejus animum, vitandique belli civilis cauſa, ab imperio accepit Advocatiam Tigurenſem, Hilandiam, ſeu Uchtlandiam, in qua ejus ſucceſſores Bernam ac Friburgum condidere.

Duxit Bertholdus Barbatus uxores tres. Prima fuit Agnes ſoror Rudolphi III. Burgundiæ ducis, vidua Burchardi Sueviæ ducis. Altera fuit Machtildis, filia Rudolphi com. Rynefeldii, ſtirpis Habſpurgicæ. Tertia Rychardis poſtremi Carnorum ducis filia vel vidua fuit, è ſtirpe Sponhaimenſi, quæ duos ei peperit filios, Bertholdum II. Tigurinenſem advocatum, & Uchtlandiæ principem, donoque imperii Burgundiæ palatinatum; Hertmannum Carinthiæ Marchionem, qui ſenex in *Cluniacenſi* cœnobio vitam Deo conſecravit. Addunt nonnulli, ex alia uxore, tertium filium Geberhardum, Conſtantienſem præſulem, inter Divos relatum.

Sepultus eſt Bertholdus II. in Abbatia D. Petri, ſupra Friburgum à ſe anno 1093. conſtructa, relicto filio Bertholdo III. qui *dives* eſt cognominatus. Poſſedit enim Briſgoviam, Zeringiam, Uchtlandiam, Advocatiam Tigurenſem, Burgundiæ Palatinatum, quibus imperii beneficio addidit

dit Burgdorfium, Morfinoviam, ac Deccenſem in nigra ſylva ditionem, condiditque in eadem ſylva, Vittingam, monaſterium omnium SS. ac fidei, ita ut non immerito dives ſit dictus. Rebellantes Burgundos armis domuit; unde hoc in porta Burgdorfienſi inſcriptum adhuc legitur elogium:

Hanc dux Bertholdus portam ſtruxiſſe notatur;
A quo, pro fraude, Burgundica gens populatur.

CAPUT XXIII.

Præcedentis cap. XXII. *continuatio.*

DUxerat Bertholdus hic in uxorem Sophiam, Welfonis Altortenſis com. filiam, quæ peperit Conrardum, qui à Cæſare Frederico primum proſcriptus, deinde iterum in gratiam receptus, ducatus Deccenſis author fuit, ac cœnobii *Au*, apud Wittenbergios, ubi plerique Deccenſium duces ſunt ſepulti: ductaque Clementia nobili Franca occidentali, genuit filios ſex, moriens anno 1152. Hugonem, Mortinoviæ ac Briſgovię principem, qui ſine liberis anno 1154. obiit, Rudolphum antiſtitem Leodienſem; Berchtoldum IV. Zeringiæ ducem, qui à Cæſare Fred. I. in advocatia

Tigurinensi, Uchtlandia, ac Teringia est confirmatus, donatusque insuper palatinatu Burgundiæ ac præfectura Arelatensi.

Condidit Berchtoldus IV. utrumque Friburgum, ac Arcem Brisachianam, jecitque fundamenta oppidi Bernensis, quod filius Berchtoldus V. absolvit. Tandem in suspicionem veniens, ob summam potentiam, affectati Regni Burgundici, dat Cæsari obsides filiæ suæ duos filios. Auxiliatus Hugoni Hapspurgico cognato suo, rusticorum rebellione in Alsatia presso, interficitur Anno 1185.

Frater ejus Albertus Calvii comes, primus se ducem Deccensem scripsit, cujus stirps duravit ad Fredericum usque ultimum Deccensium ducem, Conrardi VII. filium, nepotem ex fratre Ulrici III. qui obiit Anno 1452. Dictus verò Fredericus, nomine consanguinei sui Cæsaris Frederici III. Austriæ Archiducis, Alsatiam gubernavit, relicta ex hærede ducis Ursplingensis unica tantum filia ac hærede, Wirtenbergæ comiti nupta, qui ea de causa maximam ducatus Deccensis partem obtinuit, titulumque ac insignia usurpat. Villinga verò, cum aliquot oppidis ac arcibus, ad Danubii ac Neccari fontes sitis, ad dictum Cæsarem Fredericum III. ejusque successores, pervenit.

Obiit

Obiit autem hic Albertus dux Deccensis sine liberis, successitque illi fratris sui Hertmanni filius Albertus II. qui è benigna Marchione Vogburgica, prima uxore, filias duas, ac filium sui nominis reliquit. Juditha uxor Eginonis com. Furstenbergii, quæ Friburgum pro dote habuit, quod posteri civibus vendentes, ex oppido migravere, Regiamque deseruere. Frater Brechtoldi IV. natu minimus Hertmannus duxit in uxorem Elizabetham comitis Vogburgensis filiam, quæ peperit Albertum II. Deccensium ducem, cujus posteros Latius cap. 9. comm. Gen. Austr. perdurasse scribit, in Annum ferè 1500.

Berchtoldus V. IV. filius, quum civitatem Bernensem absolvisset, veriti Burgundi (hoc enim tum nomine etiam Helvetii & Sabaudi censebantur) ne ea munitio perpetuæ servitutis initium foret, duos ejus filios impuberes veneno necant. Uni Berchtoldo, alteri Adriano nomen erat. Matri verò, ne amplius pareret, (erat autem ea filia com. Kiburgi) clam præbita potione, sterilitatem procuravere. Hæc Lat. At Sebast. Munst. in sua Cosmog. refert, constanti fama à majoribus per manus tradita, etiam hodiè pro certo teneri, pueris à matre datum venenum,

 eam-

eamque capite ea de causa pœnas dedisse: commonstravi enim hodie Soloduri puerorum sepulchrum ac ossa, cum cranio fœminino, quod matris esse asserunt; unde & hoc distinchon Joan. Carpentar.

Hic recubant pueri, Zeringæ dux Berchtoldus
Quos genuit: mater teneris venena propinat.

Tandem & dux Berchtoldus V. senio animique mœrore confectus, obiit Anno 1218. Unde tale eo tempore rude distichon, quod Friburgi Brisgoviæ in summo templo, ubi est sepultus, legitur:

Cum bis sexcentis, ter senis, jungitur annus,
In Friburg moritur Berchtoldus dux Alemannus.

CAPUT XXIV.

De prioribus Ryneseldii Comitibus.

RApotus Habspurgi ac Ergoviæ comes, ex uxore Ida Lotharingica reliquit filios tres, ac filiam Idam. Major natu Warnherus Habsp. ac Ergoviæ comes. Theodoricus Lotharingia ab Arduennæ ac Bullonii comite pulsus, duxit Rycwaram hæredem comitis Onyngæ ad lacum Bodmanicum, aut Brigantinum; è cujus

dote cum opes cumulasset, oppidum Rynefeldam haud procul Basileâ, è fundamentis primus mortalium exstruxit. Peperit ei Rycwara filios duos; Chunonem, qui ex uxore Itha suscepit Rudolphum Rynefeldii comitem; ac Ulricum, qui in uxorem duxit hæredem comitis Leinczenburgii ad amnem Arulam siti.

Dictus Rudolphus à Cæsare Henrico III. advocatus imperii apud Turegum designatur, postea quam prima uxore Adelheida, filia Marchionis in Italia, quæ filios duos Ottonem ac Berchtoldum peperit, mortua, duxisset post obitum dicti Cæsaris Henrici 3. opera imperatricis viduæ, Agnetem filiam dicti Cæsaris Henrici 3. Cæsaris Henrici 4. sororem, quæ ei in dotem adferebat ducatum Sueviæ, qui cum eadem Agnete pollicitus fuerat ab Henrico 3. Berchtoldo II. Zeringiæ duci, ut supra cap. XXI. narravimus. Agnete sine liberis mortua, duxit Rudolphus Adelheidim filiam Guilielmi com. Burgund. quæ ei filias tres peperit, Agnetem uxorem Ernesti Marchionis Austriæ; Adelheidim Colomanni Hungariæ Regis conjugem; Machtildim Berchtoldi Barbati, Brisgoviæ Lantgravii consortem.

Hic Rudolphus vel invitus, procurante

ſummo Pontifice Gregorio VII. ab aliquot Germaniæ principibus Cæſar eſt renuntiatus, contra Cæſarem Henricum IV. ſorore ejus Agnete mortua; cum quo bis malè pugnans, tertio prælio occubuit. Quumque inter alia vulnera dexteram amiſiſſet, truncum Brachium aſpiciens, aſtantibus lecto ait principibus: *ô juſta à Deo dextra huic inflicta pœna, quæ cum libera voluntate Cæſari Henrico ſacramentum, dixiſſet, perfida gladium contra eum ſtringere ſuo malo eſt auſa. Vos videritis, quid, ac quam rectè mihi conſulueritis, ut illi hoſtis fierem;* pauloque poſt è vulneribus obiit.

Secuti ſunt mox duo filii, Otto ac Berchtoldus innupti, per inſidias ab adverſa parte trucidati, ſucceſſitque in comitatum Rijnefeldii filia dicti Rudolphi natu maxima Machtildis, nupta (ut diximus) Berchtoldo Barbato, cognato ſuo, cujus ſtirps cum etiam brevi in Berchtoldo V. anno 1218. defeciſſet, conſanguineis eorum Habſpurgi ac Laufenburgi Comitibus, Rijnefeldii ceſſit comitatus, ut proximo cap. narrabimus.

C A-

CAPUT XXV.

De Laufenburgi, Kiburgi, ac Rynefeldii posterioribus Comitibus.

ALbertus cognomine *dives*, Habſpurgi ac Ergoviæ comes, avus Rudolphi Cæſaris nominis I. genuit è Bertha, comitis Pfulendorfii filia, duos filios, ac filiam Bertham, comitis Leinyngenſis uxorem. Filius natu maximus Albertus, dictus *ſapiens*, comes fuit Habſpurgi ac Ergoviæ, pater dicti Rudolphi Cæſaris.

Alter filius dictus fuit Rudolphus *Taciturnus*, idque ob modeſtiam, qui floruit circa Annum Chriſti 1140. novaque propagine familiæ inducta, comitum Laufenburgenſium, Kiburgenſium ac Rynefeldenſium poſteriorum ab Habſpurgo, auctor ac fons fuit, diviſaque cum fratre Alberto Sapiente paterna hæreditate, obtinuit comitatum Laufenburgi, Kiburgi, Rynefeldii, Walshutæ, Lantgraviatum Sciſchovienſem, ac advocatiam Seckingenſem, duxitque Agnetem filiam Godofridi Baronis à Staufen, è qua ei eſt natus filius ſui nominis Rudolphus II. paternarum ditionum hæres unicus, cui è Bertha, aliis Gertrude, Lintolfii Regenſpergenſis

fis comitis filia, sunt nati liberi tres. Ursula uxor fuit comitis à Sulcx, sepultaque cernitur in Cæmiterio *Seckingano*. Godofridus comes Kiburgi, ducta Arnolphi postremi Badensium apud Thermas Helveticas comitis filia, obiit sine liberis. Warnherus natu maximus, comes Laufenburgi, Rynefeldii, &c. duxit Hedvigim hæredem Kiburgi comitis, stirpis Dillyngis, è qua tres reliquit liberos. Major natu Rudolphus III. præsul fuit Constantiensis, consecratus à Gregorio 10. Anno 1275. gessitque bellum cum cognato Rudolpho Cæsare, ob finium controversiam. Godofredus Laufenburgi ac Rynefeldii comes, duxit Elizabetham Baronem ab Oxenstein Alsatam, è qua ei duo sunt nati filii.

Warnheri filius tertius nomine Eberhardus, comes fuit Badensis, apud thermas Helveticas, possedítque insuper Uchtlandiam, Friburgum, Than, Burgdorfium, ac ratione matris, comitatum Kiburgi, obiitque anno 1280. tribus relictis liberis, è quibus natu maximus sui fuit nominis, de quibus cap. seq. scribemus, cum posteritatem fratris sui Gotofredi II. absolverimus, quem duos reliquisse filios diximus, è quibus Gotofredus III. natu major conatus occupare hæreditatem cognatis sui Alberti,

berti, fratris Cæſaris Rudolphi, qui Parmæ captus ſine liberis periit, bello à dicto Cæſare ſuperatus, in pugna ſine liberis occubuit, fratre Joanne in hæreditatem ejus ſuccedente; qui è filia comitis de Nidau, duos reliquit filios.

Major natu Rudolphus IV. Palatinus fuit Burgundiæ ac Romani imperii Arelati vicarius, quem liberos reliquiſſe non reperio: Frater verò ejus Joannes II. comes Laufenburgi, Rynefeldii, ac Kiburgi, poſteritatem propagavit, cujus tempore primum Helvetii ab Habſpurgicis defectionem moliri cæpere; primique fuere Schuiteii, Uri, Zuggii, ac Underwaldii, quos tamen hi fratres, auxilio Abbatis Heremitarum, comitumque ab Rapperſwyl ac Homburg, ad officium 1313. reduxêre.

Duxit Joannes II. filiam Baronis Laudebergii, quæ peperit Joannem III. Laufenburgi ac Rynefeldii comitem, cujus exſtant litteræ ejus ſigillo ſignatæ, ac propria manu ſubſcriptæ in Arce Laufenbergica, Anno 1314. hujus initio tenoris. **Wier Graff Rudolff von Habſpurg / Fraw Elſpet / ſein Eiliche Wirtin / und Graff Heinſrim von Habſpurg ir Sun** / &c. Duxit (uti hic audis) Elizabetham montavii com. filiam, quæ duos peperit filios; Rudolphum VI. qui non admodum

ſenex

ſenex ſine liberis obiit, Joannem IV. Laufenburgi ac Rynefeldii comitem, qui duxit Elizabetham filiam comitis à Rapperswyl, ob cujus comitatus poſſeſſionem, mortuo ſocero cum Tigurinis bellans capitur, Anno 1349. Ad quem liberandum Albertus Habſpurgius, ejus conſanguineus, cum magnis copiis in Helvetios contendit; obſeſſoque Tiguro, cognatum Anno 1354. in libertatem reſtituere cogit.

Moriens Joannes IV. reliquit ex uxore filium unicum hæredem Rudolphum VII. comitem Laufenburgi, Rynefeldii, &c. qui cum cognato Leopoldo probo Auſtriaco, multiſque aliis nobilibus, interfuit equeſtri certamini, quod Anno 1336. Baſileæ fuit celebratum, obiitque paulo poſt innuptus, omnibus ditionibus, quas ad Rhenum ac Arulam poſſidebat, ad Auſtriacos conſanguineos ſuos devolutis; quarum majorem partem, quum Helveticorum civitates, quæ ſe non ita dudum in libertatem vindicarant, vi occupaſſent, Leopoldus probus Auſtriæ Archidux, Maxæmiliani I. Cæſaris proavus, cum ingentibus copiis auxiliiſque Cæſaris Caroli IV. omniumque ferè Germaniæ principum, ſua aſſerturus, dum inexplorato ſe, exercitumque, montium anfractibus committit, oppreſſus cum omni ferè nobilitate, ac maxima exer-

exercitus parte, ad Sempachum occubuit, anno 1383. ſepeliturque Coninxfeldæ, haud procul arce Habſpurgica.

CAPUT XXVI.

De filiis Eberhardi I. Com. Badenſis.

NUnc ad Eberhardum I. comitem Badenſem revertamur. Is filios reliquit tres. Natu maximus Eberhardus II. Kiburgi comes ac ditionum Helveticarum Dominus, cum fratrem Hermannum, levi ex cauſa orto jurgio, Thuni Burgundiæ oppido interfeciſſet, univerſam patris hæreditatem ſolus occupat. Cumque hac de cauſa juſtam imperii cenſuram vereretur, Bernatibus comitatum Thunenſem vendit, eumque ab iis iterum in clientelam accipit, (feudum Longobardica voce appellant) quapropter à Gotofredo III. fratre patruele, cui auxilium ferebant comites Wiſſenburgi, Sibentali, Greirſii, ac Thurini, bello petitus, ingentes, quemadmodum & Bernates, calamitates accepit, donec multorum principum interceſſione, re compoſita, ab armis eſt diſceſſum, Eberhardo in iniqua rerum poſſeſſione manente.

Reliquit ex uxore unicum tantum filium ac

ac hæredem ſui nominis Eberhardum III. qui ante pubertatem obiit. Et quanquam jure ſanguinis ac ſucceſſionis, omnes ejus ditiones Auſtriæ Archiducibus debebantur, confœderati tamen Helvetii, non contenti recuperatæ libertatis beneficio, ditiones ejus omnes, quas potuêre, occuparunt, confidentiores ad eam rem facti, victoria Sempachiana. Occupavêre enim Bernates Uchtlandiam, cum metropoli Friburgo, Burgdorfium, ac Than. Tigurini verò, tempore concilii Conſtantienſis, proſcripto à Cæſare Sigiſmundo, Frederico Habſpurgico, Tyrolis comite, ob abductum contra Cæſaris edictum Antipapam Joannem 23. meliori obtentu ſe in libertatem vendicantes, occupavêre comitatum Kiburgi, Rapperswili, Wandalburgi, ac Winterfuri: Bernates iterum hoc tempore ac occaſione, Lantgraviatum Sundgovienſem, comitatum Tierſtainii, Badenſem ad thermas Helveticas, ac Dornecenſem.

Atqui hac ratione Habſpurgici juris ditiones, apud montes Juram, ac Vocetium, nec non ad amnem Arulam ſitæ, in Helvetiorum devenêre poteſtatem. Quæ verò ſunt ejuſdem juris in Alſatia, Suevia, ac paucis ad Rhenum locis, in recta Sigoprechti, aut Sigeberti, linea, Francici, aut

Ale-

Alemannici veteris ſtirpis nobiliſſimi Herois, permanſere, nunquam in hunc uſque annum MDCLXII. intermiſſa, nec interciſa marium legitima ſucceſſione, nec ad filias, alienamque ſtirpem tranſmiſſa, quæ nunc (ſervato tamen tituli Habſpurgici gentilitio nomine) Auſtriæ Archiduces nominari gaudent.

CAPUT XXVII.

Habſpurgicum nomen quando innoteſcere cæpit.

HAbſpurgicum nomen mundo innoteſcere ſerio cæpit, circa annum Chriſti 650. ac in hunc uſque annum 1662. inter claras illuſtreſque Germaniæ, ac totius Europæ familias, varia fortuna floruit, nunc potens, nunc mediocris gentis famam ſuſtinens, ſumma tamen ſemper cum exiſtimatione vigens, dignitatem auctoritatemque, annis CIƆXII. ſervavit.

At ſi à Fraidmundo Franco I. (ut volunt, ſed docere ſolidè non poſſunt) in Germania gentis Rege, quem anno Chriſti 417. lectum volunt, in hunc annum 1662. tempus perducamus, reperiemus Habſpurgicam familiam non ſolum per omnem Europam nominis ſui claritatem extendiſſe, ſed limites etiam ſuos per univerſum ferè terrarum orbem ſpatio CIƆCCILV. anno-

annorum protulisse, omnesque superiorum ætatum principes, ac præsentis temporis familias, rerum gestarum gloria, liberorum immensa fæcunditate, religionis constantia ac uniformi cultu, pietate, justitia, ac moderatione, belli pacisque temporibus superasse.

Qua in re, summa cum admiratione, considerandam se offert divinæ providentiæ infinita sapientia, cujus *judicia* (ut verissime David cecinit) *abyssus est inperscrutabilis*. Ad summum enim Deus Habspurgicos, honoris ac gloriæ vestigium promovens, incognitas antea ad orientem, meridiem, ac occidentem nationes reperire, domare, & ad Jesu Christi antiquissimum cultum cognitionemque perducere voluit, tradita Monarchia, cujus similem nulla adhuc vidit ætas. De hoc latius in 2. parte.

CAPUT XXVIII.

Habspurgicorum Principum, Gentilitia in Scutis, ac Clypeis signa.

NE autem avidus sciendi lector, in hoc tractatu aliquid à me merito desideret, Habspurgicorum principum gentilitia, quæ in scutis ferunt, insignia hoc loco refe-

referam, ut ea depicta describit Latius. Fuere autem tres purpurei coloris leones, coronis cæruleis redimiti, ac prioribus unguibus in Scuto aurei coloris insurgentes.

Wandalicæ stirpis Burgundiæ Reges in Scuto aureo coronam tantum cæruleam pingebant. Sed Clodomirus, magni Clodovei filius, Francorum in Galliis Rex, ejectis Burgundiâ Wandalis, Regnoque eorum in Galliis occupato, insurgentem purpureum, in Scuto aureo corona cærulea redimitum, subjecit Leonem, significare volens, victorem Leonem Coronam cæruleam rapuisse, capitique suo imposuisse; quo signo primi comites Habspurgii fuere usi. Et hoc modo eorum Insignia depicta sunt Mechliniæ, in quæstorum conclavi, quod illi *thesaurariam* vocant.

Aliquanto post, duos Clypeo ejusdem coloris addidêre Leones, iisdem servatis coloribus, ut posteris relinquerent testatum, nobilissimum vetustissimumque stemmatis, stirpisque suæ fontem atque originem.

Non foret inconcinnum nunc, amice lector, omnium præcedentium genealogiarum (uti scimus omnes Habspurgici stemmatis) continuatam hic subjicere seriem, deductam à Fraidmondo Francorum (ut pleri-

plerique volunt) in Germania Rege I. perductam, usque ad Leopoldum Ignatium Rom. Imp. semper Augustum: Et Philippum Hispan. Monarcham; duo nostri temporis Habspurgicæ ac Austriacę familiæ lumina ac columnas, idque ab anno nativ. Jesu Christi CCCCXVII. usque ad ejusdem annum MDCLXIII. quod est tempus MCCILVI. nuda pro majori parte eorum nomina continens. De quibus præc. actum capitibus. At cum brevitati studeamus; aliumque tractatum de Genealogiis principis Burgundiæ & Austriæ, Deo volente, meditemur, lectorem eo remittimus. Qui plura de insigniis Austriacorum desiderat, legat Habspurgica Franc. Guiliman. qui ea plurima, in effigie, oculis repræsentat.

CAPUT XXIX.

De Austriæ Origine.

QUando hæc provincia, veteris superiorisq; Pannoniæ, olim à Sarmatis habitatę pars, à corpore divulsa, novum nomen, novosque principes invenerit, historici (quod sciam) non tradunt. Temporum ac rerum collatione, rei veritatem elici posse confido. Constat hanc provinciam Germanica lingua, à tempore Caroli magni Cæsaris, in hunc usque diem continuo vocatam

catam Oſtenreich/ quod orientale regnum ſonat, minorem verò ejus partem, Hungaris vicinam, Marcam, id eſt, limitem orientalem. Significat enim Marca Germanis limitem, à lapidis aut alterius rei terminalis collocatione, finem regionis demonſtrantis, quem adhuc hodie Germani Merc/ ac Marc vocant. Hinc primi Auſtriæ principes Chriſtiani Marchionis titulum accepêre, quod nimirum ea in parte Romani imperii limitis cuſtodes eſſent poſiti. Marchio enim Auſtriæ declarabat præfectum limitis Germaniæ orientalis.

Quum enim Carolus magnus Cæſar Hunnos deviciſſet, ac domuiſſet (qui occupata majori Pannoniæ parte, pulſis Romanis, novum ibi de ſuo nomine condiderant regnum) Pannoniâ eos ſuperiori exuit, conſtituenſque in ea diverſos limitum præfectos, habita (veteri Francorum more) ſitus mundi ratione, hanc Oſtenreich / ac Oſtenmarc denominavit; quo ſenſim exſtincta Hunnorum memoria, univerſam Pannoniam ac Sarmatiam Orientalis regni nomine inſigniret. Sed novis ſemper bellis impeditus, ac tandem morte præventus, inſtitutum tenere non potuit, multoque minus ejus liberi ac nepotes. Quare Hunni in maxima parte Pannoniæ ac Sarmatiæ manentes, miſerè in Germania ſub-

ſubinde ſæviebant, donec tandem facta cum ſequentibus Cæſaribus pace, nomen regnumque, quod etiamnum Hungaria dicitur, eis relinqueretur, illi verò Cæſaribus Oſtenreichia cæderent.

Sed non ea fide Hunni pacem coluere, quin data oportunitate Oſtenreichiam iterum occupare conarentur, Germanis inter ſe, aut cum Italis, de rerum ſumma decertantibus, donec ab Ottone I. Cæſare, ejuſque ſucceſſoribus, inſigniter caſtigati, poſt ingentes aliquoties acceptas clades, mitius & fidelius agere diſcerent. Duravit hæc Hunnorum, nunc Hungarorum, in repetenta Oſtenreichia libido, ad patrum uſque noſtrorum memoriam. Anno enim Chriſti 1475. ac 1480. Matthias Corvinus Hungariæ Rex, Joannis Hunniadis filius, occupata majori Auſtriæ parte, per quinquennium (pulſo in Germaniam Cæſare Frederico III. Auſtriæ Archiduce) Viennæ habitavit, recuperarique Auſtria niſi mortuo, Anno 1490. Matthia Corvino, non potuit. Erat enim Maxæmilianus Romanorum Rex, contra Francos ac Belgas, maximis implicatus bellis, quibus tandem feliciter confectis, non ſolum Auſtriam cum Metropoli Vienna recuperavit, ſed alba regali expugnata, partem etiam Hungariæ in poteſtatem ſuam redegit.

Taceo

Taceo quantis copiis ac viribus, Anno 1526. instructus Solymannus, Turcarum Rex, Austriam Hungariæ conjungere, iterque sibi in interiorem Germaniam parare conatus sit. Ejus enim regni majorem partem Turcæ Hunnis illo sæculo eripuêre, eosque in miserrimam servitutem redigere, quod perverso judicio Annæ (quæ soror hæresque erat unica Lodovici postremi Hungariæ Regis, à dicto Solymanno in pugna, Anno 1525. cæsi) ejusque liberis, paterni Regni successionem invidissent.

CAPUT XXX.

De vocis Austriæ Etymo.

De nominis Austriæ Etymo, Latius cap. 2. comm. Geneal. Austr. hæc sentit. Franci, ejectis Gallia Romanis, cum novi Regni fines, contra vicinos censerent stabiliendos, in duas id divisêre partes, eamque quæ Rheno inter amnem Mozellam, Mosam, ac Illum adjacet, gentilitia voce Ostenrich / hoc est, orientale regnum, appellavêre: quæ verò versus mediterranea Galliæ, se flectebant, ut Burgundia, provincia Lugdunensis, & Narbonensis, cum parte Aquitaniæ, Westenrich / id est, occidentale regnum, vocavêre. Has voces

ejus temporis sacerdotes, iidemque annalium ac Chronicorum scriptores, è Romanis profecti, eorumque sermone ac lingua assueti, corrupêre. Ignari enim linguæ Germanicæ, novorum regnorum nomina, in latinam terminationem ac sonum detorquentes, fecere ex Ostenrich Austria aut Austrasia; è Westeinrich / Westria, ac Westrasia, è Neurich (quod Germanicè novum sonat regnum) Neustria, ac Neustrasia.

Gallica verò Austria id temporis continebat, quicquid à Vogeso ac Jura, Helvetiæ montibus, ad Rhenum usque extendebatur, tantum veteris Galliæ agri comprehendens, quantum hoc tempore obtinet Alsatia, Sundgovia, Lantvochtia, Haganava, Palatinatus ad flumen Saram, Lutzenburgum, Limburgum, Hincxruckum, Arenberga, Nassauvia, Velda, Salma, Bicra, Leinyngum, Manderscheitium, Treviri, Metis, Lotharingia, Wormatia, Moguntia, Spiræ Nemetum, Colonia Agrippina, Argentoratum, Sleistadium, Colmaria, Helvetii, Burgundiæ comitatus, Sabaudia cum locis vicinis.

Retinet certè adhuc hodiè ager, qui Sara ac Mosella amnibus includitur, denso Arduennæ nemore consitus, veteris appellationis reliquias Das Westreich / quasi dicas,

dicas, occidentale regnum, ac alibi corruptius, vastum regnum: habebatque Austrię Gallicę regnum duas urbes primarias, seu sedes Regales, Metensem ac Wormatiensem, quibus olim Austriæ Galliæ Reges sacros dedêre præsules. Tandem restaurata juxta Coloniam Agrippinam arce Tolbiaca, occupatisque inferioris Belgii provinciis, ad Oceanum usque Batavicum limites promovêre, sed non diu retinuêre.

Exstincto enim in Galliis Regio Francorum stemmate, succedit nova Caroli magni stirps, quæ imperio Germaniam, Italiam, Belgasque junxit, donec moriente Lodowico Pio, quatuor ejus filii, amplissimum imperium dividendo distraxêre: quo facto regnum Austriæ, aut Austrasiæ Gallicę, in varias distractum partes, nomen ac dignitatem amisit. Quum enim Lotharius, Lodowici Pii filius natu maximus, moriens monachus, tres ex uxore reliquisset filios, secundus natu Lotharius etiam appellatus, accepta Austrasiæ parte, eam ex suo nomine Lotreich (ut in hodiernum usque diem Brabantiæ duces ex eo derivati scribunt) obliterata plane Austrasiæ ac Austriæ, in Galliis appellatione, vocavit. Sed hæc ditio multo etiamnum hodiè arctioribus coacta limitibus, Lotharingia, ac corruptius Loreina, nunc dicitur. Eodem

 ferè

ferè tempore in Galliis Westriæ ac Neustriæ appellationes etiam desiêre.

Superioribus rationibus motus Carolus magnus, cum Hungaros debellasset, superiorem eis auferens Pannoniam, Ostenrich vocari aut jussit, aut permisit, quæ etiam hac in provincia vox, ab iis, qui linguæ latinæ erant assueti, in Austriæ nomen est corrupta, aut à Gallis germanisq; sacerdotibus, qui cum Carolo magno in eas partes venerant, ibi inducta, elegantissimè se loqui homines Barbari existimantes, quum Germanicam vocem quam maximè corruptam fictitia latina expressissent, ac imitati essent: quæ cum semel ab iis, qui cum potestate ac auctoritate tum temporis erant, fuissent admissa, ab omnibus ut elegantissima, ac latinissima, obviis ulnis sunt recepta; ac proinde nil mirum, si longi temporis præscriptione possessionem ac jus, bona interveniente fide, apud posteros meruerint.

Dictam verò esse Austriam à flatu venti Australis, qui huic loco est frequens, (ut alio opinatur loco Car.) non magis mihi verisimile est, quàm Ostenreickiam, Zuitlandiam, Nortlandiam, Ostlandiam, Nortwegiam, Nortmanniam, ac Westlandiam, potius à ventorum flatu, quibus sunt obnoxiæ, quam à mundi plagis, ad quas vergunt

gunt ac declinant, aut quibus subjacent, vel unde venerunt, denominatos.

CAPUT XXXI.

De Austriæ præstantia.

QUum Carolus Magnus, ut diximus, Hungaros agrorum parte multasset, superiorem domiti agri partem (quæ hodie Stiriam Carinthiamque continet, ac Danubio, Dravoque fluminibus terminatur) vocavit Marcam orientalem, ac Ostenrich; inferiorem Marcam occidentalem, ac Westenrich/ quo nomine brevi exstincto, Marca orientalis, in superiorem ac inferiorem divisa, sola Austriæ ac Ostenrichæ nomen servavit. Cumque iis in partibus, Hunnos incolas ac occupatores, pro majori parte aut interfecisset, aut expulisset, missis Germanorum coloniis Christianis, habitare Hunnorum oppida, colere agros, erigere arces, civitates condere permisit.

Habet utraque Austria ad orientem, Hungariam; ad occidentem, Bavariam; ad meridiem, Stiriam, Carinthiam, ac Tyrolim, ejusque montes; ad septentrionem, Bohemiam, Misniam ac Saxoniam, latitudo ejus expedito pediti tribus, longitudo sex diebus, aut paulo amplius, excepto Danubio, qui

mediam secat Austriam, superiorem ad meridiem, inferiorem versus septentrionem relinquens, multis aliis irrigatur non contemnendis omnibus, quorum hi ab utraque parte in Danubium influentes, sunt præcipui, Muchela, Rotla, Haselpachum, Veldastum, Bergakrempsa, Camus, Maisa, Marca, Theia, Murtza, Gausintra, Feitstritza, Rabus, Rabamitza, Leittum, Kelsengargum, Suichata, Antspachum, Tulmus, Drasmus, Sensa, Arla, Epsis, Urpachus, OEnus, Dravus, Steinpachum, multique alii magni usus amnes, ac piscosæ paludes.

Crescit in Austria vinum generosum, frumenta ac legumina omnis generis, abundat ligno, piscibus varii generis, quos flumina ac stagna nutriunt, magnoque numero incolis suppeditantur ad saturitatem. Majoris minorisque pecoris, lactis, Casei, ac Butyri, nec non & mellis infinita est copia: volatilium ac quadrupedum, humanæ necessitati, exercitio, ac luxui servientium, tanta est abundantia ac varietas, ut hîc alterum Adami hortum meritò statuere possis. Non enim in comitatu Tyrolis metalla præstantissima, principi singulis annis, trecenta aureorum nummûm millia pendentia, desunt.

Adde quod tantarum rerum, ultra quam credi

credi possit, affluentia abundantes, ingentem rerum omnium copiam vicinis Moravis, Bohemis, Silesiis, Bavaris, ac aliis divendunt, indeque ditissimi fiunt, magnasque opes cumulant, unde nonnunquam animis elati, ac factionibus dediti, calamitates sibi ipsis non exiguas peperêre, lascivienti ac petulcæ felicitati subinde pœnas dantes. Sed tum primum insignem in rebus omnibus cultum accepit Austria, quum Habspurgici apud eos principes, rerum potiri cæpêre, qui nullo cultus nec ornamenti omisso genere, admirabilem eam cæteris terrarum orbis Regionibus effecêre.

CAPUT XXXII.

De primis Austriæ primopilis, qui à finium custodia fuere Marchiones dicti.

AD Babenbergicorum procerum usque adventum, variis jactata fuit Austria casibus, insignesque aliquot perpessa est calamitates, præcipuè ab incredulis Hungaris, qui mortuo Carolo magno, liberisque ejus, bellis civilibus se conficientibus, insignes odio Christi vicinis omnibus intulere clades; idque regnante Cæsare Arnulpho, filio ejus Lodowico, ac Cæsare

Conrardo. Sed tandem à Cæſare Ottone I. magnis cladibus affecti, religionem Chriſtianam ſenſim Hungari admiſêre, atque intra limites ſeſe ſuos continuêre: qui Otto, ob inſignem ſibi hoc bello navatam operam, utrique Oſteinreichiæ præfecit comites à Buchorn, Scala, ac Blois, è Gallia oriundos, tandemque his præfecturis hæreditariis factis, in iis à Cæſare Ottone III. ſunt confirmati, clientale ei ſacramentum dicentes.

Hæ tres familiæ, longo tempore diverſis Auſtriæ locis præfuere, ac, ſi Munſtero credere debemus, ad Babenbergicorum uſque adventum, 333. annis rexêre; emerſitque inter hos præcipuè Bloſia, Viennæ ſedem habens, ac longè latèque in ejus circuitu imperans, non quidem ea, quæ in Galliis ſub Capeticorum regno innotuit, ſed alia longè vetuſtior familia, ab hac diverſa, donec & hæc ab Hungaris pulſa, trajecto Danubio, oppida ibi aliquot & arces condidiſſet, ac diu imperantibus Babenbergicis, comitis cum titulo poſſediſſet. Veteribus enim ejecti limitibus, comitis titulo contenti fuêre, duravêreque uſque in annum Chriſti 1241. tum enim omnino hæ familiæ defecêre, ſuccedentibus in eorum bona, Burggraviis Magdeburgenſibus.

Eorum

Eorum autem hæc nomina recenſet Sebaſt. Munſt. in ſua Coſmogr. Walrichus, Albertus Ottocarus, Giraldus, Theodoricus, Godofridus, Baldericus, Zeigenhartus, Lupoldus, Arnulphus, Gebelhartus, Rutgerus, Gyzo, Conrardus: qui cum, deſerta Vienna, ultra Danubium ſe contuliſſent, ad comites Babenbergenſes, cum Marchionis titulo, Auſtria pervenit, ut narrat Otto Antiſt. Frinſing. Hiſtoriogr. è Babenbergica familia ortus, lib. 6. cap. 15. Fuit enim filius Ludolphi Pii Marchionis Auſtriæ: quibus ferè perpetuum cum Hungaris fuit bellum, eoſque tandem circa annum Chriſti 1012. omnia Auſtria pepulêre, eodem fere tempore, quo Divus Carolomannus eo peregrinatum, religionis cauſa, veniens, incognitus pro ſpeculatore captus ac ſtrangulatus fuit.

CAPUT XXXIII.

De poſtremis Auſtriæ Marchionibus.

AB Ottone II. Cæſare, (ut vult Lat. ut verò Naucl. ab Henrico Aucupe Cæſare) Babenbergenſes comites Albertus ac Leopoldus, Pannonia ſuperiore, tunc Oſtenreichia ac Auſtria dicta, ſunt

 donati,

donati, posteaquam infirmiores reguli, ab Hungaris ultra Danubium pulsi, resistere amplius nequivêre. Libera igitur voluntate juri suo cedentes, dicto Cæsari Austriam Cisdanubianam reddidêre, qui eam Alberto ac Leopoldo, Alberti (jussu Cæsaris capite injusta de causa cæsi, ac proscripti) filiis, cum Marchionis titulo donavit, anno circiter Christi 980. qui, præstito Cæsari Clientali sacramento, ab Austriacis sunt recepti, & inaugurati, ductis uterque, è postremis veterum principum familiis, uxoribus.

Leopoldo sine liberis mortuo, frater ejus Albertus Babenbergicus, filium reliquit Leopoldum cognomine *illustrem*, à quo Joan. Cuspin. in sua Austria, auspicatur Marchionum Genealogiam, illi nominis I. nobis II. Austriæ Marchionem, è familia Babenbergica, è Suevis orta, qui arcem *Melcanam*, ille Melicum vocat, Hungaris eripuit, statuitque in ea duodecim canonicos, & cum uxore Richarde, sorore Cæsaris Henrici aucupis, in choro, Regni sui anno 55. Christi 988. sepelitur, superato ac interfecto duce Gisone Hungaro. Hic Leopoldus cum patre Alberto, ut erant viri bellicosissimi, insignes Hungaris clades intulêre, eosque universa pene Austria expulêre.

Fere-

Ferebant eo tempore Austriaci, pro gentilitio in clypeis signo, qui cærulei erat coloris, tres aurei coloris Alaudas, à Romana legione jam olim per majorum manus, ut credebatur, acceptas. Quum enim Rheni ac Danubii ripæ quatuordecim legionibus à Romanis custodirentur, decima ab Alaudis nomen habet. Stationem autem diu habuerat decima tertia legio, eo loci, ubi nunc est Vienna, (quam à Fabiano præfecto, prima ablata syllaba, dictam vult Lat. Munst. à flumine Vienna) decima autem Alaudarum ad Rhenum, multis ac periculosis feliciter contra Germanos confectis præliis, præ cæteris virtutis sibi nomen parârat: quæ causa fuit, ut cum Decebalus, Dacorum Rex, Danubium transire conaretur, Cæsar Marcus Aurelius, missa ad Rhenum decima tertia legione, decimam Alaudarum Viennæ ad Danubium contra Decebalum collocaret, ubi fortitudinis ac virtutis specimen non semel edens, tamdiu in præsidio mansit, donec ruente Romano imp. pulsi cum cæteris Alaudarii, novi ejus ditionis Reguli Alaudas clypeis suis, memoriâ Romanæ virtutis, quam se superasse ereptis armis ac cypeis gloriabantur, appingere pulchrum ducerent: mansêreque hæc Alaudarum insignia ad Leopoldum usque VIII. Au-

ſtriæ Marchionem, qui; qua de cauſa ea amiſerit, ſeq. cap. ſcribemus, ut etiam infra cap. XXXXII.

Reliquit Leopoldus II. ex uxore Richarde, filios duos. Poppo antiſtes fuit Trevirenſis. Henricus Marchio Auſtriæ, cognomine *rebellis*, quod niſi coactus ab Henrico Cæſare imperio obediret, è qua neſcio uxore, nomine Sivenhude, tres liberos reliquit, regnavitque annos 35. ſubita morte decedens anno 1018. ac Melici juxta parentes cum uxore ſepultus. Filia ejus, cujus nomen non reperio, nupſit Petro Hungariæ Regi. Erneſtus dux Sueviæ periit bello Saxonico, anno 1014. quanquam Cuſpin. dicat, eum à comite Alberone ſagitta inter venandum interfectum Anno 1017.. Duxerat in uxorem Giſellam, aliis Machtildim, filiam Lotharii Regis Francorum, viduam Brunonis ducis Saxoniæ, quæ tertio nupſit Cæſari Conrardo.

Adelbertus II. Henrici I. filius natu maximus, ob ingentes, ac crebras contra Hungaros victorias, dictus *Victorioſus*, Marchio Auſtriæ, duxit Adelheidim ſororem Petri Regis Hungariæ, obiitque anno 1056. ſepultuſque eſt cum uxore Melkii, ubi major pars Marchionum eſt condita, habuitque filium Leopoldum III. Auſtriæ Marchionem, principem ſtrenuiſſimum, qui ante patrem,

patrem, anno 1047. ſubito obiit, comitatus Cæſarem Henricum III. in Ingelhain ad nuptias, nullos ex uxore Froſvilla relinquens liberos, ſuccedente ſibi fratre Erneſto, Auſtriæ Marchione, qui ex uxore Agnete, filia Rudolphi Habſpurgii, comitis Rynefeldii (Cuſpin. vocat Machtildim, non addens cujus fuerit filia) liberos genuit tres; ipſe obiit, anno 1075. Juditham, Albertum levem, ac Leopoldum IV. cognomine *pulchrum*, Auſtriæ Marchionem, qui duxit Idam filiam Henrici III. Cæſaris, ex altera ejus uxore natam, geſſitque ingentia ac ſæva civilia bella, cum fratre Adelberto, Bohemis, ac Bavaris, anno 1096. duos relinquens filios.

CAPUT XXXIV.

De primis Auſtriæ Ducibus, & Archiducibus è familia Babenbergica.

OBiit Leopoldus IV. Poppo Antiſtes fuit Trevirenſis. Leopoldus V. cognomine *Pius*, Auſtriæ Marchio, duxit Agnetem filiam Cæſaris Henrici IV. viduam Frederici Suevorum ducis, obiitque anno 1136. ac inter divos eſt relatus, ſex relinquens filios, ac quinque filias; decies

decies enim & octies ei Agnes pepererat, è quibus, cum moreretur, undecim in vivis erant, nimirum Bertha, uxor Henrici Burchgravii Ratisponensis; Agnes Boselai Poloniæ Regis; Gertrudis Ladislai Bohemiæ ducis postremi, ac primi Regis, facti à Cæsare Frederico I. ob ingentia erga imperium merita; Elizabeth uxor Hartmanni Lantgravii Saxoniæ; Guta, aliis Juditha, Reineri Marchionis Montferrati; Conrardus Antistes Salsburgensis; Otto præsul Frisingensis, Historiographus ejus temporis diligentissimus.

Leopoldus VI. quanquam natu minor, patri successit, dictusque est *largus*. Cæsar Conrardus eum Bavariæ ducem renuntiavit, obiitque anno 1142. successitque illi frater natu major, Henricus II. qui à Cæsare Frederico Barbarossa primus est factus Austriæ dux, ac ob acceptum pileum ducalem, instar coronæ rostratum, cum veste principali, dictus est etiam (auctore Cuspin.) anno 1161. Austriæ Archidux; ut vult Munst. Rex; idque dum dictus Cæsar inter eum, ac Henricum Bavariæ ducem, filium Henrici superbi, pacem fecit. Cæsar enim Conrardus, Barbarossæ prædecessor, Henrico Superbo Bavariæ duci infestus, eo mortuo, Bavariam ad imperium devolutam, huic Henrico, Austriæ tum tan-

tantum Marchioni, dono dederat, ob quam donationem diſſidia ac bella non exigua inter Henrici ſuperbi filium, ac hunc Henricum, Auſtriæ primum ducem, ſunt orta: quæ ut tolleret Cæſar Barbaroſſa, diminuto nonnihil Bavariæ ducatu, auctiſque Auſtriæ limitibus, inſuper ducis titulum Auſtriacis, abolito Marchionis titulo, ut cederet donatione Bavarica, tribuit, reſtituto hac ratione in Bavaria Henrico, Henrici Superbi filio.

Henricus igitur nominis II. primus Auſtriæ dux, cognominatus eſt, *ita me Deus amet*, quod id perpetuo, vernacula lingua in ore haberet: bis duxit uxorem; primò Gertrudim filiam Cæſaris Lotharii, quæ non peperit; deinde Theodoram, Emanuelis Imper. Conſtantinop. propinquam, quæ tres reliquit liberos, obiitque Henricus è vulneribus bello Bohemico ſuſceptis, anno 1177. ſepultuſque eſt Viennæ apud Scotos, juſſu ſuo ædificatos. Agnes ejus filia, nupſit Stephano III. Hungariæ Regi. Henricus unicum reliquit filium, qui innuptus obiit. Leopoldus VIII. dictus *virtuoſus*, Auſtriæ dux, deſertis in ſcuto gentilitio Alaudis, pinxit ſuperiorem ac inferiorem ejus partem rubram, mediam æqua proportione relinquens albam, idque hanc, ut volunt, ob cauſam.

obſi-

Obſidebant Chriſtiani in Syria, urbem Accaronem; alii Ptolemaidam; alii Damaſcum fuiſſe volunt: Leopoldus ſuo cum milite, propugnantes primus invadens, tanta cum virtute ac conſtantia aliquamdiu depugnavit, ut ſericum inſigne, quod ſiniſtra cum clypeo tenebat, hoſtili, ſuoque ſanguine infectum, nil purum haberet, quam quod manus tegebat. Cuſpin. refert, totum ejus corpus in oppugnatione, ſanguine maduiſſe, ea parte excepta, quam latius ſupra arma, cingulum in orbem circumdabat. Expugnata urbe, in hujus rei memoriam, Cæſare conſentiente, gentilitia in ſcuto inſignia, ratione qua diximus, relictis Alaudis, mutavit, exponens novum hoc militare ſignum, in una captæ urbis turrii: quod Richardus Angliæ Rex hujus expeditionis ſocius non ferens, deduci juſſit, præcipuum captæ urbis decus Leopoldo invidens.

Sed is poſtea, Regem domum redeuntem, ac per Auſtriam dimiſſo comitatu, mutatoque habitu, iter facientem, in hoſpitio, prope Viennam, ubi cum paucis diverterat, capi juſſit, in ligneo veru carnes ad ignem propria manu aſſantem, proditum à Viennenſi cive, qui cum Leopoldo in Syria militârat, Regemque Richardum optime norat, eodemque ibi tempore potatum, exteroſque

rosque visurus excurrerat. Non potuit Richardus liberari, nec Cæsaris jussione, nec summi Pontificis in Leopoldum intentata proscriptione, nisi persoluta tam ingenti pecuniæ summa, ut ea Leopoldus ducatum Stiriæ ac Niburgi emeret, cum comitatu Lintrii ac Welsii, Viennamque insuper muro novo cingeret, eique novam civitatẽ cum novis munitionibus adjiceret. Munst. refert, mutationem armorum à Leopoldo factorum, non evenisse causa belli Syriaci, Sed Prutenici, contra quos profectum Leopoldum (erant enim eo tempore adhuc increduli) in reditu armorũ insignia mutasse.

Tandem Leopoldus ex equo decidens, femur rumpit, vir profectæ ætatis; doloremque non ferens, ac proinde mortem instare sentiens, duobus filiis tradita Austria, in monasterio reliquum vitæ peregit, moriens Anno 1194. relinquens ex uxore Helena, aliis Geisa, filia Belæ III. Hungariæ Regis, liberos tres. Cunigundis uxor fuit Ottocari I. Stiriæ ducis, qui postea factus Leprosus, uxore sine liberis defuncta, ducatum vendidit socero Leopoldo VII. ut paulo ante dixim. Fredericus dictus *Catholicus*, quod per omnem vitam continuo bellum contra incredulos tantum gessisset, secutus in Syriam Cæsarem Henricum, ad urbem Damiatam innuptus obiit, anno 1198.

C.A-

CAPUT XXXV.

Præc. cap. xxxiv. continuatio.

LEopoldus VIII. natu maximus, Austriæ ac Stiriæ dux, cognomine *gloriosus*, ex uxore Theodora, propinqua Alexii Imp. Constant. imperio exacti, septem suscepit liberos. Fredericus natu maximus, (Leopoldus enim IX. puer obiit) nominis II. referente Sebast. Munst. in sua Cosmogr. ob fortia in bello pro Cæsare Frederico II. exhibita facinora, Rex Austriæ, Anno 1225. est renuntiatus; ut verò vult Joan. Cuspin. primus Austriæ dux, cui regalia sunt tributa ac concessa, idque primum à Cæsare Frederico II. Deinde ab ejus filio Henrico Rom. Rege, ut in sua Austria idem narrat, in vita hujus Freder. diploma ibidem Cæsaris Frederici, ac filii ejus Henrici, recitans.

Henricus verò filius III. natu, nominis III. Onuphrio IV. dux Melichii, aut Medlickii, vir (authore Cuspin.) erga parentes impius, in uxorem duxit Richardim, sororem Lodowici Thuringiæ Lantgravii, quæ ei peperit filiam hæredem unicam Gertrudim, primo nuptam Ladislao Marchioni Moraviæ, filio Regis Bohemiæ,

miæ, qui liberis non genitis mox obiit. Deinde nupsit Hartmanno Marchioni Badensi, qui harum nuptiarum causa, eo tempore partem Austriæ occupavit, quo Ottocarus Bohemiæ Rex, universam Austriam invasit. Peperit Gertrudis Hartmanno filium, ac filiam tantum.

Filius nomine Fredericus, Marchio fuit Badensis, ac causa matris, dux Austriæ, qui Anno 1250. collectis copiis regem Ottocarum, reliquosque Austriæ invasores, pellere conatus, parum profecit; profectusque tandem cum affine Conrardino Sueviæ duce, Neapolis in Italia Rege, multisque aliis viris claris, ad recuperandum utriusque Ciciliæ Regnum, quæ Carolus Andegavensium dux occuparat, sperans hoc confecto bello, se facile Conrardini aliorumque amicorum auxiliis Austriam recuperaturum.

Sed post adversam pugnam, à dicto Carolo per proditionem capti, in foro Neapolitano, ejus jussu, carnificis manu capita perdidêre, innuptique mundo excessêre, succedente Frederico, unica sorore Agnete, quæ primo nupsit Ulrico Carinthiæ duci; eoque sine liberis mortuo, Meinhardo Tyrolis comiti, cui filium peperit Henricum Carinthiæ ducem, ac Tyrolis comitem, & Elizabetham, uxorem Alberti Habs-

Habſpurgi comitis, filii natu maximi Cæſaris Rudolphi I. cui liberos 21. aut, ut alii volunt, 26. peperit. Cuſpin. vult Agnetem ſecundo non nupſiſſe Meinhardo Tyrolis comiti, ſed Ulrico Heuburgi comiti, infimæ ac imparis ſibi conditionis nobili.

Hic Fredericus, poſtremus è Babenbergicis, Auſtriæ dux, vir fuit vitæ diſſolutæ, ſed tamen admodum bellicoſus. Viennæ habitans, in hoc tantum incumbebat, ut mulieres & virgines formoſiores ſtupraret, ac cives gravi Tyrannide premeret. Quare tandem ab iis pulſus, collecto milite urbem obſidet, agroſque depopulatur. Cumque parum proficeret, Romam profectus, à Cæſare ac Papa (vitæ emendationem pollicitus) veniam impetrat; rediensque in Germaniam, quieſcere non potuit, concitatis contra ſe fratremque Henricum (qui paulo ante obierat) Hungaris, Bohemis, ac Bavaris. Contra Bohemos feliciter pugnat, ut & contra Hungaros, niſi victoriam propria morte cruentam, ſuiſque luctuoſam feciſſet. Dejectus enim juxta flumen Leiham ab Hungaris, quos cum paucis inſequebatur equo, antequam ſuccurri poſſet, interficitur, quanquam diverſas de ejus morte adferri ſciam cauſas. Primo duxit Gertrudim Brunſwichii ducis filiam, eamq; poſt triennium ob ſterilitatem repudiat, ſuper-

ſuperinducens Agnetem Ottonis ſenioris, ducis Meraviæ, filiam. Sed è neutra liberos reliquit, moriens anno 1246. Junii die 15.

Soror ejus Conſtantia, nupſit Henrico Miſniæ Marchioni, qui, mortuo Frederico, Auſtriæ dux fuit electus. Sed ab Ottocaro Bohemiæ rege, impeditus, in Auſtriam non venit. Huic filios duos Conſtantia peperit.

Soror ejus natu maxima Margaritha, primum nupſit Henrico Sueviæ duci, Roman. Imper. filio Cæſaris Frederici II. qui ante patrem obiit, cuique gemellos uno partu edidit, Fredericum ac Henricum, qui à Monfredo, filio notho dicti Cæſaris Frederici, ætatis Anno 12. veneno ſublati ſunt, ne ad regnum utriuſque Siciliæ (quod is mortuo patre Cæſare occuparat) viri facti, jure aſpirarent. Quumque brevi mortuo Henrico, Margaritha diu vidua permanſiſſet, tandem effœto, ſterilique corpore, iterum nubit Ottocaro, filio Primiſlai, Bohemiæ Regis, qui hac de cauſa mortuis Margarithæ fratribus, Auſtriæ majorem partem cum urbe Vienna occupat, ac per annos 26. ad imperium uſq; Cæſaris Rudolphi, Habſpurgici nominis I. poſſidet, donec ab eodem, (ut ſupra cap. xiij. narravimus) victus, ac occiſus, Auſtria cũ inde dependentibus provinciis imperio aſſe-

asseretetur, ac tandem Alberto, dicti Cæsaris Rudolphi filio, concederetur, apud cujus posteros in hunc meæ scriptionis annum 1662. permanere videmus. Ottocarus, nullam ex Margarita prolem generans, septimo post nuptias anno, eam repudiat, ac superinducta alia, veneno necat.

Agnes tertia Leopoldi VIII. filia, desponsata fuit Saxoniæ duci. Gertrudis, quarta, uxor fuit Henrici Lantgravii Missniæ, ac Thuringiæ, auctore Cuspin. in sua Austria. Sed hæc de comitibus Babenbergensibus, qui primum Austriæ Marchiones, deinde duces, postremo Reges, ac Archiduces fuere, satis.

CAPUT XXXVI.

Austriæ à Babenbergicis ad Habspurgicos translatio.

QUanquam supra cap. XIII. hanc rem perspicuè tractaverimus, non tamen præter rationem erit, imo ordini nostro lumen addet, paulo disertius hæc repetere, quæ eo loco pressius sunt narrata.

Quum igitur Leopoldus, Fredericus, ac Henricus, postremi Austriæ duces è familia Babenbergica, filii ducis Leopoldi VIII. qua-

quatuor relictis sororibus, earumque liberis, supremum diem, nulla relicta mascula prole, obiissent, stirps Babenbergicorum Mascula, posteaquam cc. ac circiter LXX. annos in Austria, cum laude regnasset, defecit.

Quæstio igitur inter dictas sorores, earumque è fratre Henrico neptem, Gertrudim Melchii ducem, de jure successionis in Austriæ Archiducatum oritur. Id enim utraque Austria tum juris habebat, ut exstincta virili stirpe, fœminæ sanguine propinquiores, ad clientale ejus beneficiũ admitterentur. Ladislaus Moraviæ Marchio, causa uxoris Gertrudis, cujus primus fuit maritus, à Cæsare Austriam petebat, obtinuissetque adjutus populi studiis, nisi paulo post, nullis creatis liberis, diem obiisset. Tum dictæ Gertrudis alter maritus, Hertmannus Marchio Badensis, Austriam sibi vindicaturus, partem ejus occupat. Sed Margarita, ejusque soror Gertrudis, sorores postremorum ducum, in Austriam provolant, ac administrationem Reipublicæ unanimi consensu arripiunt.

Placet primum populo, novarum rerum studioso, fæminarum dominatus, donec mutata voluntate, imperium earum pertæsus, principem armis requirere incipit. Pars Hertmannum Badensem, pars Misniæ

Misniæ Lantgravium, ducem petit. Destinant tandem communi concilio in Misniam legatos ad Lantgravium Henricum, Gertrudis maritum. Properat is (impetrato per Bohemiam à Rege comeatu) exiguo cum comitatu, in Austriam.

Detinetur contra datam fidem in Bohemia, à Rego Primislao, remissis Austriacis legatis, qui in Misniam fuerant ablegati, filiumque suum Ottocarum cum eis proficisci jubet, atque ut ab Austriacis in ducem inaugurraretur, à majori parte impetrat, ducta in uxorem duce eorum Margaritha, fœmina provectæ ætatis, ac sterili. Henricus interea Misniæ Lantgravius, moriente sine liberis uxore Gertrude, sponte Austria cedit, domumque revertit.

Non consentiisset Margaritha in nuptias adolescentis Ottocari, si tractata ab Hertmanno Badensi, uti decebat, fuisset. Is enim eam, quod sterilem sciret, contemnebat, nec eo loco, quo uxoris suæ amitam oportebat, habere didicerat; sed in ordinem redactam, sibi ac uxori parere volebat, non ferens, ut publicis muniis & negotiis aliqua se ratione misceret: quod ægerrime Margaritha ferens, in nuptias Ottocari Bohemi, admodum adhuc juvenis, facillime vetula consentit; illique occasionem, suis nuptiis occupandæ majoris Austriæ partis, præbet. Quod

Quod si Hertmannus uxoris suæ amitam, ut res postulabat, reveritus, Austriæ ducem appellari, ac primo saltem anno imperii gubernacula communicare potuisset; non est dubium, quin imperio delectata mulier, ab imparibus abstinuisset nuptiis, sensimque Hertmannus Austriæ ordinum, & amitæ Margarithæ consensu obtinuisset, quod postea nulla ratione adipisci potuit; sed competitorem nactus Regem Ottocarum, vicinum potentissimum, iniquis cum eo conditionibus Austriam partiri mox est coactus.

Reducta igitur Rex Ottocarus in potestatem majori ac meliori Austriæ parte, cum primaria urbe Vienna, arcem & aulam in ea regalem, quæ adhuc hodie conspicitur, ædificari curavit, ac in eadem diu habitavit, jacto etiam Franciscanorum in urbe cœnobii fundamento, sed quod morte præventus, absolvere non potuit. Cumque rebus stabilitis, nihil à quopiam periculi timeret, uxorem Margaritham, sterilitatem caussatus, repudiat, superinducitque Cunigundim, filiam Roffuslai Bulgariæ ducis, neptem Belæ Hungariæ Regis, iis persuasus, se à pontifice Romano (quod verum non erat) hujus rei faciendæ potestatem accepisse.

Cumque postea, palam veritate facta,

Ottocarus male audiret, quod contra Christianæ religionis decreta, duas uno eodemque tempore haberet uxores, hac se etiam cura ac crimine liberaturus, clam Margaretam, propinato ei veneno, è medio tolli curat.

Atqui hac ratione infelix mulier, fratres sororesque sine liberis secuta, ac intempestivi imparisque matrimonii incommodum experta, Gertrudi, è fratre Henrico nepti, ejusque posteris, Austriam possidendam reliquit: quæ post mortem Frederici Badensis, Austriæ materno jure Archiducis, Neapoli cum Conrardino capite plexi, sine ulla controversia ad Agnetem, dicti Frederici sororem, ejusque legitimos devoluta est posteros.

Quos cum Rudolphus Habspurgii comes, Cæsar nominis I. ab Ottocaro Bohemiæ Rege, summa cum injuria Austria pulsos videret, eundemque eo etiam arrogantiæ profectum, ut, contempta imperii majestate, de clientalibus Bohemiæ beneficiis, Cæsari sacramentum dicere nollet, ad Augustam Windelicorum, Germaniæ principum conventum indicit, citaturque gravissimis sub pœnis Rex Ottocarus, uti se sistat, ac de injustè occupatis imperii provinciis, neglectaque ejus majestate, rationem reddat.

Ridet

Ridet citationem Ottocarus, neminemque ad comitia, qùi pro se respondeat, mittit.

CAPUT XXXVII.

Prosecutio præc. cap. xxxvj.

INterim legati ab Austriæ ordinibus missi, Augustam ad Cæsarem, principumque conventum, perveniunt: (Philippus nimirum Carnorum ducis filius, Antistes Salsburgensis; Fredericus Prætovius, Stiriæ Marescallus; Bernardus Wolfgerdorfius, ac Ulricus Viechovius, Austriæ nobiles) & apud Cæsarem principesque gravissime de injuria crudelitateque Ottocari conquesti, docent, eum iniqui tituli jure Austriæ se insinuasse, Margaretam legitimam uxorem, Austriæ hæredem, superinducta pellice, repudiasse, ac tandem veneno sustulisse: Agnetem Badensem, filiamque ejus Elizabetham Tyrollensem, cum fratre Henrico legitima Austriæ hæreditate spoliasse, optimatesque complures in urbe Vienna, aliisque locis crudeliter trucidasse, ac sæpissime in innocentem populum sæviisse: Austriam, Stiriam, Carniolam, ac Windorum Marcam, imperii beneficia, cum Bela Hungariæ Rege, clam esse partitum, atque ut exteræ

nationis auxilio, Austriæ Archiducatum retinere, populumque duro jugo premere posset, ab imperio ac Cæsare defecisse.

Rogatum se omnium Austriæ ordinum auxilium advenisse, & ut à præsenti calamitate liberentur, enixè obsecrare: accepturos se eum principem, quem Cæsar, imperiique principes dedissent. Incumbere nobilissimæ ac pulcherrimæ provinciæ curam imperii humeris, clientes patroni auxilium implorare.

Decernitur communi principum sententia, legatos ad Bohemum mittendos, experiendumque, possetne Ottocarus sine armis ad officium reduci: sin minus, severè illi præcipiendum, ab Austria, cæterisque beneficiariis imperii provinciis, abstineat, sacramentum de Bohemia, illique subditis ditionibus, Silesia, Lusatia, Oppavia, Glagovia, ac Moravia, Cæsari dicat. Quod si recuset, armis cogendum. Mittuntur in Bohemiam viri principes duo, cum nobili comitatu, Henricus comes Walischenburgensis, præsul Basiliensis, ac Henricus Burchgravius Norimbergensis: qui non sine imperii dedecore ab Ottocaro excepti, indigna in Cæsarem imperiique principes probra, pro responso tulêre.

Decernitur omnium consensu statim bellum, ac Cæsari Rudolpho ad id juxta auxi-

auxilia. Armant ſe ex adverſo magno numero pro Ottocaro Bohemi, nec Germaniæ aliquot ei deerant principes. Nam Marchio Brandenburgi, ac dux Bavariæ, ob certas Cæſari Rudolpho infeſti cauſas, Ottocaro auxilia miſêre. Quod cum Cæſari clam non eſſet, Ladiſlaum Hungariæ Regem ſibi conciliat, Bohemo ob erepta aliquot loca inimicum, qui Cæſari viginti equitum millia in auxilium mittit, quibus cum ſuas imperiique conjunxiſſet vires, in Auſtriam contendit.

Prodit Rex Ottocarus non minoribus è Bohemis, Brandenburgiis, Sileſiis, Bavaris, Moravis, Auſtriæ ac Saxoniæ aliquot civitatibus adductis copiis. Sed de prælii eventu, Cæſaris prudentiam ac vim veritus, dubitans, interceſſione duorum hinc inde Antiſtitum, pacem cum eo facit; reſtituta Auſtria, dicto quoque de Bohemia cæteriſque ejus provinciis Cæſari ſacramento, ac in genua, dum hæc fiunt, ante Cæſarem ſedens, inſpectante Bohemorum, Hungarorum, ac Germanorum (labente in quatuor mundi partes, artificioſo Cæſaris tabernaculo, unius tantum clavi loco motione) exercitu, ut ſupra cap. XIII. latius expoſuimus.

Qua de re, ut indigna, ab uxore hominiquſque turbulentis, Rex Ottocarus acerbè acri-

acriterque reprehensus, violata pace, cum ingenti exercitu Austriam invadit. Exit contra Cæsar Rudolphus, Germanorum copiis, Hungarorumque auxiliis stipatus, & haud procul oppido Marchecco cum Ottocaro congressus, eum superat, occiditque. Deinde infesto exercitu Bohemiam invadens, ferro ac igne adolescentem Wenceslaum, defuncti Ottocari filium, petere pacem cogit, legesque pro sua imperiique dignitate dat; filium verò suum Albertum natu maximum Austriæ præficit, ac paulo post è communi principum imperii sententia, ordinumque totius Austriæ rogatu, ducem Austriæ renuntiat: utque in ea illi jus acquireret, uxorem impetrat Elizabetham, filiam Meinhardi comitis Tyrolis, & Agnetis Badensis, legitimosque solosque Austriæ hæredes, ut ex præcedentibus patet.

Cujus Alberti Habspurgici, exinde soboles ab Anno Christi 1282. quo Austriæ dux, à patre fuit nominatus, & anno 1284. inauguratus, usque in hunc meæ commentationis annum 1662. continua marium successione, Austriam felicissimè, æquissimè, summa cum laude rexit, ac quamdiu Deo (qui ei hanc, quam videmus, tribuit potentiam ac dignitatem, contraque multorum ambitiosam conservavit malignitatem,)

tem,)visum erit,reget,ac gubernabit. Dicti Alberti Habspurgici, Austriæ ex hac familia ducis, ac Archiducis primi, posteritatem, reperies supra cap. 14.

CAPUT XXXVIII.

Qua ratione vicinæ Austriæ provinciæ, quibus hodie Archiduces imperant, in eorum potestatem devenerint: & primum de Stiriæ ducatu.

STiria (cui Ciliæ comitatus annumeratur) quam olim nonnulli Japigiam, deinde Valeriam, dictam volunt, Austriam à septentrione respicit, dividiturque, uti ea, in superiorem, quæ Austriæ est contermina; ac inferiorem, quæ Mura fluvio, ac Carnithia, nunc Carinthia, separatur. Ab oriente Hungariam habet, ab occidente Bavariam, ac ditionem Salsburgensem, à meridie Carinthiam.

Est Regio admodum montosa; sed ubi ad orientem vergit, valles habet amplissimas, amœnissimas ac fertilissimas, quæ Dravo ac Mura amnibus, irrigantur. Mura in Dravum influit; is communes aquas in Danubium exonerat. Qui oppida inhabitant, Germanicè, qui cis Dravum agros

colunt, Sclavonicè, hoc eſt, Illiricè loquuntur. Multa per univerſam regionem, ac in civitate Cilia, Romanæ antiquitatis veſtigia reperiuntur.

Fuit olim Stiria Marchionatus, ut etiam hodierna demonſtrat ejus Germanica appellatio, Steirmarck/ ab imperatore Frederico Barbaroſſa in ducatum mutata, tempore Ottocari Stiriæ poſtremi Marchionis, ac primi ducis, qui in uxorem duxit Cunigundim filiam Leopoldi VII. Auſtriæ ducis: è qua cum liberos non genuiſſet, quod lepra infectus ab ejus concubitu abſtineret, ſocero Stiriam, ordinum conſenſu, circa annum Chriſti 1190. vendidit.

Sed cum paulo poſt Babenbergicorum in Auſtria ſtirps defeciſſet, Stiri Hungariæ Regis filium ducem legunt: qui cum ſe eorum moribus accommodare nollet, aut non poſſet, mox ab iis pellitur, ejuſque loco Ottocarum Bohemiæ Regem, Auſtriæ occupatorem, recipiunt; quo tandem (ut ſuperiori ſcripſimus cap.) à Cæſare Rudolpho victo, ac occiſo, Stiria cum univerſa Auſtria, ad filii ejus Alberti, comitis Habſpurgii, ac mortuo patre Cæſaris, venit imperium, cujus ſtirpi in præſentem uſque annum 1662. fideliſſimè ac feliciſſimè paret.

C A-

CAPUT XXXIX.

De Ducatu Carinthiæ.

DUcatus Carnithiæ, nunc corruptè Carinthiæ, à Carnis populis dictus, cujus pars est Carniola; admodum quoque est montosus. Ab oriente habet Hungaros & Stiros, ab occidente Bavaros ac Salsburgenses, à meridie Alpes Italiæ, à septentrione Austriam superiorem. Dravus amnis fere medium secat, ac per Stiriam Austriamque fluens, in Danubium labitur. Dravo, Murâque fluminibus, superior ejus pars montosa inclusa, peninsularis plane est.

Non destituitur minoribus fluviis, nec piscosis lacubus, qui amœnissimas ejus valles fructiferas reddunt, ac res ad vitam necessarias abunde proferunt. Primaria Carinthiæ civitas est fanum D. Viti. Hunc ducatum primus Austriæ junxit Otto Habspurgicus, Cæsaris Alberti filius, Rudolphi Cæsaris nepos, Stiriæ post matris mortem, è fratrum divisione dux, idque circa Annum Christi 1330.

Cum enim Henricus Carinthiæ dux, ac Bohemiæ Rex, moriens, unicam tantum filiam hæredemque Margaritham, facie

 insi-

insigniter deformem, reliquisset, eaque nullis è primo marito relictis liberis, secundo unicum peperisset filium hæredem, (ut ex superioribus patet) Meinhardum Bavarum, Tyrolis comitem, Carinthiam ad imperium devolutam (quod filium dictus Henricus nullum reliquisset) primus Ludowicus Bavarus Cæsar nominis IV. deinde Carolus Lutzenburgius Cæsar etiam nominis IV. ut uterque liberis suis vicinos Austriacos Principes conciliaret, ac devinceret, dicto Ottoni Habspurgico, Stiriæ duci, Carinthiam ac Carniolam concedunt.

Imprimis verò libenter Cæsar Carolus IV. quod Otto sororem suam Annam, secundis nuptiis in uxorem duxisset, veritus, nisi Austriacos sibi conciliasset, ne aliquando è formula concordiæ Iglaviensis, Bohemiam repeterent, bellumque, se mortuo filiis moverent. Cæsar Ludowicus IV. Carinthiam Ottoni, excepto Palatinatu, concesserat, quod filii sui Ludowici Bavari, Marchionis Brandenburgii, nuptias cum deformi Margareta, Tyrolis comite molitur, conatus hac munificentia filio vicinos Austriacos amicos relinquere.

Ex hoc tempore Carinthia, Carniola, quæque inde dependent, Austriæ juncta fuere, atque in hunc meæ scriptionis annum

num 1662. amicissimi, & fidelissimi subditi manserunt. Admirabilem rationem inaugurandi apud Carinthios principis, ac cum nulla alia orbis terræ ditione communem, si quis scire desiderat, consulat Sebast. Munst. Cosmogr. in descript. Carinth.

CAPUT XL.

De Comitatu Tyrolis.

Comitatus Tyrolis ferme sedem habet in ipsis Italiæ Alpibus, quæ Bavariam ab Italia separant. OEnipons, vulgo Inspurg / comitum est sedes, ubi & curia est amplissima, ad quam incolæ à provincialium judicum sententia, cum libet, provocant. Connumeratur huic comitatui inter multas præclaras civitates Tridentum, OEcumenico postremo Concilio celebre ac famosum, quod partim Austriacis comitatus Tyrolis, partim Antistiti suo paret. Incolæ omnes propter situm Germanicè & Italicè loquuntur.

Auctor est Joan. Cuspin. Tyrolim, quotannis principi suo è re metallica pendere, trecenta millia aureorum nummûm. Habet comitatus Tyrolis ab Oriente Austriam, ab occidente Helvetios, à meridie Italiam, à septentrione Bavariam.

Pervenit in Austriæ principum potestatem anno Christi 1360. opera Rudolphi Habspurgii, Austriæ ducis, filii Alberti Pii, seu contracti, qui è Canonico Pataviensi factus est (fratribus sine liberis masculis exstinctis) Austriæ dux. Rudolphus enim, priore uxore Catharina, filia Cæsaris Caroli IV. defuncta, duxit deformem Margaritham, duorum maritorum viduam; filiam Henrici postremi Carinthiæ ducis, in cujus possessionem (quod patruus Otto sine liberis decessisset, à Cæsare Carolo IV. fuit confirmatus; morienteque paulo post Meinhardo Bavaro, Lodowici ac Margarithæ uxoris suæ filio, sine liberis, testamento ab eodem Tyrolis comes, dictus Rudolphus scribitur, idque odio patruorum Bavariæ ducum, quibuscum convenire nunquam potuerat Meinhardus.

Marchionatus verò Brandenburgicus, qui etiam à Meinhardo ad imperium erat devolutus, Cæsar Carolus IV. filio suo Joanni Gortlitzii duci, attribuit, à quo tandem, dono Cæsaris Sigismundi, pervenit ad Burchgravium Norimbergensem.

Atqui hac ratione Rudolphus Austriæ dux, à Cæsare Carolo IV. in Carinthiæ ducatu, Tyrolis comitatu, quæque hinc dependent, confirmatus, & inauguratus, familiam Austriacam harum ditionum accessione

cessione

ceſſione ampliavit, quæ auro, argento, ferro, plumbo, argento vivo abundant, ſalis quoque coctione fœcundiſſimæ ſunt.

Hiſce de rebus dux Rudolphus Cæſari Carolo IV. grati animi beneficium repoſiturus, eum in Italiam proficiſcentem, cum quingentis ſuo ſumptu comitatur equitibus. Sed Mediolani hauſto veneno (ut quidam volunt) extinguitur, anno Chriſti, 1364. nullis relictis liberis, ſed fratribus, quibuſcum conjunctiſſimè ſemper vixerat, Alberto, ac Leopoldo probo, relicta hæreditate ampliſſima.

Alberto ceſſit utraque Auſtria, Stiria, Carinthia, Carniola, Windorum ac Terviſianorum marca: Leopoldo, Tyrolis, Burgovia, Suevia, Helvetia, Sundgovia, Ferretta, Briſgovia ac Alſatia. Sepultus eſt Rudolphus quarto nonas Decemb. dicti anni, Viennæ, in templo D. Stephani, quod à patre cæptum, juvantibus fratribus abſolverat, primus omnium in Crypta, quam ſibi poſteriſque in choro ædificari juſſerat, conditus eſt.

Ejus annuas exequias ſemper 24. Julii, die quo Mediolani obiit, Viennæ Canonici ſummæ Eccleſiæ, ac præfecti Academiæ (quam etiam fratrum auxilio inſtituit) gratæ memoriæ ergo, magna piarum Ceremoniarum cum ſolemnitate ac religioſi populi concurſu celebrant. CA-

CAPUT XLI.

De Istria, seu Historia, foro Iulii, porta Naonis, Goritia, ac Croatia.

QUod attinet ad Istriam seu Histriam, forum Julii, portam Naonis, Goritiam, Croatiam, marisque Adriatici, ac citra ultraque Alpes sitas provincias, partim ab Austriacis, partim à Venetis hoc anno 1662. possessas, cum neuter certa successionis formula innitatur, jure belli occupatas retinent, factoque inter se fœdere, acquisitum hac ratione jus, servatis amicitiæ fœderumque legibus defendunt.

Major fori Julii ac Histriæ pars, Venetis paret, ut eorum ditioni inter septentrionem ac occidentem contermina. Verum ubi à contraria plaga, Carniolam ac Stiriam Austriacas ditiones attingunt, juris Austriaci jam dudum sunt facta, ut sunt Palatinatus Goritiæ, Monfalconium, Spilinbergium, Scardona, Jadera, Aquilea, Tergestum, Maranum, Gradisca, ac complures aliæ ejus tractus civitates, olim foro Julii attributæ, nunc Austriæ Archiducibus parentes. Amnis enim Tiliaventum, Venetæ ac Austriacæ ditionis est terminus.

Istria ab oriente habet Croatiam, ab oc-

casu

caſu Carinthiam, à ſeptentrione Alpes, à meridie mare Adriaticum. Croatia, olim Liburnia, (ut plerique opinantur) à ſeptentrione Savum amnem habet, à meridie mare Adriaticum, ab occaſu Carinthiam, ob oriente Auſtriam. Ditiones quæ à nobis jam breviter ſunt recenſitæ, omnes ſunt veteris Illyrici ac Dalmatiæ partes, haud procul ora maris Adriatici, Italiæ oppoſitæ.

CAPUT XLII.

De Bohemia, ac Hungaria.

BOhemia verò ac Hungaria, Auſtriacis acceſſere, nuptiis Ferdinandi Habspurgii, Archiducis Auſtriæ, Rom. Imperatoris, hac ratione. Ladiſlaus Rex Bohemiæ & Hungariæ, primo duxit viduam Matthiæ Corvini Regis Hungariæ. Eaque conſenſu ſummi Pontificis ob ſenium repudiata, ſecundo duxit Annam filiam Candalæ ducis, apud Vaſcones, Francorum Regis Ludowici XI. propinquam, è qua filium ac filiam moriens reliquit.

Filius fuit Ludowicus Bohemiæ ac Hungariæ Rex, qui duxit Mariam Auſtriacam, ſororem Cæſaris Caroli V. ac dicti Ferdi-

Ferdinandi Austriæ Archiducis: Sed è qua nullis relictis liberis periit anno 1525. infeliciter pugnans contra Solymannum, Turcarum Regem.

Soror ejus Anna, filia unica dicti Regis Ladislai, fratre Lodowico sine liberis mortuo, Hungariæ ac Bohemiæ Regina, fratre vivo nupserat dicto Ferdinando Habspurgico, Austriæ Archiduci, fratri Germano Cæsaris Caroli V. cui numerosam peperit prolem, ut alibi patebit.

Parent vero dicta regna ejus successoribus, Austriæ Archiducibus, in hunc usque annum 1662. pacatissimè & fidelissimè, iis exceptis ditionibus, quas vi & armis suo subjecit in Hungaria imperio, dictus Solymannus. Universa autem Bohemia in hunc usque diem principes agnoscit Austriacos, eorumque nutu tranquillimè ac justissimè reguntur. Vide quæ de his aliisque latius dicturi sumus, in 2. part. hujus tractatus. Hæc hîc annotasse satis.

C A-

CAPUT XLIII.

De titulo Archiducis; quando, & à quo, Austriæ sit concessus.

INter omnes Christiani orbis provincias, nulla in hunc usque diem exstitit, quæ præter Austriam, Archiducis titulo sit, aut fuerit decorata, cum tamen nihil hactenus sit omissum, quod ad acquirendam, aut augendam dignitatem auctoritatemque facere, aliqua ratione posset, tam variis excogitatis majorum, minorumque regulorum, ac nobilium virorum titulis, alloquendi salutandique Epithetis, utrique sexui accommodatis, ut numero obruti, vix qua ratione civis aut senator sit salutandus, distinguere valeamus:

Taceo de iis, quos aut avita, aut primum acquisita dignitas splendorque, pro rei natura, aut officii merito, vult honorari ac salutari. Etenim inter mediocris conditionis cives, hodie tantus est fastus, tantaque arrogantia, ut & ii, qui famulum alere aut nequeunt, aut non debent, unica contenti ancillula, ab ea se *dominus meus*, & *domina mea*, vocari jubeant: Herus aut hera appellari, rusticum censent.

Quam autem temperantes & modesti olim

olim hac in re vetustissimorum, amplissimorumque Regnorum, ac Rerumpublicarum nobilissimi gubernatores fuerint, patet ex historiis. Nostrum autem sæculum, quod præterita, etiam omnibus in rebus, sapientia, prudentia, judicio, inventione, ac pietate, se superasse sibi persuasit, soli huic inani succumbens adulationi, frǫnum impotenti libidini non potest imponere, præsertim cum sexus, ætas, aut conditio requirunt, ut modestiæ ad pudoris ratio habeatur.

Sed hæc de iis tantum dicta velim, qui adulatione, ignorantia, aut ambitioso stultoque astu inducti, quod non decet, appetunt, ac admittunt. Alia est ratio principum virorum, qui à terrarum orbis Monarchis, dignitate augentur, aut eorum, qui è mediocri loco, ob magna in principem, aut Remp. merita, ad magnos honores evehuntur, quibus concessus splendoris titulique locus, sine invidia ac adulatione est tribuendus.

Dubitant plerique, quis primus Austriæ principum, Archiducis titulo sit usus, ac quo auctore. Nonnulli Cæsarem Fridericum II. alii III. primum fuisse, existimaverunt, tituli Archiducis usurpatorem, eo à sacris dignitatibus ad profanas translato, iisque communicato, cum aliquot ejus

præ-

prædecessores, Duces se tantum Austriæ appellasse, ac scripsisse conspicerent.

Fuit forte inter alios, hujus opinionis Onuphr. Panuin. diligentissimus nostri seculi, vitæ Cæsarum Genealogicus scriptor, quem observavi primum omnium Austriæ principum (inter eos qui Cæsares fuere) Archiducis titulum tribuere Maximiliano I. Cæsari, ejusque à filio nepotibus Caroló V. ac Ferdinando Cæsaribus, cæteris verò Austriæ principibus Cæsaribus, Ducis Austriæ tantum dare titulum, ac si Cæsar Fredericus III. Maximiliani I. pater, omnium primus hunc sibi posterisque sumpsisset titulum.

Fateor etiam, inter Joan. Cuspin. Cæsares, Archiducis me appellationem non reperiisse, nisi semel: quo de loco statim scribemus. Nec Sebast. Munst. in sua Cosmogr. hac de re quicquam sibi acquirendum existimavit, contentus sententia Wolg. Lat. quem adfert in descriptione Viennæ Austriæ, asserentis Cæsarem Fredericum II primum nominasse Austriæ Archiducem, Fredericum Austriæ ducem postremum, è familia Babenbergica; cui ego libenter assentior; idem reperiens apud Joann. Cusp. in vita Cæsaris Frederici II. his verbis:

Addam

Addam unum, quod pœne excidisset. Hic enim Fredericus II. imperator, domum Austriæ mirum in modum ornavit, extulit, atque auxit: Austriam cor, ac Clypeum sacri Romani imperii appellitans, quasi scilicet fatale esset Fredericis imperatoribus, Austriæ principes efferre; è cujus domo multi olim prodituri erant imperatores, duoque post Frederici Cæsares. Fredericus enim I. imperator Henricum, Leopoldi filium, è Marchione, ducem creavit, novisque armis atque insignibus, quæ hodie cernuntur, condecoravit, cum prius Marchio Orientalis, è Romana legione Alaudarum, quæ juxta ripas Danubii, incursiones Herulorum, Quadrorum, Marcomannorum, ac Dacorum arcebat, Alaudis uteretur pro insignibus suis, quod in vetustissimis annalibus sine auctoris nomine legi ac deprehendi: licet quidam contendant, Leopoldum Henrici prædicti filium, cognomine virtuosum, arma, ac nova Austriæ insignia adeptum, cum strenuè apud Damascum pugnasset.

Nam in Hierosolymitana expeditione cum imperatore fuerat, ac rediens magnam S. crucis particulam secum attulerat, quam monasterio S. crucis donavit, à patruo suo fundato, cum paulo post ipse post patris obitum fundaret in Austria insigne illud in campo liliorum monasterium: Sed ejus genitor Henricus, cognomento Jasomergott/ *à verbo quod semper in ore habebat, significante, ita me Deus bene amet, Cœnobium illud insigne Scotorum Viennæ fundavit, donariis auxit, ac locupletavit, ibique sepul-*

ſepultus hodie cernitur. Hic autem Fredericus II. imperator Fredericum Auſtriæ ducem, cognomine bellicoſum, magis extulit, eumque Archiducem creavit, cum inſignibus Regiis. Nam pileo ducali adjecit ſertum pinnitum, ut noſtri loquuntur, ab antiquis corona roſtrata appellata, quam ſuperne diadema Regium ſemicirculis aureis, cum inſigni crucis cingit: Solaque Auſtria Archiducatu clareſcit, cujus privilegium, immunitates, ac libertates Petrus de Vineis, imperatoris Frederici II. Epiſtolarum magiſter, lib. 6. Epiſt. 26. ubertim explicat. Hactenus Cuſp.

Munſt. hac de re, in Geneal. Auſtr. ſtirp. Babenb. ſcribens, dicit, poſtremum hunc Fredericum Auſtriæ ducem, è ſtirpe Babenbergica, à Cæſare Frederico II. Anno 1225. ob fortem fidelemque belli tempore navatam ſibi operam, Regem Auſtriæ fuiſſe creatum, ſervato tamen imperio jure patronali, eandemque mox dignitatem illi fuiſſe ademptam, ab eodem Cæſare, anno 1236. quòd promiſcue in omnes graſſaretur, tutumque latronibus, prædonibus, ac publicarum viarum infeſtatoribus refugium, in Auſtria daret. Quare proſcriptus, ac oppugnatus, tandem facta pace, traditaque Cæſaris filio Henrico in uxorem, ſorore Margaritha, in gratiam recipitur, Regioque abolito, Archiducis titulo cohoneſtatur.

CAPUT XLIV.

Ante tempora Frederici III. tituli Archiducis, rarior usus.

DE hujus igitur tituli novitate, nullus mirari debet, qui Cæsaris II. solertiam & astutiam bene consideravit, ingentiumque in viro virtutum ac vitiorum concursum, cognitum habuerit. Latinam enim, Græcam, Saracenicam, (quod hoc militum genere contra Italos præcipue uteretur) Gallicam, Italicam, ac Germanicam percalluit linguam.

Quid igitur mirum, eum virum, novum hunc titulum ab Ecclesiasticis dignitatibus sumptum, (quibus per universam vitam satis semper fuit iniquus) profano ordini, suo jure communicasse? Cum igitur è tribus clarissimis hujus seculi Germaniæ scriptoribus, Cusp. Lat. ac Munst. constet, quis, quo tempore, ac qua de causa, primus Austriæ archidux sit creatus, nemo posthac amplius hanc rem in dubium trahens, eam Frederico III. aliis IV. attribuat, præsertim cum quartus accedat, aliqua etiam ratione testis, è quo cæteri tres, ut antiquissimo scriptore, sua videntur mutuati, Petr. de Vineis.

Equi-

Equidem inficias ire nolim, nec possum, Habspurgicos principes paucos ante tempora Cæsaris Frederici III. qui rerum in Austria sunt potiti, Archiducis titulo esse usos, nolente fortassis Rudolpho I. Cæsare, ut filius Albertus alio quam ducis uteretur titulo, ne subito è Habspurgensi comite, in tam amplæ ditionis possessione, cæteris Germaniæ principibus prælatus, insuper omnes, tituli dignitate & novitate, cum non exigua multorum invidia, vincere velle videretur, non defuturam judicans successoribus, justam resumendi sine invidia Archiducis tituli, Austriæ semel concessi, occasionem, nec opportunitatem; quod primum Albertos, ab altero Cæsare, Austriæ duce ortos, fecisse apud quosdam legimus.

At verò qui è secundo natu sunt orti filii, titulis usi ditionum, quæ sibi in partitione paternæ hæreditatis obvenerant, ducis tantum Austriæ titulum semper præposuere, relinquentes archiducis titulum natu maximo, ejusque successoribus: qui cum in Ladislao posthumo Habspurgico, Alberti filio, defecissent, tandem omnes Austriacorum Habspurgensium hæreditates ad unum pervenerunt Fredericum Cæsarem nominis III. Maximiliani I. Cæsaris patrem, è minimo natu fratre ortum: qui, de-

defuncto sine liberis fratre Alberto, compositoque, quod is excitârat, per Austriam civili bello, Archiducis titulum ad se, cum ditionum hæreditate, devolutum, resumpsit, ad posteros transmisit, atque exinde omnibus, quocunque etiam loco natis, manere voluit, ducis titulo (quod ad Austriam attinet) in familia, ac successoribus omnibus, plane abolito ac exstincto.

CAPUT XLIV.

Austriæ, ditionumque illi junctarum privilegia, confirmata à Cæsare Carolo V. Publicis Germaniæ comitiis, Ausspurgi celebratis, Anno Christi cIↃ IↃ XXX. VIII. *die mensis Septemb. è lingua Germanicâ, in latinam Epitomen, hac ratione contracta.*

CArolus Dei gratia, &c. Confirmat Cæsar Carolus V. ac rata, firma, stabiliaque habet, omnia Austriacorum vetera privilegia, ac immunitates. Liberantur judicio imperiali, (cameram imperialem vocant) nisi libera voluntate, lecto è suis judice, ibi litigare maluerint, vocati ad comitia imperii, nisi voluerint, sistere non se tenebuntur Austriaci, quique in hanc migra-

migrarint ditionem, principi nulli, præterquam ſuo, obedientiam debebunt. Licebit Auſtriæ Archiducibus, aut è nobilitate, aut è plebeis, honeſtis tamen viris, Judices ac rerum adminiſtratores legere.

Si quis Auſtriacus feudum imperii obtineat, aut aliquid imperio ſubditum oppignoratum teneat, quod olim Auſtriaci juris fuerit, non poterit contra hujuſmodi hominem agi in judicio imperiali, ſed in Auſtria erit conveniendus, eaque (ſublata omni extra Auſtriam provocatione) ſtandum erit ſententia, quæ in Auſtria feretur. Denique ab omni alterius principis, etiam Cæſaris imperio, judicio, dominio, evocatione, tributi impoſitione, Juriſdictione, provocationeque abſolute liberantur, arreſtumque (ut loquuntur) in Auſtria conſtituitor.

Non ſolum Auſtria, ſed etiam omnes illi conjunctæ ſubditæque regiones, cum ducatu Wittenbergico, ac Tecque, quæque in poſterum Emptione, hæreditate, bello, aut alia de cauſa ei adjicientur, generali unicoque Archiducatus titulo cenſebuntur & appellabuntur, utenturque (exceptis veteribus noviſque immunitatibus) omnibus iis privilegiis, quibus cæteri utuntur imperii principes.

Liberat Cæſar Carolus V. Auſtriacos

iis ſervitutibus, quibus eos imperio ſubjecerant, ac devinxerant, eorum eo tempore principes, Bela Hungariæ, Ottocarus Bohemiæ Rex, ac Fredericus Babenbergicus Auſtriæ dux proſcriptus, & quicunque alii ſimilia fecêre ac admiſêre. Denique Auſtriacos in integrum reſtituit, deperditis privilegiis, ob rebellionem anno Chriſti cIɔIɔxxv. à Ruſticis motam.

Tollit quoque dictus Cæſar Carolus V. in ſempiternum, quicquid dictis Auſtriacorum privilegiis, ac immunitatibus, ulla ratione contrarium eſſe poſſit, nullis obſtantibus obligationibus, litteris, tabulis, aut aliis quibuſvis Juris factique vinculis, ea omnia auctoritate ſua imperiali reſcindens, tollenſque.

E contra in ſtatu ſuo confirmans, quæcunque olim Auſtriacis fuêre collata à piæ memoriæ Henrico IV. (quibus inſeruntur litteræ Julii, ac Neronis Cæſarum) Henrico V. Frederico II. (quibus inſeruntur litteræ Frederici I. Cæſaris, patris ejus) Rudolpho I. Alberto Cæſare, ejus filio, Ludowico IV. Carolo IV. Wenceſlao, ac Sigiſmundo Cæſaribus.

Poſtremo etiam Cæſaris Frederici III. aliorumque quorumcunque principum majoris, minoriſque dignitatis, atque auctoritatis privilegia, omnia hæc rata firmaque

que in æternum, ſine ullius contradictione, eſſe jubens, volenſque; magna ingentique conſtituta pœna, ſi quis vel ſemel de his diſputare, quæſtionem ac controverſiam movere auſus fuiſſet, eaque ſecundum tenorem propriorum verborum ſimpliciter obſervari præcipiens.

Actum Auguſtæ Vindelicorum (hodie Ausspurg dicta) anno, die ac menſe, ut ſupra. Subſignatum erat, Carolus: ejuſque maximo munitum obſeratumque, conſueta ratione, ſigillo.

CAPUT XLVI.

Quibus mediis Auſtriaci principes, ad ſummum honoris faſtigium aſcenderint.

QUod ſi quis etiam penitius perſcrutari vetit, qualiter Auſtriaci principes, poſt varias majorum ſuorum conditiones (origo enim, ob nimiam vetuſtatem, præter veriſimiles conjecturas nil habet) ſucceſſiones, rerumque converſiones, antequam ad iſtud, in quo hodie conſpiciuntur, faſtigium conſcenderint, præcipue verò quam bonis artibus, atque immenſo labore, ab Anno

Christi cIↄccccLXXVIII. usque in præsentem annum cIↄIↄcLXII. quod est intervallum CLXXXIV. annorum, divina dispositione inter adversa ac prospera variè jactati, & à potentissimis Christiani, Mahumetanique orbis nationibus, junctis subinde viribus, opibusque, ingenti apparatu oppugnati, ad hanc potentiam juste pervenerint.

Rationem felicissimi, hujus progressus veriorem, nec artem compendiosiorem invenies, quàm Austriacos, admirabili pro maxima parte concordia, eadem calcasse vestigia, incessisse via, pressisse semitas, coluisseque leges; eundem omnes esse veneratos divini numinis cultum, iisdemque relligionis Catholicæ Sacramentis colligatos, indissolubili nexu cohærere, ac proinde nil mirum, si cumulum laudum, honorumque majorum suorum, in immensum auxerint, stabili firmoque decoris familiæ fundamento excelsis animis inædificare pergunt. Hæc intelligere & conari, divinæ scholæ discipuli est.

Non enim tutior adhuc via, certiorque reperta est ratio, qua Respublicæ ac Regna, ad senium aliquando perventura, melius stabiliri possint, quam cum principes, conservandis majorum legibus enixè student. Legum autem omnium caput & fundamen-

damentum eſt relligio, prodita divinis oraculis, interpretata ac non intertupto conſenſu obſervata, per majorum manus, ſanęque mentis animique hominibus, per ſigna, partim Res divinas exhibentia, partim ſignificantia, gratis oblata traditaque. Fucatus enim ſimulatuſque Dei cultus, ejuſque innovandi flagrans ſtudium, ex effreni mentis ſinu prodiens, cum ſummis tantum innatet labiis, religionis arcana, captum humanum ſuperantia, contemnit, cultum externum, ac qualiacunque ſigna pro ludicris ſcenarum habet fabulis.

Hæc vera eſſe, omnium ſuperiorum temporum docent exempla. Etenim apud ſinceræ mentis Dei cultorem, veram videbis pietatem, quam rectiſſime Cicero *omnium virtutum* vocat *fundamentum*, ac proinde apud hos, leges amore coli, diſciplinam virtute ſtabiliri, generoſitatem probitate conſiſtere, hocque ſatellitio juſtitiam, (cujus Cicero fundamentum ſtatuit *fidem*) ſartam tectam unicuique ſuum tribuere, ſubditos defendere, ignavos excitare, novatores coërcere, hoſtes repellere, vim violentiamque quacunque ratione intentatam vitare ac diſſolvere.

Fucati cultoris animum, ſi penitus introſpexeris, ipſam cernes impietatem, omnium errorum vitiorumque matrem,

ac proinde momenta relligionis parvi fieri & contemni, legum violentam auctoritatem, disciplinam instabilem, probis incommodam, ac non raro noxiam, justitiam venalem, avaritiam, ambitionem, simulationem, ac invidiam rerum Dominos, unde tandem inextricabilibus implicati negotiis, nervos Reipublicæ, si non plane succidi, certè insanabili vulnere debilitari sentient; in studia subditi contraria abibunt, melior saniorque pars alienabitur; religionem mutando perdent. Succedit generositati infida vafrities; probitati versutia, è simulationis officina prorepens: vis vero ac violentia, variis se insinuantes artibus, in apertam tandem Tyrannidem prorumpunt, divina humanis miscent, nilque incontaminatum relinquunt.

Vera, qui historias evolverunt, me scribere norunt; neque solum Hebræorum ob dictas causas populo, sed maximæ terrarum orbis parti hæc obvenisse, sciunt. Pauca enim regna, paucioresque Respublicæ, integra stabilique valetudine ad perfectam senectutem provectę, senio defecêre: complures ante absolutum justæ ætatis decursum, aut ipso vigoris flore, dictis morbis interiêre.

Quarum rerum testimonia, an non &

nostrum

nostrum exhibuit seculum illustria? Divino procul dubio munere, Hispania atque Italia, aliorum doctæ ærumnis incommodisque, quantum potuêre, leges divinas ac humanas, à majoribus acceptas, severâ sapientique ratione, antiquo in statu auctoritateque conservant: unde Italiam florere, Hispaniam supra omnia Europæ regna caput extollere, opibus crescere, numerosissimis potentissimisque, quibus ambitur, hostibus, fortiter viriliterque resistere videmus; cæteris decrescentibus, aut veterem potentiam, partamque à majoribus auctoritatem, ægre tuentibus.

Tantilli res est negotii, lætam domi pacem, aut perpetuum habere bellum; cum omnibus idem sentire, aut cum singulis singula amplecti; invidere nemini, aut livido oculo defluentem ex alto, in alterius sinum agrumque, celestem aspicere rorem, favoremque; certum è sanæ mensis dictatu, in quem collimemus, figere scopum, aut cum erraticis erronibus cæca ratione, ægrotaque mente vagari, sensibus dispalari, aliis nec sibi ipsis quietem dare.

CAPUT XLVII.

Causa perpetuitatis stemmatis Austriaci est pietas, & concordia in orthodoxa relligione.

SI igitur roget aliquis, qua maxime ratione principes absolute imperantes, nec regni negotia soli procurare valentes, duraturam imperii quietem, legum morumque inconcussam stabilitatem parare poterunt?

Resp. si Academiæ auctorem audis, principe Philosophante; si Christianæ Philosophiæ Doctori aures præbes, Regnum Dei, ejusque adipiscendi rationem, quam vocat justitiam, quærendo; si ab utroque dissentientes, principe nunc leonem, nunc vulpem imitante.

Philosophatur princeps, cum ad utriusque justitiæ normam, generoso sua ac forti dirigit animo. Id autem rectè fieri ægerrimè potest, nisi ea sit præditus animi perspicacitate, mentis vi, judicii acrimoniâ, ac rationis lumine, ut omnium, qui arcana secum ac communia pacis bellique tractant concilia, muniaque, conditiones, mores, indoles, atque ad virtutem vitiaque proclivitates habeat notissimas. Diversissimis enim

enim homines conditionibus, si uspiam terrarum, in Principum aulis, familiis, conclavibus, ac cubiculis versantur.

Improbi quidem adulatione, simulationeque se insinuant, ad omnia mutabiles, temporibus, hominibusque, ut res privatas augeant, servientes, clam ac palam, bonis malisque artibus ad summa nitentes; probi verò vocati tantum intrant. Facile autem internoscuntur. Malis enim utentes artibus, omnia commodo & utilitate metiuntur; hacque de causa, factionibus implicati, amicitias his servituras tantum admittunt, avaritiâ & ambitione aguntur, invidia anguntur, mordent, traducunt, ac malè loqui flagrant, denique è principis intricatis negotiis, Reipublicæque tumultibus, rem facere, potentiam stabilire, auctoritatem parare, similiaque malignæ prudentiæ secreta concilia, cum sui similibus inire videbis. Bonis innixi artibus, hoc solum ob oculos habent, principis ut dignitas existimatioque, publica verò quies ac bonum, rebus omnibus præferatur. Hi sine invidia, factione, ac avaritia res principis populique tractant, opes honoresque sibi nec suis defuturos, salvo principis Reipublicæque statu, prudenter judicantes.

Regnum Dei, ejusque justitiam princeps quærit, cum probitatem ac innocen-

tiam sectatur, pietatem relligionemque non simulatè colit, nullaque de causa honorum è gradu divelli se, nec semitis educi sinens, leonem vulpemque imitatur, cum justitiam probitatemque omnibus in actionibus palam prætendens, vim in abdito parat, ac, ut omnia depravatæ voluntatis suæ cæcis affectibus pareant, omni arte molitur.

Quos verò è tribus, Austriaci Principes sint secuti, historicorum volumina perlegito; & luce meridiana clarius apparebit, nil principibus Austriacis in relligione fuisse constantius, pietatis cultu sincerius, legum conservatione diligentius; disciplina efficacius, erga justitiam sanctius, fide continentius, in communi vita temperantius, nec ad parandam augendamque auctoritatem prudentius. Proinde nil mirum, si capitaliores nunquam habuerint, nec habeant hostes, quam veterum religionis, legumque contemptores, disciplinæ perturbatores, impios, similesque impuræ vitæ atque ægrotæ mentis homines.

Quam verò amarint continentiam, temperantiamque, Aulæ eorum frugales & modestæ, matrimoniaque læta sobole foecundissima, loquuntur. Hinc in bellis (si summam finemque spectes) præsenti auxi-

auxilio Dei ſemper adjutos reperies, multaque alia cælitus accepiſſe dona, quibus non ſolum Auſtriacorum Regna, ſed corpora ac mentes divino nutu agi, regique, judicare poſſumus. Vide quæ dicemus in 3. part. 5.

Quid igitur mirum, ſi tredecim Cæſares ex hac familia Germani quæſierint? Si iſti, (diverſa quanquam fortuna) cum laude atque auctoritate præfuerint? Hæreditarias ditiones, imperii majeſtatem limiteſque, maximis rebus geſtis defenderint? ita ut veriſſime Auſtriacos à ſummo Numine ſuſcitatos protectoſque dicere poſſimus, Dei ut eſſent dextera, qua Catholicæ religionis antiquus ſtatus, ac à Jeſu Chriſto per majorum manus ad nos manans veritas, defenderetur, contraque innumerabiles conjuratos hoſtes protegeretur; falſitas vero, mendacium, atque impietas, hydræ nunquam quietæ, compeſcerentur: boni ac probi haberent, ubi tuto deliteſcerent; mali & improbi, quod horrerent ac reformidarent.

CAPUT XLVIII.

Supremi principes Vasalli sunt incarnati Regis Christi. Quanta inde fidelitatis obligatio in principibus, erga Regnum domini sui.

NEc immerito Austriaci principes tantam curam ac sollicitudinem, pro Ecclesia Dei gessêre. Consideraruntse vicarios esse, incarnati Regis Jesu Christi, cujus regnum in terris dilatare, ac defendere, armis & sanguine teneantur. Nimis enim enormiter aberrant supremi principes, si privatum tantummodo securius, latiusque imperandi fastum, ad curam suam pertinere arbitrantur; dominici interim Regni, hoc est, Ecclesiæ incrementa, ac decrementa, susque deque ferant. Cogitandum etiam atque etiam supremis principibus est, non ita se esse rerum dominos, quin dominum se superiorem agnoscere, & colere teneantur. Illius Vasalli sunt, à quo coronam, & sceptrum, vitamque ipsam fiduciario seu feudatario jure receperunt.

Quis verò nesciat, primam esse Vasalli legem, magnitudinis suæ auctorem venerari, fidemque & obsequium præstare patrono

trono suo? cujus tam arcta est obligatio, ut ei periclitanti opem ferre, omniaque humanitatis officia exhibere, imo verò etiam adversus fratres, ac liberos suos, pro salute ejus, arma capere, teneatur. Fides enim ac dignitas agitur; cui sempiterna inuritur labes à cliente, patroni desertore.

Nam inde nascitur, ut si *indecentibus machinationibus dominum offenderit*, lib. 2. de feud. conf. tit. 57. si dignitatem ejus sugillaverit; si *domini castrum oppugnaverit*; lib. 1. tit. 5. si *periclitantem deseruerit*; lib. 2. tit. 24. si aliquem *domino mortem, captivitatem, aut jacturam facere molientem, fraude celaverit*; ibid. si *eum, cum potuerit, non liberaverit*; ibid. si *inimicis ejus suas amicitias copulaverit*; lib. 2. tit. 57. si in aliis *sic versatus fuerit, ut potius inimicus, quam fidelis esse credatur*; ibid. jure commissi feudo excidat: quod si simul subditus fuerit, etiam læsæ majestatis plerumque reus habeatur.

Cum igitur supremi principes à Vasallis suis, homines ab hominibus, tantam fidem pro tuenda Regni, statusque sui dignitate, postulent, quanta erit illa, quam sceptrorum suorum largitori Deo, ejusque regno tuendo, principes ipsi adversus perduelles majestatis ejus, præstare tenebuntur. Ejus regni dico, quod acquisivit *sanguine suo*, Act. 20. quod ei in præmium acerbæ passionis

ſionis à Patre retributum eſt: *Poſtula, inquit* Pſ.2. *a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et rurſum Iſai. cap. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Cujus quidem regni ſui gloriam, & auctoritatem, præ omnium terrenorum regnorum faſtu, tantâ complectitur teneritudine dilectionis, ut per Prophetam dixerit: *gens & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit; & gentes ſolitudine vaſtabuntur.* Non ait, quod te afflixerit, conculcaverit, everterit, ſed *quod non ſervierit tibi, peribit.*

Nam ex quo filius Dei incarnatus, *& ab eo conſtitutus eſt Rex ſuper montem ſanctum ejus,* Pſ. 2. hoc eſt, ſuper Eccleſiam, ipſi ſoli omnis regnorum, regumque gloria ſervire debet, utpote quos ipſe minimarum rerum, hoc eſt, temporalium, & inſtar fumi tranſeuntium adminiſtros in imperio ſuo ſtatuit. *Reges eorum,* inquit, Iſai. 49. *miniſtrabunt tibi.* Et iterum: *Erunt reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Et omnium apertiſſime Dan. c. 7. *ut Regnum & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo Sanctorum altiſſimi: cujus Regnum, Regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſervient ei.*

Hinc

Hinc fit, ut humanus iſte principatus, qui propter caducam hujus vitæ rationem ad breve tempus durat, niſi regno ſummi iſtius imperatoris amplificando ſerviat, ex magni Conſtant. judicio, apud Euſeb. orat. de laud. Conſtant. *Caprariorum, paſtorum, ac bubulcorum imperio, non multo præſtantior, ſed moleſtior ſit.* Æternus enim ſolum æternitatis ſuæ principatum, regnumque diligit; in cujus gloriam, & amplificationem torquet ipſe, & ab omnibus temporalium ſuorum principatuum præfectis, retorqueri cupit, ac jubet, quicquid per temporum lapſus fluit. Quicquid igitur amplitudinis, firmitatis, gloriæ, faſtuſque tranſitorii, mordaces illæ hominum curæ, quas regna vocant, amatoribus rerum frivolarum polliceri videantur, illi regno comparatum, cujus ſolius gloriam Chriſtus diligit, ſpectat & quærit, velut crepundia ſunt apud Deum: cui niſi ultro ſerviant, & ſive directè, ſive indirectè collata cedant, quaſi in *favillam æſtivæ areæ, quæ vento rapitur*, conterenda ſunt.

CA-

CAPUT XLIX.

Quis sit ordo naturalis inter regna, & Ecclesiam, & utrorumque defensionem.

HIc igitur ordo rerum naturalis est, ut corporalia corpori fovendo, tuendoque serviant, & corpus animæ: hoc est, ut ipsa corporis salus ad ordinatam appetitionum requiem referatur. Sed quia homini non quælibet, sed anima rationalis inest, totum hoc, quod habet commune cum bestiis, subdi debet paci, salutique animæ rationalis, quo mente aliquid utile contempletur, & secundum hoc aliquid agat, ut sit ei ordinata cognitionis, actionisque consensio. *Ad hoc enim*, inquit Aug. lib. 19. de civ. cap. 14 *velle debet, nec dolore molestari, nec desideriis perturbari, nec morte dissolvi, ut aliquid utile cognoscat, & secundum eam cognitionem vitam moresque componat.*

Hic igitur, ut dixi, in uno homine ordo naturalis est: qui si in humana vita perturbetur, ut vel externis corporis alimentis ac subsidiis inordinatè utatur, plus minusve usurpando, quam saluti corporis expedierit; vel internis inferioris partis motibus, præter animæ rationalis leges ac præscripta, raptetur, morbos in corpore, vitamque flagi-

flagitiosam, & facinorosam in anima fieri, necesse est. Quibus duobus malis, tota corporis & animæ harmonia corrumpitur.

Ad eundem modum, de duabus illis communitatibus, terrena atque cælesti, Republica & Ecclesia, Regno, inquam, temporali hominum, ac Regno Dei vivi, quæ sibi in hoc mundo invicem conserta vivunt, veritas accuratius consulta statuendum esse præscribit. Nam uti tempus æternitatem, & omnis motuum volubilium agitatio quietem, velut finem suum respicit; ita terrena communitas, & omnis ejus præfectura ad cælestem, temporalis ad perpetuam, Regnum hominum ad Regnum Dei, hoc est, respublica ad Ecclesiam inter Christianos referri debet.

Nam quemadmodum in brutis summa vitæ lex est, salus corporis, & carnalium, uti diximus, appetitionum quies; quæ tamen duo in homine altiori lege, hoc est, quatenus animæ rationalis paci & integritati convenit, moderanda sunt; usque adeo, ut & corporis vulnera, & animi dolores, & utriusque dissolutio, seu mors, pro conservanda rationalis animæ integritate subeunda sint: ita in Regnis infidelium, quæ nihil de sublimiori Regno Dei inter homines fundato, perceperunt, suprema lex est temporalis Reipublicæ pax, & salus.

Sed

Sed inter Christianos, Reipublicæ & Ecclesiæ, hoc est, Regni simul humani divinique consortes, salus illa temporalis Reipublicæ tota, juxta divinioris Regni pacisque leges, quam ordine naturali respicit, dispensanda, hoc est, procuranda, & conservanda est. Nam ut profundissimus doct. Aug. lib. 19. de civ. cap. 14. præclarissimè: *omnis usus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrena*, hoc est, in regno temporali: *in cælesti autem civitate*, hoc est, Ecclesia, ubi terrenæ civitati mixta est, *ad fructum civitatis æternæ*.

Ex quo efficitur, ut, si temporalis Reipublicæ salus, & securitas, Ecclesiæ strage procuretur, haud secus peccetur in ordinem naturalem, quem juxta Aug. lib. 22. contra faust. c. 27. *Lex æterna conservari jubet, perturbari vetat*, ac si corpus animæ, tempus æternitati, humani principatus fastus, divinæ gloriæ, homo Deo præferatur. Itaque paucis verbis rem totam complexus sanctissimus doct. tract. 11. in Joan. *pertinet hoc*, inquit, *ad Reges seculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt*.

Hæc enim pax Ecclesiæ, est pax regni illius, quod in terris fundavit incarnatus Deus, cujus ipse solus Rex est, cujus illi, quos

quos Reges in terra nuncupamus, non nisi vicarii sunt, & in rebus abjectioribus vicē gerunt, ea videlicet regnandi, vel potius providendi lege constituti, non ut ipsi securi floreant, lateque dominentur; sed ne Respublica domini sui, à perduellibus majestatis ejus oppugnata, detrimentum capiat; ne fides, qua ipse à subditis agnoscitur, ne religio, qua ipse colitur, & in animis hominum, velut propria regni sui sede, dominatur, gliscentibus impiorum sacrilegiis pareat.

Quam enim dementiam in rebus humanis esse censeremus, si gubernatores provinciarum, à Regibus terrenis constituti, privatæ contentionis, suæque vicariæ præfecturæ studio, Regis ipsius exilium, Regnique perniciem, non solùm à rebellibus illatam, æquis oculis spectare, & permittere, sed etiam armis, ærario, exercitibus, Regis sui, procurare se posse contenderent, ne quid forte decedat commodis suis? Quis non hujusmodi non Regis nomine Præfectos, sed proprio nomine Reges, Regis sui proditores, regni ejus invasores appellaret? non enim amplius præfecturam sibi commissam, ut alienam, sed tanquam suam gerunt; privatum fastum publicis Regni, & Regis emolumentis præferunt: qui res admi-

administrandas non domini sui gloria & utilitate, sed cupiditatum suarum fructu metiuntur, *privati* commodi vel *odii pertinacia in publicum exitium stimulante*, ut ait Tacit. lib. 1. hist. nam latius, quam in rebus tantum humanis patet id, quod jam olim dixit Liv. lib. 2. *privatæ res semper offecère, officientque publicis conciliis*. Pessimum enim veræ fidelitatis affectusque venenum, est propria utilitas.

CAPUT L.

Regibus pietas maxime necessaria, ex qua sola discunt officium suum.

QUamobrem ut provinciarum gubernatoribus, fidelitas erga Reges suos, ita regibus ipsis pietas erga Deum, quam maxime necessaria est. Hac enim sola, & ipsi fideles erunt Regi suo, cujus in terris, ipsi quoque vicarias præfecturas agunt. Hæc eos docet, in omni rerum terrenarum procuratione, oculos in cælum defixos gerere; ut non ex suæ, sed illius aulæ gloria, & regni ejus in terris amplitudine, leges belli & pacis petant.

Nimiæ quippe fatuitatis est arbitrari, quod, cum cælestis illius Imperatoris regnum toto orbe diffusum sit, cujus particulas

culas Leopoldo, Philippo, Ludowico, Carolo, nomine ſuo gubernandas tradidit, ex vini & olei, ovium & boum, de quibus *non eſt cura Deo*, hoc eſt, ex infimarum rerum procurandarum regulis, vel ex privatæ ambitionis lege, ut ipſi ſecuro diffuſoque potiantur imperio, præfecturas ſuas moderari debeant. Ipſe ut ſceptrorum auctor eſt, ita regnum ejus, quo in cordibus hominum, fide atque relligione dominatur, una ſceptrorum lex, unicus eis ſcopus præſtituitur. *Debes imperator*, inquit, imperatori Leon. Leo Epiſt. 75. *incunctanter advertere, Regiam poteſtatem tibi, non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam.*

Veram cauſam dedimus, & ante nos, Ambroſ. Epiſt. ad Valent. dedit: *Cum enim omnes homines, qui ſub ditione Romana ſunt, vobis militent, imperatoribus terrarum, atque principibus, tum ipſi omnipotenti Deo, & ſacræ fidei militatis.* Quis autem ignorat, primum eſſe militiæ ſacramentum, ſalutem, commoda, dignitatem ejus tueri, cui militamus? Priſci Pagani natura duce veritatem iſtam viderunt, ſuiſque monumentis indiderunt. *Non dubitaverunt*, inquit Valer. lib. 1. c. 1. *Sacris imperia ſervire.* Et adhuc: *omnia namque poſt relligionem ponenda ſemper noſtra civitas duxit, etiam in quibus ſummum majeſtatis conſpici decus voluit.* Nam

Nam postquam filium suum incarnatum, totius Ecclesiæ suæ principem, verumque Regem declaravit, cujus omnes terreni Reges, subditi, vasalli, à soloque nutu ejus pendentes, administratores sunt, legem inaugurationis omnium, & singulorum, constanti sanctione implendam esse decrevit, quam Propheta vaticinante, Isai. 60. tulit, *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Nullus hic, illusionibus directi & indirecti locus. Etiam indirectè Regnum Regis incarnati depopulantibus, imo non ei servientibus, præsto denuntiatur interitus.

Nam sicut omnia propter se, ipse fecit, omnesque Reges instituit, propter gloriam suam; ita non solum eum directe vel indirecte lædere, sed vel servitutem ejus detrectare, sub pœna perditionis est interdictum nefas. Nec illa consolatio, quam sublevandis sponsæ Ecclesiæ suæ calamitatibus, pollicetur, ad extremos usque sæculi præsentis dies revocabitur: *Audi hoc paupercula, & ebria, non vino. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, &c. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, & dixerunt animæ tuæ: incurvare, ut transeamus: & posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Isai. 51.*

CA-

CAPUT LI.

Regnorum ortus, occasus, incrementa, decrementa à remunerante, vel puniente Deo.

QUisquis igitur terrenorum Regum sceptri sui perpetuitatem affectat, non eam ex Machiavelli regulis adepturus est. Commodi compendia intente ille sequitur, quibus insistens à Regia identidem aberrat via, discipulosque suos in certum præcipitium ducit. Una pietas est, quæ latum & stabile imperium facit. Auctor enim sceptrorum in illorum manibus ea collocare firmareque amat, qui gloriam Regni ipsius magis, quam suam privatam quærant. Audite veracem, quamvis ab ethnico, Reges Christiani, vocem, eoque attentius, quia ab Ethnico: *imperia ita se rerum humanarum futura regimen existimarunt, si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.* Valer. lib. 1. c. 1. 22.

Quam ob causam, nullum verius salubriusque Regibus, imperii sui stabilitatem ambientibus, adversus omnes intestinas dissensiones, externasque æmulationes, consilium dari potest, quam id quod imperaturis Synes. dedit, orat. de Regno: *pietas primum substernatur fulcrum, & crepido, cui firmiter insistat simulacrum hoc Regni.* Et quod Theod. imper. S. Leo, Epist. 7.

Tunc

tunc est optimus Regni vestri status, quando sempiternæ, & incommutabili Trinitati unius Dei confessione servitur. Hoc sexcentis experimentis inter Christianos, probavit olim, & etiamnum probat Deus. Sed quis sapiens & intelliget hæc?

Cum Regnum Reges non accipiant nisi à Deo, qui quendam se impotentius efferentem, in brutorum sortem usque depressit, *donec sciret, quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, dat illud:* Stabilitatem tamen ejus, humanis artibus, ac fallaciis plerumque moliri volunt. Hinc illa in vicinos crescentes æmulatio; hinc illa cum rebellibus, hæreticis, Barbaris, Turcis, & quicquid uspiam pestium grassatur in Christianos, nonnunquam fœderatio. Nimirum, ut humana astutia divinæ providentiæ frænum injiciant, & rapiditatem cursus ejus quoquo modo sistant per fas & nefas.

Non cogitant illi, quemadmodum Regnorum suorum inferiores præfecturas, à sua ipsorum voluntate, ita in vasta totius universi Monarchia, Regna sua, ab illa superni Imperatoris aula proficisci. *Ipse mutat tempora & ætates; transfert Regna, atque constituit.* Dan. 2. Ipse Regnorum terminos extendit, & contrahit; ipse impotenti Regum ambitioni limites figit. Ipse est, qui

qui dicit *Regi Apostata, & vocat duces impios*, Job 34. Ipse, cum impietas impleverit mensuram suam, *Baltheum Regum dissolvit; & præcingit fune renes eorum. Ducit sacerdotes in glorias, & optimates supplantat.* Job 12.

Cum igitur ille vigil oculus, indefatigabili curâ semper in facta, moresque Regum intentus sit, ut æqua lance cuncta dispenset; quis erit, qui vetet, quo minus ille *contemptionem effundat super Principes*; Ps. 106. impietati famulantes? & vice versa, benedictione temporali, Regnique latitudine remuneret pietatem? Quid enim justius, quam ut solum illud roboret, & ab oriente in occidentem diffundat imperium, cujus omnes vires in auctoris gloriam convertuntur?

Hæc est genuina formandi, propagandique temporalis Regni ratio: quam quisquis constanter teneat, frementibus hominibus, Deum inveniet defensorem; quisquis abjiciat, etiam faventibus, eversorem. Hinc eleganter & piè Naz.

Deo favente, nil nocet invidia:
Et non favente, nihil prodest labor.

Quod si uspiam, certe in imperiorum successibus, præcipuè locum habet. Non

enim humana vis est, ut vulgo putant, sed excelsus ille Regnorum dominator, qui quod olim Cyro, expresso ejus nomine CC. annis, antequam nasceretur, propter populi sui liberationem, se facturum pollicebatur, Is. 45. *Subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum convertam, & aperiam coram eo januas, & porta non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, ut scias quia ego dominus.* Hoc ipsum & nunc ad exequenda conciliorum suorum decreta, erga Reges, propagationis divini imperii magis, quam sui studiosos, operatur.

Vanissimum est enim, tam magna subitaque dominationis incrementa, in orbe vetere, & novo, vel Cæsaris tam insolitas contritis omnibus victorias, in tanta rerum omnium desperatione, hæreticorum principum conjuratione, Catholicorum collusione, humanis consiliis attribuere. Ipse quemadmodum indirectas etiam Regni sui depopulationes justo judicio persequitur, ita sincera Regni sui studia, etiam in hoc mundo, libratissima æquitate, & profusissima liberalitate compensat. Hinc Regi magna amplitudo imperii, hinc thesauri absconditi,

diti, hinc arcana secretorum. Hinc subjectæ ante faciem Cæsaris gentes; hinc dorsa Regum versa; hinc portæ æreæ contritæ; vectes ferrei confracti: Hinc gloriosi terræ, Turrius, Anspach, Jagensdorf, Halberstat, Mansfelt, Gabor, Danus, Suecus, humiliati. *Durum est, contra stimulum calcitrare,* Act. 10.

Vanum est tortuosa versutia, divinis consiliis velle resistere. Ut enim Reges, ad arcendas cavendasque potentiorum injurias, de sua securitate satagant, æquum est, nec reprehendendum: sed

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

Institia erga homines, fides, & religio erga Deum, pietas erga Ecclesiam salva sit; quis quemquam se, suaque tueri vetet? At vero, ut hoc obtentu, Reges omnium rebellium iniquitates adversus vicinos foveant, Turcam suscitent, Barbaros excitent, hæreticis Ecclesiæ septa & sacra depopulantibus fœderibus, consiliis, armis opitulentur, semper insidias paci struant, nunquam per divinas humanasque leges licuit, nunquam licebit. Detestanda enim

Christianis est illa Cæsaris sententia, quam ex Eurip. in Phæn. Græcam semper in ore habuit, ut testis est Suet. in Cæs. quam Tull. lib. 5. off. ita reddidit.

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Suet. in Cæs.

Quo sane efficitur, ut non aliud magis hujusmodi conatibus laborare videantur, quam ut fatum, quod vitare volunt, accelerent. Nempe ut gladius, quem quasi capitibus suis imminentem vano timore fugitant, succiso per iniquitatem providentiæ divinæ filo, quod eum detinebat, ultro in caput ipsorum ruat. Quicquid enim, Deo placato, unquam vel æmuli cogitassent, hoc Deo irato, vel à domesticis inferri solet. Stabile est enim illud sapientis effatum, Eccles. 10. quod eventu suo frustrari nequit: *Regnum enim à gente in gentem transfertur, propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos*. Ita mirabiles, & carnalibus oculis abstrusæ sunt semitæ vindicantis Dei, ut hoc ipso homines perire soleant, quo perdere volunt, eoque defensionis genere perniciem sibi struant, quo cavent.

CA-

CAPUT LII.

Instructio S. Ludovici Galliar. Regis, ad filium Philippum.

LUbet hanc priorem tractatus nostri partem, concludere, instructione S. Ludovici, Galliar. Regis ad filium Philippum, quæ merito omnibus Principibus, Regibusque, est commendanda. Continet autem hæc.

I. Fili mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, ut diligas Deum: nemo enim potest esse salvus, nisi Deum amet.

II. Cave ne unquam admittas peccatum mortiferum, sed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quam aliquam talem perpetrare culpam.

III. Cum adversa accidunt, feras æquo animo, & cogites te commeruisse, atque ita lucrum tibi inde accedet.

IV. Cum Rebus prosperis frueris, humiliter agas gratias Deo, ne inde animo elatus, efficiaris deterior, unde te oportuit fieri meliorem.

V. Crebro confitearis peccata tua, deli-

gas tibi sapientes confessarios, qui te possint instruere, & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, ut audeant te sincere reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

VI. Officium divinum devote ausculres, facessant tibi fabulæ & nugæ, ne oculi huc atque illuc circumferantur: sed ores Deum ore, & etiam meditante corde, idque præcipue sub sacrificio post peractam consecrationem.

VII. Animo sis pio, & humano, erga pauperes, & calamitosos homines, illisque pro viribus opituleris. Si quid angat animum, id mox explices confessario tuo, aut alicui viro bono: ita fiet, ut facilius id feras.

VIII. Da operam, ut quorum uteris consuetudine & familiaritate, ii sint homines probi, & integri, sive religiosi illi sint, sive seculares, & cum illis misce libenter colloquia: porro nequam, & improborum virorum commercia devita.

IX. Sermones qui fiunt de Deo, publice & privatè libenter audias: preces quoque, & condonationes sive indulgentias, studiose expetas: Amato bonum, odito malum omne.

X. Ubi-

X. Ubicunque fueris, nemo ausus sit quicquam ejusmodi te præsente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget: nec tu unquam de ullo male loquaris, obtrectandi animo non patiaris quenquam, te audiente, perversè de Deo & Sanctis ejus loqui, nec id sinas impune abire.

XI. Crebro gratias agas Deo, pro bonis omnibus ab illo tibi collatis, ut dignus fias potioribus ejus beneficiis affici & augeri.

XII. In administranda justitia sis rectus & severus, & ita ut leges præscribunt, eam exercens erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens: pauperumque quærimonias non rejicias, donec veritas innotescat. Si quis habeat adversum te quærelas, aut controversiam, semper ab illo stes contra teipsum, donec rem certam comperies. Ita enim fiet, ut consiliarii tui fidentius justam ferant sententiam.

XIII. Si quid possideas rei alienæ, etiamsi id acceperis à majoribus tuis, incunctanter restituas justo possessori, ubi certo id tibi constiterit. Sin autem dubia res est, cura, ut viri sapientes accuratè

& ſine mora inquirant ; id enim vel maxime ſtudere debes, ut qui ſunt in ditione tua, pace & juſtitia fruantur, imprimis homines religioſi ; & qui in clero ſunt, parentibus tuis, debes amorem, reverentiam, & obedientiam.

XIV. Beneficia Eccleſiaſtica non conferas niſi bene dignis, & qui nulla ejuſmodi beneficia habeant, idque ex conſilio bonorum virorum.

XV. Bellum, pręſertim adverſum quemlibet Chriſtianum, ſine multo conſilio vide ne ſuſcipias ; ſi neceſſitas cogat ſuſcipere, Eccleſias & inſontes nullo patiaris damno affici. Si qua exiſtat vel tibi, vel ſubditis tuis contentio, vel bellum, quoad poteris, componere & ſedare coneris. Vide ut bonos habeas prætores & magiſtratus, & de illis ſolerter exquiras, uti ſe gerant.

XVI. Semper ſis addictus, & devotus Romanæ Eccleſiæ, & ejus Pontifici, haud ſecus ac ſpirituali patri te morigerum præbeas. Da operam, ut impenſæ tuæ moderatæ ſint, & rationi conſentaneæ. Sub finem hortor & juro te, fili mi, ut ſi me contigerit ante te migrare ex hac vita, ut toto regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deo

ri Deo

ri Deo preces & missæ sacrificia. Ad extremum, fili charissime, quicquid boni potest bonus & pius parens precari filio suo, id ego tibi precor. Sacrosancta Trinitas, & sancti omnes servent te ab omni malo, præstetque tibi Deus gratiam rectè semper agendi, & ipsius faciendi voluntatem, ita ut per te honoretur, & nos possimus post hanc vitam pariter esse cum illo, eum contemplari, & laudare per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

Finis I. Partis.

MONILE SACRUM.

Cur homo mortalis, titulos & stemmata fingis?
Tune per hæc mortis, pellere tela potes?
Falleris, & mundi te gloria fallit inanis,
Vix tua post cineres fama superstes erit:
Cum titulis mox nomē abit: mors stemmata sternit,
Alta metit, cæcis cæca triumphat equis.
Vanus & inconstans, per multa volubilis erras:
Est tua nobilitas, hæc tua mobilitas.
Vita & honos, fortuna, genusque, quid omnia? dicam:
Sunt cinis, & fumus, labilis umbra, nihil.
Corpus humo, cinerem cineri, te fata perurgent
Reddere: quam subito vita perempta fugit!
Vive Deo & cœlo, mortis tibi stemmata pinge,
Sic tua post cineres, vita perennis erit.

AMEN.

TRA-

TRACTATUS De AUGUSTISSIMA Gente AUSTRIACA,

PARS SECUNDA.

De magnitudine potentiaque Gentis Austriacæ: Ac jure, quo provincias suas obtinent.

ABsolutis iis, quæ ad Genealogiam antiquissimæ ac serenissimæ familiæ Austriacæ pertinent; superest hac II. Parte agere de magnitudine & potentia ejusdem Augustissimæ domus, ac inquirere justissimos titulos, quibus, gloriosissimi Austriaci principes provinciis, tam in Germania, quam (continuata in hunc diem successione) in Belgia, Hispania, Italia, India, ac novo orbe imperarunt. Altissimus dilatet eorum imperium, ac decus augeat.

CAPUT I.

Multi Austriacis æmulantur.

GEntis Austriacæ Majestatem, magnitudinemque, multi non ferunt; ejus gloriæ plurimi invident. Id vero nec novum nec inauditum. Omni ævo virtutem invidia, potentiam æmulatio comitata est. Vix extulerat Augustissima illa Gens in Germania caput, & quasi in cunabulis apparebat, sensit æmulos; prorsus velut nefas esset virtute crescere.

Paulo post, ubi continuâ fere septemvirorum electione, supremam imperii dignitatem, sua in domo obtinuit, & tot provinciarum accessione, potentiam aliquam ostendit, hostes armatos experta est; quasi quod hominum voluntas electionis decreto, vel natura hæreditatis aut connubii jure offert, piaculum esset acceptare.

Etenim æmulationis hujus causæ, nisi fallor, potissimum sunt hæ: *Magna nimis Gentis Austriaca potentia. Imperium in ea jam ab annis fere quadringentis jure quasi hareditario continuatum. Alienarum provinciarum usurpatio. Monarcha totius Europa cupiditas. Gravis subditorum oppressio. Zelus pro Catholica religione conservanda. Bella adversus haterodoxos.*

Plu-

Pluresque alias comminiscuntur, qui Austriacis non favent.

Quanquam si verum fateri volumus, ut livore quispiam petatur, satis est Austriacum esse; plus quam satis, virtute, potentia, imperii amplitudine florere. Ita crimini tribuitur, quod virtutis excellentiæ adscribi deberet. Imo quia aliorum gloriæ officere, Austriacorum magnitudo putatur, aut tollenda horum gens est, aut in ordinem redigenda. Nos hujus æmulationis causas, quas prætexunt, ad Rationis & veritatis stateram, brevi hoc tractatu, ponderemus. Remittentes lectorem, ad Auctores, qui diffusius hoc argumentum tractarunt. Judicet orbis. Nescit calamus mentiri; nescit adulari. Veritati scribit, & illi soli obligatur.

CAPUT II.

Politicæ rationes contra magnam unius Gentis potentiam.

POliticorum quorundam est axioma. *Id agendum, ne rerum omnium jus, ac potestas, ad unam aliquam familiam perveniat.* Rationibus illud tuentur. Et inprimis, omnium crescere pericula, cum nimium Regis alicujus vires augentur. Deinde contineri eum

eum ab injuria aliis inferenda non posse, qui plus, quam cæteri omnes, potest. Magnam etiam fortunam, sine multorum exitio, non convelli.

Addunt & authoritates & exempla. Perseus Philippi filius, Macedonum Rex, id agendum Rhodiis esse dicebat, ne omnium Rerum potestas, ad unum populum Romanum perveniret. Quippe Regnum unum occupatum, gradus est ad aliud; & finem Ambitio Regum nescit, cum successu prospero gaudet.

Hanc ob causam, Constantinopolitani olim imperatores, omnem navarunt operam, ut Siciliæ Regnum à Neapolitano disjungeretur, ne formidanda aliis unius potestas esset. Ætoli, cum auxilium ab Antiocho peterent, ut author est Livius, monuerunt, ad fidem Majestatemque Regiam pertinere, socios Ætolos juvare, ne iis extinctis, in Asiam Romani totis viribus irruerent.

Plane principes alienæ potentiæ incrementum non ferunt, & quæ supra aliorum fortunam est, suspecta est. Ideo Cosmus Medicæus, Princeps Florentinus, quantum potuit, ne ducatus Mediolanensis ad Venetos perveniret, laboravit; quod cum eo contineri non possint, quin ad Italiæ totius imperium aspirarent. Leo quo-

que

que X. & Clemens VII. Pontifices, cum viverent, adnitebantur, ut idem ille ducatus, in Ludovici Ducis familia conservaretur, vel cuivis potius privato traderetur, quam in Gallorum, vel Hispanorum potestatem deveniret, quorum potentia, ut existimabant, intolerabilis esset evasura.

Quid dicam de Henrico IV. Franciæ Rege? Is cum intellexisset, Sabaudiæ ducem, astu quodam pene Genevam occupasse; *Si occupasset*, inquit, *die sequenti eum intus possedissem*. Adeo metuunt principes, ne alterius vicini nimium excrescat magnitudo. Neque tamen tantus inde metus est, quanta invidia, dum principes se invicem non virtute, sed potentiâ metiuntur. Magnus ille in Batavia politicus Barneveltius, sic omnia agenda dicebat, ut Hispanus decresceret, Francus non cresceret. Ita illi adversus magnam aliquam potentiam ratiocinantur.

CA-

CAPUT III.

Quanta sit Austriacorum potentia.

ET vero Austriacæ Gentis vires, jam supra fortunam esse, ajunt, omniumque aliorum metus, nisi caveatur, infra ejus potentiam futuros, quæ tanta est, ut nec major olim Romanorum fuerit, nec ullorum hodie principum sit, aut Regum. Orientem enim una, occidentem altera manu tenere videtur; & ille temporum parens sol, dum aliis occidit, semper in aliqua Gentis Austriacæ provincia oritur & diem facit. Noctem nescit tantum imperium, quod alicubi diem semper habet. Si consideremus Germaniam, in ea Leopoldus Ignat. Austriacus, præter Hungariæ Bohemiæque Regna, Austriam, Dalmatiam, Croatiam, Sclavoniam, Styriam, Carinthiam Carniolam, Moraviam, Silesiam, Lusatiam, Wittenbergam, Ergoviam, Tyrolim, Alsatiam, opulentas omnes & amplas provincias possidet, suoque imperio complectitur.

Et quanquam inter principes Austriacos, hæ aliquando regiones dividantur; tanta tamen concordia est, ut omnium sit, quod singulorum est, & plurium opes unius fami-

familiæ potentiam constituant. Adeoque qui principem unum ex hac domo lacessit, omnium potentiam irritat, & tacta hac catena singulorum in se vires attrahit. Accedit imperium, in quo idem Leopoldus hodie post tot Austriacos constitutus imperator, tantæ dignitatis accessione mirum quantum hæreditariam potentiam auget, & Germaniæ viribus hostes suos deterret.

Si in Hispaniam oculos dejiciamus, ea tota in tot Regnorum amplitudine Philippo IV. Regi Austriaco paret, & suis viribus Regis sui Monarchiam tuetur. Bellatrix illa Hispania, viris armisque nobilis, tot exercituum seminatrix, Indiæ utriusque & novi orbis domitrix, non parvam exteris formidinem incutit. Si in Italiam nos convertamus, hic Sicilia, Sardinia, Neapolis, ducatus Mediolanensis Austriacos sub Hispano fasces agnoscunt, & vires suas facile per Alpes & Tyrolim Austriæ conjungunt.

Quid, quod Burgundia Belgiumque, fortissimæ & verè militares provinciæ, ac certissimum Hispaniæ Regis patrimonium, Austriaci juris sint? (loquor hic seposita solemni & mundo nota pace, de qua infra) Quid, quod idem Rex ita in multis Africæ, Asiæque locis dominatur, ut illi compedes, huic frænum injecisse videatur? Jam utraque

que India orientalis, & occidentalis, illa America, ille novus & Romanis incognitus orbis, per Hispanum ab Austriacis legem accipit. Magnum sane tantæ potentiæ incrementum, nisi fontem potius dicamus, unde illa ingens vis auri quotannis promanat, quo tot in Europa provinciæ, Regnaque ditantur, defenduntur, in Austriacorum obedientia fideque retinentur. Hic monarchiæ Hispanicæ nervus est, etsi ipsa per se potens sit Hispania, auri, & aliarum opum feracissima.

Neque alia porro est Hispani, quam gentis totius Austriacæ potentia. Sicut enim vinculo quodam & cognatione inter se continentur, ita ex tot provinciarum opibus una unius gentis potentia est. Vires, ubi, & quando opus est, jungunt, unius hostis omnium hostis est; qui unum invadit, totius familiæ vim sentit. Non exiguum etiam pondus ad hanc potentiam adferunt ii principes, qui huic genti obnoxii sunt, aut quorum illa patrocinium suscipit.

CA-

CAPUT IV.

Austriacorum potentia est à Deo.

ATque imprimis, utinam Christiani orbis principes monarchiæ hujus vim potentiamque, non opum apparatu, aut imperii amplitudine, sed altissima Dei providentia, immutabilique decreto, quo gubernare universum hoc statuit, æstimarent. Meruit Austriacæ gentis virtus, ut tantam in terris potentiam obtineret; ita voluit Deus, ita decrevit, ita patitur. Neque est, qui divinum hic favorem non agnoscat, cum non armis, sed jure, non violenta usurpatione, sed hæreditate vel affinitate, in tantam tot regionum latitudinem hæc augustissima gens sese diffuderit.

Quis invideat illi, quod decreto divinæ majestatis accepit? Quis turbare aut evertere potentiam illam bello præsumat, quam in orbe constituit idem ille Deus, qui interruptam elementorum compaginem concinnavit? Si insania est, situm & stationem elementorum commutare velle; certe imprudentia est, & impius conatus, id artificio politico, vel humanis viribus subvertere velle, quod divina constitutum est voluntate. Quod si non

ab

ab hominibus, ſed à Deo ſunt regna, & per eum *Reges regnant*, ut divinum pronunciavit oraculum, non poteſt ab eodem non eſſe tanta, quanta eſt, Auſtriacorum imperiorum magnitudo; cui obniti nihil aliud eſt, quam æternæ providentiæ reſiſtere: ſed fruſtra.

Divina decreta humanis ſanctionibus non reſcinduntur, & adverſus cæleſtem providentiam, hominum fædera nihil poſſunt. Imbecilles ſunt mortalium vires, nec quicquam ullo apparatu proficiunt, ſi aliud in cælo ſit decretum. Inquieta illa & inſatiabilis alios turbandi cupiditas, ſuo ſanguine fere ſemper exſtinguitur: Nec impunè principum populorumque pacem, turbare licet; quippe fatum ſibi accerſit, qui in aliorum fata ſolo furore vel invidia ruit.

Non eſt equidem immortalis Auſtriaca gens; ut orta eſt, & crevit, ita occidet, cum illi viſum fuerit, qui excitavit. Stabit tamen incolumis, & ſupra invidiam odiumque poſita vigebit, quamdiu in ea pietas & juſtitia florebunt. Deus eſt, qui ſceptra transfert, & Diademata mutat, cum peccata juſtam ejus iracundiam irritant; non arma mortalium, non rebelliones ſubditorum, non conjuratorum ſocietas, & doloſæ machinationes.

CA-

CAPUT V.

Necessaria est orbi, Austriacæ gentis potentia.

QUid si vero etiam necessaria mundo, Austriacæ gentis potentia est? Cum enim apud Turcas, Otthomannicæ domus imperium supra potentiam humanam fere sit, expediebat profecto, ut apud Christianos par illi potentia aliqua reperiretur. Atque hæc est Austriacæ familiæ potentia: Anno supra MCCLXXII. præcipue divinitus in terris excitata, ut exorituræ anno MCCC. Otthomannorum familiæ sese opponeret, & meliorem Europæ partem ab ejus impio dominatu conservaret. Ideo Turca magnitudinis suæ & armorum limitem invenit, quia in Austriacos, & eorum affines impingit. Omnino ergo, qui tantum opum & virium illis invident, ii aut tot Christianarum provinciarum incolumitatem non ferunt, aut nobis immane jugum & durissimam servitutem exoptant.

Quanquam si nullus esset Europæ nostræ, ab impiissimis illis Turcarum imperatoribus, metus, (quæ felicitas optanda forsitan potius est, quam exspectanda) adhuc

huc tamen necessaria Reipublicæ Christianæ, Austriacorum magnitudo est, ut immanium hæreticorum furor retundatur. Nullam ipsi, nisi illorum, potentiam reformidant, & hodie sisti suorum armorum cursum, quia Austriaci sese illis opponunt, vident & dolent.

Hi enim hoc tempore propemodum sunt soli, qui Religionis Catholicæ tutelam suscipiunt, & Romanam Ecclesiam suo patrocinio complectuntur. Non illis opes sunt ad superbiam, sed ad Ecclesiæ defensionem; non ad Christianorum principum formidinem, sed ad hostium heterodoxorum terrorem; ut illos juvent, & hos reprimant, quicquid à divina benignitate sunt consecuti profundunt.

Magna vis opum est in Augustissima illa gente, sed pœne plus sumptuum tot expeditiones militares exigunt, quas adversus tot religionis hostes suscipere quotannis ferè cogitur. Pacem ipsa nunquam habet, ut pacem Christianis omnibus semper procuret. Quidam suorum regnorum opes exhauriunt, ut heterodoxis suppetias ferant; Austriaci ut illos opprimant, nihil sibi relinquunt. Amant victorias, sed quibus de hostibus suis Ecclesia triumphet; & dum unum illis votum est, ut Christi in terris imperium stabiliatur, latius religionis

gionis fines, quam regnorum suorum terminos, extendunt.

Fidem temporum testem appello; annon hodie aut nulla, aut miserè afflicta in Europa esset religio Catholica, si tanta Austriacarum opum vis non esset; quam ob causam etiam ii, qui Hispanos ferre non possunt, orbi tamen ad religionis conservationem necessarios esse dicunt. Eos si tollas, & Austriacos principes, de Ecclesia heterodoxi & barbari triumphabunt. Id agnoscens Gregor. XIII. Philippi II. Hispaniarum Regis magnitudinem, *Reipublicæ Christianæ necessariam* esse judicabat. Atque idcirco Christiani, Catholicique nomine indignus censendus est, qui eam Austriacis potentiam invidet, aut subvertere contendit, quâ illi ad conservandam Ecclesiæ incolumitatem utuntur, & quam in debellandis religionis Apostolicæ hostibus consumunt.

CAPUT VI.

Austriacorum potentia justè quæsita est.

IAm vero, si nihil est in Austriaci imperii amplitudine, quod non hæreditate legitima, vel affinitate adierunt, quænam, obsecro, jura, ut de suis regionibus deturbentur,

bentur, concedunt? Certam ratamque bonorum ſuorum poſſeſſionem unicuique leges aſſerunt, & graſſator eſt, qui invadit, & latro, qui quicquam decerpit. Imo in laqueum, in crucem, in gladium incurrit, qui vim infert, & ſanguine culpam eluit, qui aliena rapiendo contraxit.

Hac legum ſeveritate, hominum ſocietas conſtat, nec ſtabunt urbes, ſi ejusmodi improbitatem gladius non coërceat. Enimvero, quod civi adimere nefas eſt, eripere Regibus non licet. Una juſtitia eſt, unum jus, una æquitas; ac tantum unicuique, ſeu privato ſeu principi, Reipublicæ leges permittunt, quantum juſto titulo poſſidet. Unde non immerito togatæ philoſophiæ princeps Alexandrum magnum, quod quietas ſine cauſa gentes, ſuis armis infeſtaret, *terrarum orbis prædonem* appellabat. Verè enim & prædo, & publicus graſſator eſt, qui alienas provincias potenti exercitu, nequaquam laceſſitus, invadit, aut premit.

Sed fortaſſis privata jura majeſtatem non conſtringunt, & ratio ſtatus monita non audit. Quid vero aliud hoc eſt, quam publicum latrocinium exemplo ſancire? quam rapinas & vaſtationes jubere? quam Reges juſtitiæ, cujus eſſe cuſtodes debent, everſores conſtituere? neque enim minus

civi

civi cuipiam fas erit, alienum patrimonium rapere, quam principi alterius ditionis urbem, aut regionem occupare.

CAPUT VII.

Austriacorum potentia non magis suspecta quam Turcarum. Mores heterodoxorum.

DEmus tamen Politicis istis, qui scientiæ plus habent, quam conscientiæ, rationem status, necessarium esse imperantibus omnibus instrumentum. An ut justitiæ decreta violent? ut legibus vim armatam inferant? ut cuncta evertant, & omnium tranquillitatem perturbent? Barbarorum est id cogitare, impiorum velle, Tyrannorum facere. Equidem, inquiunt, incolumem stare justitiam volumus; at magna nimis Austriacorum potentia est.

Agite, an non etiam magna Turcicorum imperatorum est? Cur illis, non his invident? Illi Christiani sunt, & Christianorum protectores; hi impii, barbari, & Christianorum hostes: Illis bella indicuntur, ut decrescant, cum his fædera sanciuntur, ut crescant. Suspecta Austriacorum magnitudo est; suspecta tot Turcarum imperia non sunt. Ita judicant, qui invident; ita statuunt qui oderunt. Tanta horum

affectuum vis est, ut rationem animo excludant, judicium obnubilent.

Dicam amplius; metus ab Austriacorum magnitudine est; ab heterodoxorum crescente potentia, nullus est metus. Quamobrem quæso? quia scilicet illi Christiani sunt; hi Christianæ Ecclesiæ hostes. Nisi forte potius, quia illi Austriaci sunt, quorum nomen, gentium quarundam invidia, ferre non potest, ut merito vel idcirco magnam Austriacæ gentis potentiam esse dicamus, quia invidos habet. Sed quis ille tandem pectorum Christianorum furor, potentibus auxiliis heterodoxorum res augere, eorum indignissimæ servituti urbes Catholicas, & provincias, suo milite & ære subjicere, aliorum decrementis, eorum incrementa desiderare, ut una tam augusta, tamque Catholica gens in ruinam trahatur? Quasi vero id Ecclesiæ expediat, ut potentes sint heterodoxi, imbecilles Christiani.

Ignorant, qui ita constituunt, heterodoxorum indolem, semper ambitiosam, semper arrogantem, nunquam fidam. Blandiuntur illi, dum in angustiis sunt; adulantur dum alieno auxilio indigent; ubi caput extulerint, & timeri poterunt, pro auxilio odium & vim rependent. Nunquam Christiani principis amicitiam hete-

heterodoxus colet, niſi miſer, & tum adhuc ſimulabit. Larvam habet hæreſis in vultu, fel & venenum in corde; vultum mutat, cor nunquã. Ex ore ſæpe mel exundat, & ex oculis faces amoris; ſed inſpice ſodes animum, & cum ore, cumque oculis conſentire negabis. Inhiat illa Chriſtianorum Regnis, ut in eorum ruinis ſua vexilla figat, & in Rerumpublicarum liberarum fundamentis, Monarchiarum faſtigia ſepeliat. Unicam libertatem amant heterodoxi, nec tam ut pro libidine vivant, quam ut Regna & principatus evertant, perque eorum ruinas de Eccleſia triumphent.

CAPUT VIII.

Nihil timendum à principibus Auſtriacis.

ETenim ſunt Catholici, juſti, pii, principes Auſtriaci, qui in Franciæ, Angliæ, Daniæ, aliorumque regnorum coronas, nullum ſibi jus eſſe ſciunt, & cum pacem cum omnibus habeant, nunquam illam, niſi ultro laceſſiti, turbabunt.

Verita eſt aliquando Italia, ne ſi Hiſpanus Inſubriâ, Neapolitano, Siculoque Regno potiretur, tota ſimul opprimeretur; potitus eſt Hiſpanus, & centum circiter annis Italia incredibili, & nunquam

ante cognita sibi felicitate gavisa est. Adeo non semper ingens familiæ alicujus magnitudo, aliorum est oppressio.

Austriaca illa aquila placidissimo alarum remigio, subjecta sibi regna moderatur, nec in quenquam involat, sed suos tantum tuetur. Neque est Austriacorum opprimere; sed oppressos sublevare, jacentes erigere, miseros juvare. Sciunt jactantis esse ingenii, ut August. Cæs. ajebat, *ob triumphalem pompæ superbiam, & lauream corollam, civium vitam ac securitatem velle periclitari.* Id vero semper agunt, ut causæ, bellique à se suscepti, cum opus est, æquitate suis à partibus Deum habeant. Pacem hoc tempore cum omnibus colunt, & vero etiam injuria lacessiti, arma non movent.

Non id ignorant quidem principes, qui in hanc gentem injuste incurrerunt, & hactenus vindictam non sumpserunt. Tanta gens non levi ictu movetur, & parcere mavult, quam ulcisci. Crescere ex aliorum ruinis non optat, quæ pœne plura à Deo accepit, quam ausa fuisset optare. Dedit ille incrementum sat magnum, nec armis, sed jure; ut intelligant Austriaci, unicum magnitudinis suæ authorem esse Deum, non bella, aut arma sua.

Atque idcirco, nihil timere Regnis suis

alii

alii principes poſſunt, qui tam diu firmam ditionum ſuarum ſecuritatem experientur, quamdiu nihil adverſus ſereniſſimam hanc gentem dolo vel armis machinabuntur. Poterunt etiam ab eadem auxilium toties expectare, quoties juſto bello contra hoſtes ſuos implorabunt.

Fuerunt timendi olim aliis Romani, formidandus Alexand. Magn. terribiles & Aſſyrii & Perſæ; conferri cum iis Auſtriaci non debent, qui quemadmodum Chriſtianiſſimi ſunt, ita juris & æquitatis obſervantiſſimi, & ab injuriis inferendis alieniſſimi. Illi jus in armis ponunt, ſed à cælo accipiunt; & quem ſciunt animorum ſuorum inſpectorem Deum, eundem injuſtorum armorum vindicem timent. Amplius eſt illis juſtitia excellere, quam imperio; illud in Regum poteſtate eſt, hoc non niſi à divino favore manat.

Sit ergo magna Auſtriacæ gentis potentia, & quia à Deo eſt, quia orbi Chriſtiano adverſus Turcas, alioſque neceſſaria, quia jure, non armis acquiſita, nec ad aliorum perniciem, ſed Eccleſiæ, & omnium Chriſtianorum ſalutem, nemo invideat, nemo laceſſat, nemo turbet.

CAPUT IX.

Continuatum per annos ferme C C. in Austriaca domo imperium.

Continuatum est in Austriaca familia jam ab annis fere C C. imperium. Movet hoc quibusdam stomachum; & quemadmodum Gentis hujus potentiam non ferunt, ita nec imperii gloriam. Erratum graviter ab iis, quod CC. ferme per annos, continuâ post Albertum II. Austriacum imperatorem serie, supremam Imperii Majestatem, in una Austriacorum familia residere sunt passi. Electione capi imperium debere, non successione, volunt, qui Austriacos non ferunt Imperatores. Ita institutum; ita ab Othonis III. temporibus receptum. Hoc eorum argumentum est firmissimum.

At vero, quis negat? Confitentur ipsi Austriaci, nec eorum ullus unquam aliter, quam electione, imperium accepit. Sed cum eruditiss. Historiogr. Regius, Nic. Vern. c. 3. Apol. Gent. Austr. rationes eorum recenset, & fundamentaliter refutat, nominatque duodecim Austriacos electos Imperatores, secundum imperii leges; ne actum agamus, brevitati studentes, lectorem eo remittimus.

CA-

CAPUT X.

Indagantur Rationes ejus continuationis.

NEmpe judicarunt electores, imperii principes, & ordines, supremam imperii Majestatem, nullibi stare melius, ac decentius posse, quam in Austriacorum principum familia. Quippe cum ad dignè sustinendam imperii dignitatem, ad hostibus undequaque resistendum, & ad conservandam Germaniæ tranquillitatem, magna opus sit potentia, validisque viribus, viderunt septemviri, eos esse Austriacæ familiæ principes, qui plus opum ac terrarum in Germania, quam cæteri, possideant. Hoc omnium consiliorum caput fuit.

Nec immerito. Demus enim aliunde hoc tempore, quam ex Austriaca domo, Cæsarem sumi, annon ea continuo harmonia solvetur, destrueturque, qua jam per quatuor secula imperium stetit? An non Barbara illa Turcarum vis, & potentia, soluto quasi fræno in Germaniam sese effundet, quæ reprimi coërcerique aliter non potest, quam si vires Cæsaris, & Austriacæ familiæ opes, corpore in uno conjungantur? Arcanum hoc imperii est.

Quod si vero Ecclesiasticorum electo-

rum rationes, ob quas retinendum in Austriaca domo imperium existimarunt, inquiramus, non aliud discemus, quam eos prudenter vidisse, necesse esse labi, planeque concidere Religionis statum, non per Germaniam tantum, sed etiam per Pannoniam, aliasque provincias, si alius, quam ex Augustissima illa familia, Imperator peteretur. Quod cum accideret, commune illud damnum eorum esset ultima clades, & res omnis Ecclesiastica pessum iret.

Maxima sane dignitas est Imperatoris, cujus Majestati cæteri omnes orbis principes cedunt, & fasces suos submittunt; quem insignia imperialia, Diadema, gladius, sceptrum, mundi globus, & biceps aquila condecorant; qui tres habet Archiepiscopos Archicancellarios suos, Moguntinum per Germaniam, Trevirensem per Galliam & Regnum Arelatense, Coloniensem per Italiam; cui Bohemiæ Rex Archipincerna est, comes Palatinus Rheni Archidapifer, dux Saxoniæ Archimarscallus, marchio Brandenburgensis Archicamerarius; qui caput est & dux Regum, cuique reverentiam omnes Reges debent, ut aliquando dixit Alphons. Arrag. & Neap. Rex sapientissimus, cum Fredericum III. Imperatorem, Neapolim ad se venientem, omni

omni honoris cultu prosequeretur.

At vero, quæ tantam Majestatem in imperio sedes excipiat, omnino nulla est; nec, qui ejus aulam annui reditus sustentent, sunt ulli. Nihil in imperio Imperator possidet, præter authoritatem, splendorem nominis, & dignitatis venerationem. Quæcunque in Germania provinciæ sunt, vel civitates, vel arces, eæ omnes & singulæ Principem suum, vel Magistratum, vel Toparcham habent, cujus lege ac disciplina reguntur. Imperatorem tanquam imperii caput agnoscunt, reverentur, & cum publica necessitas exigit, inducta communi imperialium comitiorum decreto, vectigalia eidem persolvunt.

Nullam interim provinciam aut urbem dignitatis suæ titulo Cæsar occupat. Imo non una domus, aut palatium est, in quo tanta Majestas hospitium inveniat; unde fit, ut in ea honoris multum sit, opulentiæ parum; & cum summa orbis dignitate, quædam quasi conjuncta inopia videatur.

Non equidem ita institutum ab initio fuit; sed quorundam postea Cæsarum ambitio, aut avaritia, imperii opes decoxit, distraxit, favore vel pretio in alios transtulit. Ita nudata est imperii aquila,

& ejus plumis, non pauci sese exornarunt, ejus exuviis plurimi facultates suas auxerunt.

Quod cum ita sit, necesse est, Cæsaream majestatem, & imperii caput, in opulenta aliqua potentique familia collocare, cujus opibus dignitatem suam tueatur, Aulæ apparatum conservet, hostes arceat, terrorem seditiosis incutiat, publicum imperii bonum procuret. Talis autem, si ulla in Germania est, Austriaca certe est, provinciarum hæreditariarum multitudine, & opum amplitudine cæteris longe potentior; quam hæretici in imperio timent, exteri hostes formidant.

CAPUT XI.

Prudenter electio in Imperio, cum quadam successione conjungitur.

FAtendum imprimis, quod cum imperium in Germaniam translatum est, visum prudenter sit, ut illud commune cunctis beneficium esset, non ad unam aliquam familiam alligaretur. Latissimum enim Germaniæ regnum est, in quo multi principes, multique reguli, quorum virtutibus imperialis majestatis honor, tanquam præmium, proponi debuit. Etsi vero Cæsaris electio nonnunquam gravissimas discor-

cordias, & inteſtina bella attulerit, ut alibi quoque ſolet; plerumque tamen illa principum electorum paucitas, diſſenſiones ſuſtulit, & ſuffragiorum imparitas, quæ fere ſemper eſt, candidatorum ambitioni modum poſuit.

At non minus prudenter, electionem ſuam Germani, cum quadam ſucceſſione conjunctam eſſe quandoque voluerunt, non jure aliquo, aut lege, neque conſuetudinis præſcripto, ſed principum electorum prudentia, & inſigni in communem patriam amore. Ita quamdiu Caroli magni progenies fuit, penes eam imperium ſtetit; quamdiu ex Ottonum familia ſtirpeque reperti ſunt aliqui, imperarunt. Ita jam ab annis propemodum cccc. Cæſarea dignitas, in Auſtriacorum domo conſervatur, & filii parentum, aut fratres fratrum, aut agnati agnatorum ſceptrum accipiunt.

Hoc in ordine, nulla ſucceſſionis lex eſt, prudentia tantum eſt electorum, qui electioni ſucceſſionem miſcent, quod ita imperii rebus expedire judicent. Ut nimirum, dum imperator transferendum ad filium, aut fratrem, majeſtatis ſuæ decus animadvertit, nihil de imperii vigore imminuat, nihil diſtrahat, nihil negligat. Sic fit, ut electionis incommoda vitentur, & liberrima tamen electio ſit, nec

cujusquam dignitas contemnatur.

Ea quippe Germanorum principum gloria est, quod jus suum acriter tueantur, ambitiosi tamen non sint, nec alieni appetentes. Id constituunt, quod è re imperii esse judicant; nec iis cedere alteri molestum, cum id exigere patriæ salus videtur; imo non pauci imperium hactenus recusarunt, quod impares se tanto oneri judicarent, aut potentiam suam, infra imperii majestatem censerent. Illa est gentis istius sinceritas, ille amor pacis, illud communis patriæ studium.

Ac ne quis imperantis in Germania auctoritatem aspernetur, solent illi potentissimum aliquem, & clarissimi nominis principem, ad Cæsareæ dignitatis apicem evehere. Hanc ob causam imperium ad Maximilianum I. & post illum, ad Carolum V. detulerunt, quod animadverterent, eorum potentiam supra contemptum, & aliorum vires esse, ut hoc modo Germaniæ sua dignitas esset & tranquillitas.

Eandem ob causam Ferdinandum I. Maximilianum alterum, Rudolphum & Matthiam, Ferdinandum II. & III. hodieque Leopoldum Ignatium (ornatissimum Austriacæ familiæ decus) imperii insignibus ornarunt, quod nobilissimi essent,

essent, & simul potentissimi, atque etiam ex ea familia, in qua sæpe tot inter fratres, & agnatos, summus amor, summa concordia, summa moderatio est.

CAPUT XII.

Qualis electio Polonorum.

IMitantur Polonos Germani; illi electionem probant, sed ne damnis ingentibus Rempublicam suam involvant, successioni locum aliquem concedunt, & ita prudenter moderatèque Regem sibi quærunt, ut eligendo hæredem non excludant. Regis vita functi filium non prætereunt, & in eadem familia regnum retinent; imo etiam prudentiam suam tanta cum humanitate conjungunt, ut filiarum quoque Regiarum rationem habeant, ne affectum erga Reges suos mutasse post mortem videantur.

Unde fit, ut apud eos liberrima sint eligentium suffragia, & hæreditarium quodammodo regnum appareat; qua una re Majestatem decusque regni tuentur, & pacem in regno tranquillitatemque conservant. Ante modernum Casimirum, Uladislaus Sigismundo III. Patri datus

itus eſt, per electionem ſucceſſor; & ille vocatus ad regnum vel idcirco fuerat, quod ex Regum Poloniæ ſtirpe, per Catharinam matrem oriundus eſſet. Ante hunc ex ſtirpe regia, Hedwigis ſola ſuperſtes Jagelloni, Lituaniæ principi, in matrimonium collocata fuit, & inde ex Jagellonica familia Reges ſumpti, quamdiu in ea hæredes extiterunt. Eorum ultima cum eſſet Anna, volente Republica, Stephano nupſit, factaque Regina, Regem illum fecit.

Quidni in imperio idem fiat? fieri ſane poteſt, & erit samen eligendi libertas. Nunquam melius regni alicujus fines proferuntur, quam cum illud hæreditarium eſt. Nullum periculum aut labores reformidat, qui filio acquirere ſe, aut familiæ credit. Nemo aliis, vitam libenter aut opes impendit.

Sit ſane in imperio electio, ut eſſe debet; cur tamen in eo potius, quam in tot regnis aliis, ſucceſſio damnaretur? de hæreditariis veteris ævi Regnis, nihil hic dico; hoc tempore galli ſucceſſionem admittunt; admittunt Hiſpani, Angli, Dani, Turcæ, Perſæ, & alii minoris potentiæ Reges, & principes. Admiſit jam ab ortu ſuo imperium. Auguſto Tiberius ſucceſſit per adoptionem filius; alii deinde

pri-

privigni, & nepotes, eodem adoptionis jure diadema Cæsareum in familia retinuerunt.

Nec aliud primæ historiæ ostendunt, quam Imperatorum filios imperasse, Titum, Domitianum, Commodum, Caracallam, Heliogabalum, Gallienum, Carinum, Numerianum, Constantem, Constantinum, Constantium, Gratianum, Valentinianum Juniorem, Arcadium, Honorium, Theodosium. Quod factum est tanto imperii sæpe bono, aliquando fieri etiam hodie potest; & quod gentes aliæ nequaquam damnant, probari certe in imperio nil vetat.

CAPUT XIII.

Merita Austriacorum in imperium.

CÆterum, ut hoc quoque addamus, continuari in serenissima Austriacorum familia imperium, eorum ipsorum merita deposcunt. Plusquam sæculum unum est, ex quo Augusta illa domus totius Christiani orbis murus, scutum, & gladius fuit. Assiduum illi cum Turcis bellum, & de tantis hostibus multæ gloriosæque victoriæ; una maxima, servatum hactenus imperium, paucæ clades, religio Chri-

Christiana ex eorum faucibus vindicata. Terruit totam aliquando Asiam soli nominis sui fama Solymannus, Europam armorum suorum strepitu concussit; ei vero quia se Austriaci opposuerunt, servata Hungariæ magna pars est, & liberata ab impendenti exitio Germania.

Repressus tot ejus Victoriarum cursus est, Austriacorum oppositu, & vis illa Turcarum tanquam impetuosus quidam torrens, cum in Austriacam domum quasi in vallum, incidisset, fracto impetu resedit. Obligatam proinde Germania se sentit, nec aliud conservandæ incolumitatis suæ consilium videt, dum undique tot imminent hoc tempore pericula, quam si imperii auctoritatem, & Cæsaream Aquilam, in Austriacorum familia, de se tam bene merita, relinquat.

Macte hoc consilio, Germania, nunquam tibi tot boni imperatores, una in serie, quam ex hac familia ab Alberto II. ad Leopold. Ignat. imperii decus sustinuerunt. Det Deus, & ut speramus, dabit, ut ex eadem domo non desint, qui se hostibus suis opponant, & quod vendicare sibi quidam exteri principes vellent, imperium sibi conservent. Sint alii Reges suis diadematibus contenti, nullis damno erit, in Germania imperium esse; regant

regant commissas sibi à Deo provincias, nihil eorum regnis decedet, si Cæsarea dignitas, volentibus ita principibus suis, in Austriacorum familia resideat. Dignum est ab iis imperium administrari, qui inter orbis principes genere, virtute, potentia excellunt.

Quippe tot jam annis Cæsareas Aquilas Austriaca domus hactenus tenuit, & adhuc Francorum incolume est regnum; stat Respublica Venetorum; suis ditionibus Italiæ principes potiuntur; nihil de Germaniæ Regulorum finibus est detractum. Soli Austriacorum arma senserunt hæretici, aut rebelles, quando inquieti turbas excitarunt, & seditionibus imperii tranquillitatem labefactarunt. Senserunt & illi, qui ambitione, vel invidia moti, invadere per vim imperium, aut aliquam juris Austriaci provinciam aliquando tentarunt. Sed ii, aut rebus desperatis in turpissimam fugam conversi sunt, aut inter arma, in suo sanguine exspirantes, ambitionis suæ pœnas dederunt, aut vindicem Deum subita violentaque morte sunt experti.

CAPUT XIV.

De jure, quo provincias suas Austriaci principes obtinent; & imprimis de provinciis Austriacis in Germania.

NUnc quo jure Austriaci principes tantum imperium suum, totque subditas sibi provincias administrant, videamus. Nullum Regnum, nullam provinciam, nullam urbem, quæ quidem aliorum esse possit, hactenus usurpant; jure omnia, & summo jure tenent. Perstringemus omnia breviter per plures paragraphos, ut facilius memoria teneantur. Annotamus etiam loca in Ponto Heut. Historiogragho sui seculi facile accuratissimo, quemque ut ducem in hac materia sequor, ubi lector pleniorem ejus rei, quam tractamus, historiam reperiet. Et quidem de provinciis Austriacis in Germania, quædam diximus in prima parte, placet tamen, ad pleniorem intelligentiam, hæc adjicere.

§. I. *De*

§. I. *De Habſpurgo, Ergovia, Alſatia, Hohenbergo, comitatu Thuricenſi, & aliis.*

Itaque ut ab ipſis Auſtriacæ familiæ in Germania provinciis, ordiamur; Albertus ſapiens, Rudolphi I. Imperatoris pater, facta cum Rudolpho fratre, paternæ hæreditatis diviſione, obtinuit inprimis comitatum Habſpurgi, Ergoviam, Turgoviam, Lantgraviatum Cuſſenburgi, cum advocatia Turingenſi, deinde ſuperioris Alſatiæ Lantgraviatum hoc modo adeptus eſt.

Circa annum M. CC. XVIII. mortuo ſine liberis, poſthumo Alſatiæ Lantgravio, qui ſtirpis erat Habſpurgicæ, ex comitibus Egenheimenſibus, quorum proſapia in ipſo defecit, tres inter ſe de ſucceſſionis jure, & ſanguinis propinquitate diſceptarunt; Albertus ſapiens, comes Habſpurgenſis, Albertus Hohenbergi ad Neccarim comes, & Ludowicus comes Ottingenſis. Erat Alberto Hohenbergico unica tantum filia, hæreſque. Igitur Albertus ſapiens, ut hanc controverſiam cum Hohenbergico finiret, ejus filiam, filio ſuo Rudolpho uxorem petiit, & impetravit.

Unde factum eſt, ut cedente Hohenbergico,

bergico, major Alsatiæ pars, in Habspurgicorum potestatem transiverit, qui mox etiam ditionibus suis, cum fatis idem comes concessisset, Hohenbergicum comitatum adjunxerunt. Reliquam Alsatiæ partem, Ludovicus Ottingensis Argentoratensium Præsuli vendidit.

Tantus vero omnium erat in Albertum sapientem amor, propter vitæ probitatem, consilii promptitudinem, & judicii acrimoniam, ut non pauci stirpe clari, atque etiam nonnulli ignobiles, sine liberis decedentes, hæredem illum bonorum suorum testamento scriberent. Fredericus I. Imper. comitatum Thuricensem, & Seckingensem advocatiam, cum ad imperium, extinctis hæredibus, rediissent, illi contulit.

Duæ illi uxores fuerunt, ac prima Hedwigis, (quam alii Helvidiam vocant) comitis Kiburgensis filia; altera Ida, Rudolphi comitis Pfulendorfii filia. Per has, Habspurgicis comitatus aliquot, & nonnulla dominia obvenerunt, ita ut mortuo Alberto sapiente, filius ejus Rudolphus, qui postea imperator, comes fuerit Habspurgensis, Ergoviæ, Kiburgensis, Rhinfeldensis, Lentzburgensis, Aquensis, seu Badensis, Lantgravius Alsatiæ, & plurium locorum aliorum Toparcha.

§. II. *De*

§. II. *De Austria, Styria, Carniola, & Vinidorum Marchionatu.*

Accessit Habspurgicis Austria hoc modo. Ottocarus Bohemiæ Rex cum uxorem duxisset Leopoldi VIII. ultimi Austriæ ducis filiam, & per eam Austriam occupavisset, pactus paulo post cum alia nuptias, eandem repudiavit, repudiatæque dotem Austriam vi retinuit, & suam fecit. Igitur Rudolphus Habspurgicus, Alberti sapientis filius, ad imperii fastigium evectus, eum ad causam dicendam, quod Austria imperii clientale beneficium sit, citat.

Sed cum Rex, Cæsarem, imperiique principes irrideret, Rudolphus eum ad jussa facienda, pacemque petendam armis coëgit. Infida pax ea fuit; nam paulo post Ottocarus, quasi acceptam calumniam vindicaturus, ingentem conscribit exercitum, contra quem movens imperator, eum ad Laam oppidum ita cæcîdit, ut cum XIV. virorum millibus, Rex ipse sit desideratus. Cæso hoc modo Rege, Rudolphus provincias, quas ille armis invaserat, recuperat, & Austriæ Styriæque Albertum filium suum præficit.

Mox cum comitia Augustæ Vindelicorum indixisset, ibidem ex principum civi-

civitatumque ſententia, id etiam poſtulantibus provinciarum legatis, eundem illum filium Auſtriæ Stiriæque ducem renuntiavit, & ex eodem imperii beneficio, Carniolam, Vinidorumque ditionem adjunxit. Ut autem firmum illi in provincias iſtas jus eſſet, uxorem ei impetravit Meinhardi comitis Tyrolenſis filiam, cui antiquum in Auſtria jus erat.

Hinc Meinhardo, in Auguſtanis illis comitiis, ex imperii ordinum voluntate, Carinthia, Tarviſium, vicinaque loca ſunt attributa. Ita Auſtriæ ducatus primum Auſtriacorum principum patrimonium jure factus eſt, in eoque interrupta ducum ſerie ad hunc uſque diem feliciter dominatur.

§. III. *De Carinthia.*

Auſtriæ adjuncta Carinthia eſt, per Ottonem Habſpurgicum, Alberti filium, qui Striæ ducatum poſt patris mortem obtinuerat. Cum enim Henricus Carinthiæ Dux, ac Bohemiæ Rex, unicam moriens filiam hæredemque, Margaretam facie inſigniter deformem, reliquiſſet, eaque nullos ex primo conjugio liberos ſuſcepiſſet, Carinthiam ad imperium devolutam, Ludovicus Bavarus Cæſar, Ottoni Habſpurgico

gico, ut liberis suis, Austriacos vicinos, hac amoris significatione devinciret, concessit, eique Carniolam, quæque inde dependent loca, Alberto ejus patri jam pridem permissa, confirmavit.

Ratum id postea habuit Carolus IV. Imperator, atque idcirco, quod secundis nuptiis sororem ejus Annam Otto duxisset, ac Austriacos habere amicos ipse vellet, ne ex formula fæderis Iglaviensis, Austriaci Bohemiæ Regnum repetentes, bellum se mortuo filiis aliquando moverent. Eo autem fœdere cautum erat, ut si mascula proles in Bohemiæ Regno deficeret, Austriaci succederent.

§. IV. *De Tyrolensi comitatu.*

Tyrolensem comitatum Austriaci postea donatione obtinuerunt. Margareta enim illa deformis, mortuo marito Ludovico Bavaro, atque ejus unico filio, ex provincialium ordinum decreto, ut testis est Gerard. Rous, proximis cognatis suis Rudolpho, Alberto, & Leopoldo, Austriacis principibus, ditionem omnem suam pleno jure tradidit. Donationis istius Tabulas, Carolus Cæsar, ex imperii beneficio, Anno supra M. CCC. LXIV. confirmavit. Postea Ludovici defuncti fratres, Ludovicus

cus Romanus, & Otto Bavariæ principes, publicis tabulis declararunt, nihil sibi juris in Tyrolensem comitatum esse, neque se ea de causa ullam Austriacis molestiam exhibituros. Idem & Albertus, Gorisiæ comes, testatus est.

Anno M. CCC. LXXXIX. Cum Sigismundus Austriacus, comes tum Tyrolis ac Ferrettæ, Sueviæque & Alsatiæ Lantgravius, Cæsaris Frederici frater patruelis, ex duabus uxoribus nullos liberos suscepisset, ejusdem Cæsaris filiam adoptavit, eandemque inscio, inconsultoque Cæsare, uxorem Alberto Bavaro dedit, & in dotem, Tyrolis comitatum & Ferrettæ, aliasque ditiones suas, Austriæ adjacentes, & quasdam ad Rhenum sitas, adjecit.

Id ubi Cæsar intellexit, vehementer excanduit, inprimis, quod ignaro se patre maritus filiæ datus esset; deinde quod contempta imperii Majestas videretur, sine cujus consensu, Austriæ ditiones, tanquam imperii beneficia, vendi aut donari non possent. Quare convocatis imperii principibus, Sigismundus comes donationem nuptiarum causa factam publicè revocare est coactus. Cumque Cæsar, Cunigundem filiam suam, cum Alberto marito in gratiam recepisset, Sigismundus, Maximiliano

miliano Frederici Cæsaris filio, & Roman. Regi, ditiones omnes suas hæreditarias cessit.

Aderant ditionum istarum ordines, quos Sigismundus sacramento sibi dicto liberavit, & ut illud Maximiliano, tanquam legitimo principi suo, dicerent, imperavit. Juraverunt, ut volebat, ordines: ipse certos sibi census & reditus quotannis, quamdiu vita superesset, retinuit.

§. V. *De Bohemia.*

Bohemia Hungariaque, juris Austriaci hoc modo sunt factæ. Albertus Austriacus, qui postea imperator, ducta Sigismundi Bohemiæ Regis unica filia Elizabetha, approbantibus uno consensu universis ordinibus, regnum obtinuit. Ei successit Ladislaus filius, qui magna cum sanctitatis opinione, etsi brevissimo tempore, Regnum administravit, ab eo per mortem non sine veneni suspicione dejectus. Duas is sorores habebat, Annam, quæ Guilielmo Saxoniæ duci nupsit, & Elizabetham, quæ Casimiro Poloniæ Regi uxor est data.

Mortuo Ladislao, cum legati ab earum maritis missi, sui juris rationem haberi postularent, Georgius Podiebradius, qui ad regnum aspirabat, studiose

cavit, ne legati, priusquam Rex esset electus, audirentur; cumque ipse per tumultum, Hussitarum favore, Rex esset renuntiatus, ambæ illæ sorores exclusæ fuerunt. Nunquam tamen aut Moravi, aut Silesii Podiebradium Regem agnoverunt.

Hoc mortuo, qui legitimam successionem interceperat, Bohemiæ ordines, Uladislaum Casimiri Poloniæ Regis filium, ad regnum vocarunt, atque idcirco, quod ex Regum Bohemiæ sanguine per matrem oriundus esset. Hic post mortē Matthiæ Corvini, Hungariæ Rex creatus, anno M. CCCCC. XV. Budæ obiit, relicto filio unico Ludovico, & Anna filia etiam unica. Ludowicus Uladislao patri, utroque in regno successit, & Mariam Austriacam uxorem accepit Caroli V. Imperat. sororem. Anna Ferdinando Austriaco ejusdem Caroli fratri nupsit. Vide Pont. Heut. Rer. Austr. lib. 4. c. 1. & 11.

§. VI. *De Hungaria,*

Cum autem Ludowicus Rex, ad Mohacium oppidum, contra Solymannum infeliciter pugnans, à Turcis cæsus esset, anno regnorum suorum XI. ac nullos ipse liberos procreasset, Ferdinandus Austriacus utrumque regnum ex fœderis & matrimonii jure, adeptus est, hocque modo

do

do Bohemicos faſces poſtliminio in familiam ſuam reduxit.

Ferdinando filius Maximilianus ſucceſſit, qui filium Rudolphum regni utriuſque hæredem reliquit, & hic, fratrem ſuum Matthiam. Matthiæ patrueli ſuo ſuccenturiatus eſt Ferdinandus II. Ferdinando II. Ferdinandus III. Ferdinando III. demum frater ejus Leopoldus Ignatius, hodie Bohemiæ Hungariæque Rex, & Romanorum Imperator feliciſſimus, ac victorioſiſſimus.

§. VII. *De Moravia, Sileſia, Luſatia, & Glacenſi comitatu.*

Sub Bohemiæ Regno, Moravia, Sileſia, & Luſatia comitatus cenſetur. Igitur Auſtriaci eodem, quo Bohemiam, jure, tres iſtas provincias obtinuerunt. Moravia Marchionatus nomen habet; Sileſia ducatus eſt, ſed qui principatus ſexdecim complectitur. Ea Poloniæ Regibus ſubdita primum fuit univerſa, poſtea in Bohemiæ Regum fidem ſe contulit, & ab eorum imperio nunc pendet. Id circa annum M. CCC. accidit.

Luſatia ab æſtivi Solis occaſu Sileſiæ adjacet. Eſt præterea in oris iſtis, Bohemiam inter & Sileſiam, Glacenſis comitatus,

ſui quondam juris, cujus titulo, extincta comitum ſtirpe, Bohemiæ Rex nunc gaudet.

§. VIII. *De Croatia, Goritia, & aliis.*

Illyrici veteris & Dalmatiæ quædam ſunt partes, Iſtria, Forum Iulii, Pontus Gaonis, Goritia, Croatia (quanquam Pannoniæ pars olim potius fuit) ac nonnullæ ad maris Adriatici tractum, ultra citraque Alpes, provinciæ, quæ hodie partim ab Auſtriacis, partim à Venetis occupantur. In eas, jus ſibi Archiduces Auſtriæ, varia affinitate quæſiverunt, quædam etiam loca, ad provincias ſuas jam ante pertinentia, ſibi rurſus aſſeruerunt.

Et quidem hoc tempore eæ regiones, quæ Carniolam & Styriam, Auſtriacæ domus ditiones, attingunt, ut ſunt Croatia, Goritia, Scardona, Iadera, Aquilea, Tergeſtum, Maranum, Gradiſca, Monfalconium, Spilinbergium, pluresque aliæ urbes Auſtriæ Archiducibus parent. Motæ ſæpe inter Auſtriacos, & Venetos, propter hæc loca, controverſiæ, dum de jure in regiones iſtas non ſatis inter eos convenit; tandem tamen imperante Maximiliano I. ac poſtea etiam ſub Ferdinando II. priuſ-

quam

quam imperii faſces acciperet, certis legibus pax coaluit, & reddita regionibus iſtis tranquillitas eſt, quæ cum moderno Leopoldo Ignat. glorioſiſſimo Rom. Imperatore, feliciſſime continuatur.

§. IX. *De Suevia.*

Suevia duces ſuos olim habuit, quorum ultimus Conrardinus, qui Neapoli, dum paternas ditiones repetit, juſſu Caroli Andegavenſis, in Regnum à Pontifice vocati, capite truncatus eſt. Poſt hujus mortem, Sueviam inter ſe partiti ſunt principes Teccenſes, Wittenbergenſes, & Badenſes.

Sed & Rudolphus I. Imper. anno M. CC. LXXXIII. cum comitia Auguſtæ Vindelicorum haberet, poſtquam Albertum filium ſuum Auſtriæ ducem, ut jam ante retulimus, renuntiaſſet, alterum filium ſuum Rudolphum, Sueviæ ducem, Alſatiæ lantgravium, & Ergoviæ comitem declaravit. Id ratum præſentes imperii ordines habuere; hocque modo magna Sueviæ pars, cum ducis titulo, quo poſteri utuntur, Auſtriacorum ſubjecta imperio fuit.

§. X. *De Wittenbergenſi ducatu.*

Wittenbergenſis ditio, pars olim Sueviæ fuit; poſtea ducatus titulum ſortita, ſeorſim provincia cenſetur. Duces in ea multi ante Ulricum fuere. Hic cum anno M. D. XIX. Reutlingam, imperialem urbem expugnaſſet, paulo poſt à Suevici fœderis ſociis expulſus, toto inſuper ducatu ejectus eſt. Ditionem illam ſibi à Suevicis confœderatis oblatam, Carolus V. Imper. Ferdinando Archiduci fratri ſuo conceſſit, eique, anno M. D. XXXIII. Auguſtæ in comitiis, coram imperii principibus, ſolemni feudorum ritu, titulos, honores, dignitatem, ac bona omnia ducis Wittenbergici contulit.

Non æquo id animo quidam principes tulêre, utque Ulricus ditionem ſuam armis repeteret, auxilia promiſerunt, præſtiteruntque. Proceſſerat jam bellum, & felici armorum ſucceſſu Ulricus ſeipſum reſtituebat; tandem tamen cum Ferdinando ea lege tranſegit, ut ducis titulos, nec non ſucceſſionis & clientelæ jus, penes Ferdinandum, ejuſque poſteros, Auſtriæ Archiduces, eſſet; Ulricus ducatum poſſideret, adminiſtraret, reditibus, vectigalibus, emolumentiſque omnibus potiretur:

tur: seu, ut alii loquuntur, utile Dominium Ulrici esset, directum Ferdinandi, & post illum Austriæ Archiducum.

At vero, cum anno M. D. XLVI. bello Smalcaldico, partes Saxonis & Hessi secutus, arma adversus Carolum V. Imper. sumpsisset, jubetur, se suaque omnia Cæsari permittere. Cum id haud quaquam præstaret, Cæsar Albanum in ducatum Wittenbergensem immisit, qui oppida vi partim expugnavit, deditione partim accepit, agros omnes devastavit. Sequenti tandem anno cum omnium deditionem fecisset, & ejus legati, in Genua ante Cæsarem provoluti, culpæ veniam pro eo deprecati essent, intercedentibus Palatino, Saxone, aliisque principibus, in gratiam certis legibus receptus est. Inter eas fuit hæc una. *Ferdinando Archiduci, & ejus posteris, Austriæ Archiducibus, jus in Wittenbergam integrum maneto.* Ita adhuc hodie Austriaci, merito se duces Wittenbergicos appellant. Pont. Heut. lib. x. Rer. Austr. c. x.

CAPUT XV.

De provinciis Austriacorum principum in Belgio.

BElgium, in quo bellum illud fuit, quo nullum unquã aut diuturnius, aut acerbius extitit, & quod non Belgas tantum, sed universum Christianum orbem, ab annis plus minus LXX. exercuit. In eo, hinc Rex pro religione Catholica, legitimoque imperio; inde fœderati populi pro asserenda hæresi, & vindicanda libertate concurrerunt. Humanarum rerum scenam videre hic licuit, & Belgiũ factum fuit Theatrum, in quo perfidia cum fide luctata est, virtutes cum vitiis certarunt, subditi cum principe & domino suo pugnarunt, sectæ novæ in antiquam, avitamque religionem, arma cum supercilio attulerunt. In illud, tanquam in spectaculum gladiatorum, conversi totius orbis oculi fuere.

Illud, inquam, Belgium, quod XVII. provinciis hoc tempore continetur, matrimonii, & successionis hæreditariæ jure, ad Austriacos principes pervenit. Vt modus & ordo constet, repetenda altius narratio est, & quomodo in unum quasi Reipublicæ corpus, XVII. provinciæ coaluerint, seqq. paragraphis ostendendum.

§. I. *Ini-*

§. I. *Initium unionis Belgicarum provinciarum.*

Ludovicus Malanus XVII. Flandriæ comes, paterna hæreditate dominus fuit Nivertii, Rhetelii, Salinarum, Mechliniæ; materna vero, inferioris Burgundiæ & Artesiæ comes. Uxorem hic habuit Margaretam, quæ Philippo audaci, Burgundiæ Principi, Joannis Franciæ Regis filio, uxor est data.

Ex hac, Philippus tres filios tulit, Joannē, Antonium, Philippum. Joannes natu maximus, mortuo patre, Burgundiæ principatum accepit, ac simul Flandriæ Artesiæque comes fuit. Uxor illi contigit, Margareta Alberti Bavari, comitis Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & domini Frisiæ filia.

Antonius, qui inter Joannem & Philippum medius erat, curante id patre, in Brabantiæ ducatu suffectus est, cum sine liberis obiisset Joanna, Wenceslai Brabantiæ ducis uxor, & Joannis III. filia, soror Margaretæ, quæ Antonii avia fuit.

Ut gratum animum propterea ordinibus exhiberet Philippus, Riennensem iis regionem dedit, cujus tum Metropolis Antwerpia, quæ æterno fœdere Brabantiæ eo tempore juncta est. Consentit quoq; Joannes, senior Antonii frater, suoq; in Braban-

tiæ ducatum juri cessit, ea lege, ut si vel ipse Antonius, vel ejus liberi, sine hæredibus legitimis decederent, jus in Brabantiam, ad suum genus stirpemque rediret.

Antonius hoc modo Brabantiæ Dux factus, ex Joanna Simpolia, quam primam uxorem duxit, duos filios, Joannem & Philippum suscepit, & filiam unicam, quæ in prima adolescentia decessit. Alteram, Simpolia mortua, uxorem accepit, Elizabetham Goritiam, & cum ea dotis nomine, Lutzenburgensem ducatum, donec cxx. millia florenorum numerarentur. Occubuit vero Antonius in prælio apud Morinos, anno M. CCCC. XV. duobus relictis filiis, Joanne & Philippo. Joannes natu major, etsi annos tredecim duntaxat natus, Brabantiæ principatum adiit, & anno ætatis XXIV. partæ salutis, M. CCCC. XXVI. Decem Annis post, Jacoba quoque è vita discessit. Philippus Joannis frater post ejus mortem, gubernacula suscepit, sed non fuit ea dominatio diuturna. Tertio enim principatus anno, dum Jolentam, Ludovici Siciliæ Regis filiam, desponsatam sibi conjugem exspectat, Lovanii è vita migravit. Heut. Rer. Burg. lib. 2. c. IV. XV. & XXIII. & Geneal. Duc. Brab. fol. 256.

§. II. *Bel-*

§. II. *Belgium ad domum Burgundicam devolutum.*

Defunctis igitur ſine prole Antonii liberis, omne jus ducatus Brabantici, ad Philippum bonum, Joannis Burgundiæ ducis filium, eſt devolutum; atque ei tum hæ obvenerunt provinciæ, Burgundia utraque, Lotharingia, Brabantia, Limburgum, Flandria, Arteſia, Antwerpia (ſacri Romani imperii Marchionatus) ſalinarum & Mechliniæ Toparchia.

Per mortem Jacobæ, conſanguineæ ſuæ, à qua hæres inſtitutus erat, Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam, & Friſiam obtinuit. Namurcenſem deinde comitatum, à Joannæ (alii Theodorico) per emptionem adeptus eſt. Hic enim ab Antiſtite Leodienſi captus, cum magno redimere ſe cogeretur, & litro conficiendo impar eſſet, comitatum ſuum, Philippo bono, Burgundiæ duci vendidit, ſervato ſibi & titulo, & uſu fructu, quoad in vivis eſſet.

Potitus denique eſt Lutzenburgenſi ducatu, per Elizabetham Goritiam, quæ cum provinciæ ſuæ grave regimen experiretur, illam ad Philippum bonum tranſtulit, certâ ſibi, & annuâ nummorum ſumma, quam *penſionem* vulgo dicunt, reſervata. Videbatur etiam rediiſſe ad eum hæreditas, quam-

diu debita, dotis nomine, pro ducatu pecunia, nondum persolvebatur. Post mortem Elizabethæ, Philippus numeroso cum exercitu profectus, teste Barl. Luxenburgum expugnavit, & provincias ad sibi parendum adduxit.

His modis, uni solique Philippo, tot illustres provinciæ obtigerunt, & divisum antea Belgium, pœne totum ejus imperio parêre cæpit. Tres illi uxores fuere, quarum priores duæ, nullos ei liberos reliquêre. Tertia fuit Isabella, Lusitaniæ Regis filia, quæ ei Antonium, & Jodocum peperit, quos pueros adhuc amisit. Postremo Carolum suscepit, quem pater, tot provinciarum hæredem, moriens, anno M. CCCC. LXVII. reliquit. Heut. Rer. Burg. lib. IV. cap. III. V. & IX. & Geneal. com. Holl. fol. 251.

§. III. *Adjungitur Geldria, Zutphania; item Luxenburgum.*

Successit igitur Philippo Patri, Carolus, qui *pugnax*, vel, ut alii, audax, & bellicosus est dictus, quod illi assidua essent cum Germanis, Gallis, Lotharingis, Helvetiis, aliisque bella. Hæreditariis regionibus sibi à patre relictis, Geldriæ ducatum, & Zutphaniæ comitatum adjecit. Utrumque ab

Arnoldo

Arnoldo Egmondano, Geldriæ duce, xɔɪɪ. aureorum millibus emit, servante interim Arnoldo duce, annuam, quoad viveret, pensionem. Venditionem dux ipse testamento ratam fecit; filiumque suum Adolphum, à quo captivus sexennio detentus fuerat, moriens exhæredavit.

Idem Carolus, Luxenburgensem ducatum pleno tandem jure possedit. Quippe, cum nulli ex Wenceslao Bohemiæ Rege, liberi essent, ejusque neptis Elizabetha Gorithia, sine prole etiam obiisset, devoluta ducatus proprietas ad Sigismundum Imper. Wenceslai fratrem erat. Huic unica filia fuit, Elizabetha Luxenburgica, Hungariæ & Bohemiæ Regina, quæ Alberto Austriaco Imper. nupsit, ex quo filium unicum Ladislaum, filias duas, Annam & Elizabetham, peperit.

Ladislaus nullam ex se prolem reliquit. Anna, Guilielmum Saxoniæ ducem maritum habuit; Elizabetha Casimirum Poloniæ Regem, ut ante c. 12. §. v. dixim. Et hæc est Elizabetha Austriaca, quæ Carolo audaci, jus omne in ducatum Luxenburgensem, certo pretio vendidit, eumque totius ditionis, quã in pignus jam ante possidebat verũ ac legitimum dominum constituit. Ita Burgundici juris factum est Luxemburgum.

Filiam

Filiam reliquit unicam Mariam, Carolus, ex Isabella conjuge II. obiit vero ipse ad Nanceum, in Lotharingia, Anno M. CCCC. LXXVII. v. Jan. Heut. Rer. Burg. lib. IV. c. IX. Gen. Lux. f. 207. lib. V. c. I. III. IV. XIV. & præcipue c. VII. & VIII.

§. IV. *Belgium ad domum Austriacam devolutum.*

Maria Burgundica, Caroli audacis filia, & omnium ejus provinciarum hæres, nupsit Maximiliano Austriaco, qui postea Imperator. Hoc modo sine bello, Belgium ad Austriæ Archiduces pervenit, & XVII. provinciæ non armis, sed legitimo connubii jure, eorum imperium susceperunt. Heut. Rer. Austr. lib. I. c. I. VII. VIII. IX. & XI.

§. V. *Accedit Vltrajectum.*

Ex Maximiliano & Maria, unus extitit filius, Philippus Austriacus, omnium Belgii Regionum hæres, qui Joannam, Ferdinandi & Isabellæ, Hisp. Regis & Reginæ filiam, anno M. CCCC. XCVI. duxit, & ex qua natus illi fuit, anno M. D. die XXIV. Febr. Gandavi, Carolus

rolus V. postea Imper. Belgii hæres. Hic ad Belgii provincias, ditionem Ultrajectensem, & Transisalaniam, Groningam, & Cameracum adjecit; Geldriam denuo asseruit.

Ultrajectum resignatione Henrici Bavari, Ultrajectensis Antistitis, accepit. Hic enim cum adversus vicinorum injurias, & intestinos plerumque motus, tueri se diutius non posset, Cæsari Carolo V. ejusque successoribus, Brabantiæ ducibus, & Hollandiæ comitibus, omne jus, ac imperium profanum, quod in urbem, ac ditionem Ultrajectinam, ipse, successoresque habere poterant, certo animo liberaque voluntate cessit. Idem provinciæ ordines fecêre.

Expeditæ sunt publicæ cessionis hujus tabulæ, anno M. D. XXVIII. die XIII. Aug. easque ratas habuerunt, subscriptis nominibus, & appensis sigillis, quinque Canonicorum collegia, Abbates, urbis senatus, & nobiles, quos omnes à sacramento sibi dicto, Antistes liberavit. Idem Cæsari juraverunt; Pontifex Clemens VII. approbavit, confirmavitque. Ecclesiastica jurisdictio, sacrumque imperium, antistiti reservatum fuit. Heut. Rer. Austr. lib. 9. c. VIII. IX. X. & XI.

§. VI. *Ac-*

§. VI. *Accedit Transisulania.*

Trans-Isalani eodem anno, auditis Cæsaris, & Antistitis sui legatis, indictoque totius provinciæ concilio, & re omni maturè deliberata, Cæsari, ejusque legitimis successoribus, servata Antistibus sacra jurisdictione, sese certis legibus submiserunt, & Carolum in principem receperunt. Tabulas hac de re, & omnium deditione confectas, signarunt Caroli proceres, & quicunque ferè è nobilitate Trans-Isalana; moxque præsente jubenteque Antistite, qui eos liberos pronunciabat, Cæsari sacramentum dixere. ibid.

§. VII. *Accedit Groninga.*

Groninga sponte ad Carolum Imper. accessit, quæ antea ditioni Vltrajectensi, & Geldriæ suberat. Groningani enim cum animadverterent, se defendi à Geldro non posse, & variis se bellis objici, Carolo Cæsari, ut Brabantiæ duci, & Hollandiæ comiti, ultro se subjecerunt. Gregorius Sceinkius Groningam, anno M. D. XXXVI. ingressus, Cæsaris nomine magna pompa inauguratus est, & urbis sacramentum Carolo dictum accepit.

Pace postea cum Carolo Geldro facta, idem

idem titulo jurique in ditionem Groninganam, Ommelandios, Dammum, Drentam, Twentam, Couvordam, quæque huc pertinent, Cæsari, ejusque in perpetuum successoribus cessit, renuntiavitque. Heut. Austr. lib. XI. c. VI.

§. VIII. *Accedit Cameracum.*

Cameracum olim intra Hannoniæ limites, avulsum postea, & liberis imperii urbibus accensitum est. Tandem in tutelam hæreditariam, Flandriæ comitibus ab imperatoribus, potissimum Henrico V. & Frederico I. attributum. Galli jus aliquod in hanc urbem sibi vendicantes, sæpius illam occuparunt, quorum præsidium tempore Maximiliani I. Cameracenses, Cæsarianis in urbem intromissis, ejecerunt. Movebantur Gallorum insolentia sævitiaque, quam diutius pati nec poterant, nec dignum censebant.

Carolus V. Imper. ut adversus Gallos Bellicas provincias stabiliret, Cameracum præsidio & arce munivit, ab eoque tempore Cameracenses, Austriacam familiam coluêre, & sub principis Belgarum tutela, suæ urbis statum servavêre. Venit urbs tamen postea in Gallorum rursus potestatem, avaritiâ arcis præfecti; sed anno M. D. XCV. Petrus Henriq. Fontium comes,

comes, fideli civium opera auxilioque, Philippo II. Austriaco, denuo eam asseruit. Heut. Austr. l. I. c. VIII. & l. XII. c. I.

§. IX. *De Geldria iterum, & Zutphania.*

Ad Geldriam quod attinet, ea, ut jam ante retulimus, Carolo audaci paruit, sed iterum Carolus Adolphi, Egmondani filius, invaserat. Anno tandem M. D. XXXVI. Imperator eam, cum Zutphaniæ comitatu, hac lege, Carolo duci reliquit, ut si sine liberis legitimis è vita discederet, ipse ejusque successores, Brabantiæ duces, & Hollandiæ comites, in utramque ditionem succederent. Sed cum anno sequenti convocatis Arnhemum utriusque provinciæ ordinibus, id ageret dux, ut Franciæ Regi sacramentum dicerent, recusarunt ordines, & oppidis fere omnibus ducem excluserunt. Pœnituit facti ducem, compositoque cum ordinibus dissidio, nihil se, quoad viveret, de principe alio acturum promisit.

Anno demum M. D. XXXVIII. moritur dux LXX. annos excedens, & cum legitimos ex conjuge liberos non haberet, nothos autem quam plurimos, contra initum cum Cæsare pactum, quia ditiones

suas

ſuas relinquere Franco, recuſantibus ordinibus, non poterat, Guilielmum Marcanum Cliviæ ducem, qui tum duorum ſupra viginti annorum erat, ſucceſſorem nominavit. Is quorundam factione in ducem recipitur, & præſidia præcipuis civitatibus imponit, quæ res calamitoſi paulo poſt belli cauſa fuit. Ut ſe autem contra Cæſarem tueretur, amicitiam & fædus cum Gallo percutit.

Cæſar hac de re, inter alia, in comitiis Ratisbonenſibus, ad imperii principes retulit, qui, auditis Cliviæ ducis legatis, Cæſarem jus ſuum in Geldriam, ac Zutphaniam perſequi poſſe ac debere, publico decreto reſponderunt. Ardet igitur bellum, & tota provincia cæſareanis armis occupatur. Direptum Duræ oppidum miſerabili incendio, dum miles libidini modum non ponit, totum conflagrarat; qua clade territæ urbes Geldriæ Juliæque deditionem faciunt, & ad cæſarem claves tranſmittunt. Erat is ad Venlonam in caſtris, quo veniens Guilielmus, Cliviæ dux, nigro amiculo tectus, ad Cæſaris pro tribunali ſedentis genua ſe proſternit, Francorum ſe promiſſis deceptum fatetur, veniam petit, conſtantem in poſterum ſedem promittit.

Ignovit illi Cæſar, & in gratiam ea lege

recepit, ut Geldria, Zutphaniaque, Cæsari; ejusque hæredibus, in perpetuum cederet, & earum ditionum incolas dicto sibi jure jurando liberaret. Cessit dux, confectisque ea de re tabulis subscripsit, & in Cæsaris verba juravit.

Ita finito bello reducta pax est, & in pace contracta affinitas. Nam Guilielmus dux, Mariam Austriacam Ferdinandi Romanorum Regis filiam, uxorem accepit, & fœderi cum Gallo renuntiavit. Acciderunt hæc anno M. D. XLIII. Nec constantior deinceps ullus in fide erga Cæsarem, Austriacamque familiam fuit, quam hic dux. Heut. Austr. XI. C. VI. X. XV. & præcipue XXI. item Geneal. com. Geld. f. 248. & 246.

§. X. *Belgium ad Philippum IV. Hisp. Reg. devolutum.*

Carolo V. Imperatori successit Philippus II. Belgarum princeps, & Hispaniarum Rex, qui, patre Bruxellæ resignante Belgii provincias omnes, suo jure, & de ordinum consensu accepit. Idem postea filiæ suæ Isabellæ Hispan. infanti, cum illa Alberto Austriaco Maximiliani II. Imper. filio nuberet, Belgium in dotem dedit. Mortuo Alberto, qui anno

M. DC.

M. DC. XXI. fatis concessit, Belgicæ provinciæ ad Philippum IV. hodie Hispaniarum Regem Austriacum, redierunt. Heut. Austr. l. XIV. c. I. II. III. IV. VI.

CAPUT XVI.

De Provinciis Austriacorum principum in Hispania.

REgna intra Hispaniæ fines, hæc potissimum sunt, Legio, Gallæcia, Portugallia, Algarbia, Andalusia, Granata, Murcia, Valentia, Arragonia, Catalonia, Navarra, Castella vetus, Castella nova, seu Toletanum Regnum, Baleares insulæ, vulgo Majorca, & Minorca dictæ, quæ una cum Ebuso insula, vulgo nunc Ivica, Regnum unum conficiunt. Ex his tria potissimum hactenus clara fuere, Castella, Arragonia, Portugallia, in quæ paulatim reliqua coaluêre.

Et quidem Ferdinandus I. Legioni Castellam adjunxit, unoque nomine utrumque regnum Castellam appellavit; ad eam postea, devictis pulsisque Mauris, Andalusia, Gallæcia, Granata, Murcià, accessere, Asturia Biscajaque deinde, ac tum Navarra. Arragoniæ annexæ sunt Catalonia, Valentia, insulæ Baleares. Portugallia Algarbiam & Guineam sibi vendicat. Qua

oc-

occasione, quove modo, singulæ provinciæ tribus istis regnis sint junctæ, nihil attinet hic dicere.

Cæterum tria illa regna, quæ ex aliorum conjunctione in maximam potentiam excreverant, in unam monarchiam, tanquam in unum Hispaniæ corpus, etiam coaluerunt; Arragonia Castellaque, sub Ferdinando Catholico, ejusque filia Joanna, & Carolo V. Iterum illa cum Portugallia, sub Philippo II.

§. I. *De Castella, Legione, aliisque Regnis iis unitis.*

Ferdinandus Catholicus, hoc nomine IV. Joannis Arragoniæ Regis filius unicus, Isabellam Henrici IV. Castellæ Regis sororem, uxorem accepit, ab ea multis regibus principibusque, qui ejus nuptias ambiebant, antepositus. Cum autem Henricus IV. nulla prole relicta è vivis excessisset, Ferdinandus, Isabellæ uxoris suæ jure, ad Castellæ Legionisque regnum ab optimatibus est vocatus.

Vivebat tum adhuc Joannes, Arragoniæ Rex, ejus pater, post cujus mortem, cum tandem Arragoniæ quoque regnum obtinuisset, illud cum Valentia, Catalonia, Balearibus insulis, Barcinonæ comitatu,

tatu, aliisque ditionibus paternis, perpetua societate, Castellæ & Legioni, quas uxoris causa, possidebat, adjunxit, & ad posteros transmisit.

Idem Granatam urbem, & totum Granatæ regnum, incredibili felicitate, Anno M. CCCC. XCII. à Maurorum crudelitate liberavit, & cum Castella conjunxit. Anno M. D. XII. Navarram authoritate Julii II. Pont. Max. magnis de causis, (de quibus cap. XXII. & seqq.) occupatam, eidem Castellæ univit. Heut. Gen. Reg. Sicil. fol. 194. & Austr. l. 7. c. 5.

Ferdinando & Isabellæ, filius unus fuit Joannes; filiæ quatuor, quarum quæ natu major erat Elizabetha, Emanueli Lusitaniæ Regi nupsit. Joanna Philippo Maximiliani I. Cæsaris filio, Belgarumque principi, uxor est data. Verum cum Joannes, ante parentes fatis concessisset, obiisset etiam paulo post Elizabetha, nec ex iis proles superessent, vocati sunt è Belgio, Philippus Archidux & Ioanna, qui cum in Hispaniam trajecissent, incredibili tum Ferdinandi & Isabellæ, tum optimatum & omnium lætitia, variisque triumphorum generibus sunt excepti.

Indicto deinde ordinum Castellæ concilio, Philippus Archidux, ejus uxor Ioanna, atque eorum liberi, Castellæ, & ad illam

illam spectantium Hispaniæ Regnorum, veri legitimique hæredes renuntiantur. Tum nobiles utriusque ordinis, urbium, ordinumque omnium legati, sacramentum iis solemni ritu dicunt, & Hispaniæ principes appellant. Idem faciunt Arragoniæ, & aliorum regnorum ordines. Heut. Austr. l. v. c. v. & l. vi. c. ii. iii. & viii.

§. II. *Castella ad Austriacos pervenit, sub Philippo Austriaco.*

Enimvero anno M. D. IV. V. Cal. Decemb. obiit Isabella, Castellæ Regina, Ferdinandi Catholici uxor, quod ubi nuntiatum Philippo Archiduci fuit, compositis in Belgio rebus, anno M. D. V. in Hispaniam cum conjuge Joanna profectus, Castellæ, & aliorum ad eam spectantium regnorum hæreditatem adiit, & Rex inauguratus est. Maxima tum erat omnium ordinum, novo Regi faventium, lætitia, sed mox in gravissimum luctum conversa fuit. Nam anno M. D. VI. Burgis VI. Cal. Octobr. Philippus, qui annum ætatis XXVIII. prius agebat, summo omnium dolore, vitam cum morte commutavit. Erat tum Joanna gravida,

quæ

quæ paulo post Posthumam peperit filiam Catharinam.

Mortuo Philippo, Ferdinandus Catholicus ejus socer, cum Joanna filia, Philippi vidua, ad annum usque M. D. XVI. Castellæ Regnum administravit. Eo quippe anno Madrigali apud Estremaduros, cum natus esset annos LXV. ardenti febri extinctus est, cum, condito mensibus aliquot ante testamento, Carolum è filia Joanna nepotem, natu maximum, Regnorum omnium suorum hæredem declaravisset. Heut. Austr. l. VI. c. VI. & X. & l. VII. c. XII.

§. III. *Arragonia sub Carolo V.*

Anno igitur sequenti, Carolus Philippi Archiducis Regisque ex Joanna filius, in Hispaniam venit, & Vallisaleti apud Castellanos in Hispaniarum Regem inauguratus, ac cum matre coronatus fuit: Paruerunt tum illi Castella, Arragoniaque, & quæcunque ad hanc, aut illam, intra Hispaniæ limites Regna spectabant.

Maximus hic, gloriosissimus, & Christianissimus monarcha, cum regnasset annos XL. & Romanum imperium, ad quod decimo nono ætatis anno evectus fuerat,

 annis

annis XXXVI. administrasset, rebus supra invidiam gestis clarissimus, imperium fratri suo Ferdinando, Regna autem sua, & principatus omnes, filio Philippo reliquit. Biennio post, anno videlicet M. D. LVIII. in monasterio *Justi*, vitam piissimè finivit. Heut. Austr. l. 7. c. X. VII. & l. 8. c. I. II. X. & l. XIV. c. I. II. IV. VI. &c.

§. IV. *Lusitania sub Philippo II. Austriaco.*

Philippus II. Caroli V. ex Isabella, Emanuelis Lusitaniæ filia, unicus filius, & legitimus hæres, Regnorum omnium principatuumque paternorum administrationem suscepit. Castellæ, cæterisque Hispaniæ regnis, Portugalliam, seu Lusitaniam adjunxit. Sebastiano enim Rege in Africa, nulla relicta prole, cum exercitu deleto, & Henrico Cardinale, qui post Sebastianum regnarat, terris adempto, ratione matris suæ Isabellæ, quæ Joannis III. Regis Sebastiani avi, soror erat, Regnum istud jure occupavit.

Erant cum Philippo competitores, Anthonius nothus, qui legitimum se credi volebat; Joannes dux Brabantiæ, jure uxo-

ris

ris ſuæ; Alexander Parmæ dux, liberorum loco; Philibertus dux Sabaudiæ; Catharina Medicea Galliæ regina; denique Luſitaniæ populus, Regnum ad electionem ſuam pertinêre contendebat.

Jus ſuum Philippus Theologis, & Juriſconſultis examinandum commiſit, qui competitorum rationibus diligenter conſideratis, eorumque jure diſcuſſo, reſponderunt, Philippo jus certiſſimum in Luſitaniæ Regnum competere, eumque verum ac legitimum hæredem eſſe, idcirco, quod inter competitores omnes, ſolus eſſet, qui propinquiore conſanguinitatis gradu, Henricum regem contingeret, virilis ſtirpis, legitimus, & natu ſeu ætate maximus.

Repellebatur Antonius, quod eſſet, & habitus ſemper nothus fuiſſet, non vulgi tantum & omnium opinione, ſed etiam Ludovici patris ejus, ut ex ipſius teſtamento, certo conſtabat. Talem etiam illum Rex ipſe Henricus judicarat. Excludebatur Parmæ dux, quod imaginariam quandam repræſentationem proponeret, nec in eo gradu & ordine, in quo eam jura admittunt. Non admittebatur Sabaudiæ dux, quod oriundus eſſet ex filia ſororis, imperatrice Philippi matre, ætate junioris; nec dividi regnum poſſet, aut deberet.

Excidebat etiam Brabantiæ dux, quod etsi locus esset repræsentationi, quam uxor ejus urgebat, in ea tantum esset par Philippo, eidem vero cedere deberet, quod fœmina esset, quæ, ubi de regno agitur, in pari consanguinitatis gradu, præferri viro nunquam potest. Aliæ plures erant contra eam rationes, quas hic omitto. Catharinæ Mediceæ vetustum & obsoletum jus, à comitibus Bononiensibus repetitum, non tam discutiebatur, quam irridebatur.

Nec populo concedi electio poterat; quamdiu ex Regia domo supererant hæredes legitimi. Idem in aliis Hispaniæ Regnis observavi, in quibus major libertas esse deberet, quam in Lusitaniæ Regno, quod dono Castellæ Regum, prima initia sumpsisset, & victoriis suorum postea Regum crevisset, non autem à populo ad Reges pervenisset.

Tale cum esset Philippi jus, & interim arma contra eum pararentur, ipse Ferdinandum Albæ ducem cum exercitu misit in Lusitaniam, qui intra LXX. dies, pulso unica pugna Antonio, totum regnum subjecit; atque ita Philippus, Henrico Regi patruo suo, nepos successit, occupataque Lusitania, totam, à mari usque ad mare, & rursum à montibus Pyrenæis,

renæis, usque ad Herculis columnas, Hispaniam, hæreditario jure possedit. Heut. Burg. l. II. c. XVII. XVIII. & XIX.

§. V. *De comitatu Rhuscinonensi.*

Est ab hac Pyrenæorum montium parte, versus Galliam, comitatus Rhuscinonensis, vulgo *Russilionis*, nunc à multis seculis Cataloniæ annexus, olim Romanorum Colonia, quæ Rhuscino latinorum dicebatur. Pars igitur Hispaniæ est, & eodem jure, quo cæteræ provinciæ, ad Austriacos pervenit.

Anno M. C. LXVIII. Cum Gerardus comes Rhuscinonensis, nullo hærede relicto, è vivis migrasset, comitatus ad Alphonsum IX. Arragoniæ regem est devolutus, isque Rhuscinonensis cæpit appellari. Joannes autem II. Arragonii Rex, ærarii inopia compulsus, comitatum hunc Ludovico XI. Francorum Regi, pro CCC. aureorum millibus, in pignus dedit. Postea anno M. CCCC. XCIV. Carolus VIII. Ferdinando Arragoniæ & Castellæ regi, eundem restituit.

In ea ditione arx Rhuscinonensis, & Per-

Perpinianum urbs potissimum eminent. Hanc cum Ludovicus XII. Galliæ Rex, arctissima obsidione premeret, cives immunda primum animalia, tum hostium corpora, ac tandem etiam suorum cadavera, in cibos verterunt; pati extrema maluerunt, quam à suo Rege deficere, ut author est L. Marin. Sicul. Vide Heut. Austr. l. XI. c. XVIII.

Atque hæc tantum de Austriacis in Hispania provinciis, in quas Philippo II. Patri, Philippus III. filius successit, & huic Philippus IV. hodie felicissimus Hispaniarum Monarcha, Austriacæ familiæ princeps, & decus fulgentissimum.

CAPUT XVII.

De provinciis Principum Austriacorum in Italia.

IUris Austriaci in Italia sunt, Sicilia & Sardinia, Regnum Neapolitanum, & ducatus Mediolanensis, de quibus paragraphis seqq.

§. I. *De primis Siciliæ Regibus.*

Siciliæ imperium penes Reges ac Tyrannos stetit, donec maximam insulæ partem

tem ſibi Carthaginenſes vendicarunt. His expulſis, Romani eam occuparunt, & uſque ad Juſtiniani Imper. tempora tenuerunt. Tum Vandali eandem invaſerunt, pulſi poſtea à Beliſario, Juſtiniani duce. Sed cum Saraceni, ſui juris illam feciſſent, eos Tancredus Normannus ejecit, cujus nepos ex Roberto filio Rogerius, primus Neapolis & Siciliæ Rex creatus, Regnum utriuſque Siciliæ appellavit. Regnum enim Neapolitanum, quod nunc in Italia eſt, tunc Sicilia cis Pharum, ſeu fretum dicebatur, ipſa autem inſula, Sicilia trans Pharum.

Manſit Regnum in familia Tancredi, uſque ad Guilielmum III. quem alii IV. vocant; qui cum ſine liberis obiiſſet, Siciliæ proceres, Tancredum Rogerii II. nothum, Regem crearunt. Verum Henricus VI. Imper. ducta Conſtantia, quæ Guilielmi II. filia erat, teſte Cuſp. Regni ſe hæredem nuncupavit, ejuſque, & imperii ſucceſſorem, ex eadem Conſtantia, Fredericum II. reliquit. Secutus eſt illum in regno Conradus filius, cujus curam tutelamque Manfredus, ejuſdem Frederici filius nothus, ſuſcipiens, Siciliam gubernavit, ac tandem, Conrado non ſine veneni ſuſpicione mortuo, occupavit, regemque ſe dixit.

§. II. *Sicilia ad Andegavenses pervenit.*

Hoc igitur cum iniquo animo Pontifex ferret, (etsi Conradinus, Conradi legitimus filius, in Germania superstes patri esset) Carolum Andegavensem, Ludovici IX. Gallorum Regis fratrem, ad utriusque Siciliæ regnum evocavit. Occurrit illi valido cum exercitu, Manfredus, & prælio apud Beneventum commisso, fortuna à partibus Caroli stante, occubuit. Cæso Manfredo, Galli annis circiter XVII. Siciliam administrarunt; quo tempore Conradinus Frederici II. Imper. nepos, & Conradi filius, utriusque Siciliæ legitimus hæres, in Italiam venit, ut Neapolitanum, & Siculum regnum, jure sibi debitum, armis repeteret; sed victus à Carolo Andegavensi, captusque, capitis supplicium, non sine omnium dolore, tam alti sanguinis princeps, subiit, anno M. CC. LXVIII. Gen. Reg. Sicil.

Ab hujus igitur principis cruento excessu, Siculi, Gallorum superbè dominantium luxum, insolentiamque pertæsi, cum non liberorum hominum, sed mancipiorum instar tractarentur, in ipsorum excidium conspirarunt. Igitur ad signum companæ æreæ inter preces vespertinas,

uno

uno quasi momento, per totam insulam Galli trucidantur. Unde Vesperarum Sicularum appellatio est. Perierunt intra duas circiter horas VIII. millia. Carolus ea clade, Siculorumque defectione audita, contractis ex omni Italiæ ora navibus, Messanam terra marique obsedit.

§. III. *Sicilia ad Arragonios, Austriacosque.*

Interea Siculi, quibus mori potius, quam Gallis iterum parêre, decretum erat, missis ad Petrum Arragoniæ Regem legatis, orarunt, ut insulam, ad se, ratione uxoris suæ Constantiæ, Manfredi filiæ unicæ, pertinentem, calamitoso hoc tempore ab injuria, & crudeli Gallorum dominatu vindicaret. Rem illi cum eo futuram, qui soceri interfector esset, & idem Regni occupator.

Horum precibus Rex permotus, victorem exercitum ex Africa, ubi Barbaros oppresserat, in Siciliam traduxit. Ejus tam repentino adventu territus Carolus, obsidione soluta, Neapolim retrocessit; quo pulso fugatoque, Regni gubernacula Petrus suscepit, & ex eo tempore, Sicilia Arragoniæ conjuncta fuit. Petro enim Regi, Jacobus filius successit: alii deinde usque

ad Ferdinandum Catholicum, qui Siciliæ Regnum, una cum Arragonico, ad Carolum V. Imperat. Austriacum, suum ex Joanna filium nepotem, transmisit. Erat & illa Joanna, Ferdinandi I. Arragoniæ & Siciliæ Regis proneptis.

Caroli V. Imper. filius Philippus II. post patrem Siciliam obtinuit, quam Philippo III. filio suo reliquit, & hic Philippo IV. Siciliæ hodie & Hispaniarum Monarchæ. Heut. Gen. Reg. Sic. &c. f. 195. & seqq.

§. IV. *Sardinia ad Arragonios, deinde ad Austriacos pervenit.*

Sardinia, Romani imperii bellis punicis olim facta, à Saracenis postea fuit occupata. His ejectis, Genuenses ac Pisani, de ejus dominio aliquamdiu contenderunt; donec Romanus Pontifex Arragoniæ Regibus eam assignavit, quo titulo tandem ad Hispaniarum Reges Austriacos pervenit.

Insulam illam Jacobus Arragoniæ Rex, per Alphonsum filium, Pisanis & Genuensibus ereptam, sibi asseruit. Postea cum Genuenses iterum quasi totam occupassent, Petrus IV. Arragoniæ Rex, percusso cum Venetis fœdere, eorumque tri-

triremibus adjutus, cum illis in mari conflixit, & captis tribus supra viginti triremibus, plurimisque depressis, Sardiniam retinuit. Ejus filius Martinus, Arragoniæ quoque Rex, seditiosos non ita diu post Sardos compescuit; illi in fide deinceps manserunt, & Austriaco Hispaniarum Regi Philippo IV. hodie parent. Heut. ibid.

§. V. *De primis Regibus Neapolitanis.*

Neapolitanum Regnum, pulsis Saracenis, iidem primo Reges, qui Siciliam, tenuêre. Unum enim erat utriusque provinciæ Regnum. Dejectis vero è Sicilia Gallis, eaque ad Arragonios translata, Neapoli tamen Carolus Andegavensis regnavit, & jus suum, morte Conradini legitimi hæredis, ut supra commemoravimus, sancivit. Illi successit Carolus II. huic Robertus filius; Roberto Avo Joanna prima filia Caroli Calabri, qui erat Roberti filius, fato ante patrem functus.

Adversus hanc Urbanus VI. Carolum Dirrachii principem, vulgo Durasium, ex Hungaria evocavit, cui ut aliquem Regina opponeret, Ludovicum

Andegavensem, Joannis Galliæ Regis filium, ex Gallia excitum, successorem adoptavit. Sed frustra is conatusfuit, nam antequam ille in Italiam appelleret, Regina vita & Regno per Carolum Durasium est spoliata. Tenuit hic aliquot annis Regnum, cujus hæredem Ladislaum filium moriens reliquit; & ille, quod liberis careret, Joannam alteram sororem suam, anno M. CCCC. XIV.

Hac jam regnante Joanna II. sed non magna pudicitiæ laude, Ludovicus Ludovici Andegavensis nepos, à Martino V. pontifice evocatus, regnum invadere tentans, Reginam Neapoli obsedit. Erat illa tum post mortem mariti sui Guilielmi, Austriæ ducis, sine prole vidua, quæ ut tempestatem hanc depelleret, Alphonsum V. Arragonum, tum in Sardinia, contra Genuenses bello occupatum, adscivit, inque filium adoptavit. Adfuit mox Alphonsus, commissoque prælio Ludovicum vicit, & Reginam periculo liberavit.

Meritus hoc officio adoptionis beneficium gratissimus Reginæ filius extitit; sed mox cum illa liberiore vita, quam pati ipse posset, uteretur, ob enatas suspiciones, Regina adoptionem rescidit, & abdicato Alphonso, hostem paulo ante suum

ſuum Ludovicum adoptavit. Cui ſine prole decedenti, Renatus frater ſuccedebat.

§. VI. *Obtinent Neapolim Arragonii.*

OBiit ſine prole, ut dixi, & ante Reginam Ludovicus, quæ, ut mutabile eſt fœminæ ingenium, irritam Ludovici adoptionem, teſte Hier. Zivitâ, declaraverat, & priorem de Alphonſo factam confirmarat. Succeſſit tamen, mortua Regina, fratri ſuo Renatus. Verum Alphonſus, qui jam ante Ludovicum glorioſa victoria ſuperarat, revocatus à Neapolitanis, Renato redire in Galliam compulſo, regnum obtinuit, quod illi Eugenius Papa conceſſione Apoſtolica ratum fecit, in eoque Siciliam utramque conjunxit. Succeſſorem Alphonſus Ferdinandum filium nothum, præterito fratre ſuo Joanne, deſignavit.

Ei utriuſque Regni diadema Pontifex Pius II. conceſſit, & adverſus illum fruſtra fuere conatus Joannis Lotharingii, Renati filii, qui victus, atq; ex Italia deturbatus fuit. Ferdinandum hunc ſecutus eſt Alphonſus II. patrem filius, approbante Alexandro VI. Pontifice, ad quem deturbandũ, cum Carolus VIII. Franciæ Rex adventaret, ultro ſe, ſpe victoriæ fortaſſis abjectâ,

Regno

Regno abdicavit, & illud in Ferdinandum II. filium transtulit. Hic auxilio Ferdinandi Catholici, Hispan. Regis, & singulari virtute Consalvi Magni, Francos expulit, sibique regnum asseruit, atque illud ad Fredericum patruum suum, Ferdinandi I. filium, quod liberis careret, moriens transmisit.

Illum Neapolitani, quippe sanguine proximum, Regem proclamarunt; Valentinus Cardinalis à Pontifice Neapolim missus, coronam capiti ejus imposuit. Adversus hunc Hispaniæ, sub Ferdinando Catholico, & Franciæ, sub Ludovico XI. vires coiêre. Quare Fredericus defensione desperata, thesauris suis ex pacto sumptis, in Ænariam discessit, unde in Galliam, ubi exul annuis à Rege xxx. nummorum millibus, calamitosam vitam toleravit.

§. VII. *Divisio Regni Neapolis inter Hispanum & Gallum.*

Exinde Gallus, Hispanusque regnum divisêre; Gallo Neapolis & vicina loca, Hispano Calabria & Apulea cessêre. Ictum fœdus erat inter utrumque, sed de Capitinata ditione, orta inter illos dissensio, novi postea belli causa. Hac quippe occasione, resumpta arma Hispani, Gallique inter

ter se distrinxêre, utrique universum regnum spe & cupiditate complexi. Quærebatur Gallus provincias sibi attributas, vectigalibus inferiores esse iis, quas Hispanus occupabat; ut proventus exæquarentur, Capitinatam sibi relinquendam.

Hispanus provinciarum permutationem, si Gallum divisionis factæ pœniteret, non recusabat. Si id non placeret, divisis principatu & Lucania, æqua fieret compensatio. Harum conditionum neutra Gallo placuit. Rejiciebat inprimis provinciarum permutationem, ne urbe Neapoli, Regioque titulo ejus urbs, & Hierosolymæ, per fœdus concesso decederet. Cum nihil hoc modo proficeretur, bellumque ardere inciperet, monuit Rex Catholicus suos, ut Gallos quacunque ratione placarent. Exhorrebat enim arma, & pacis studio flagrabat.

Convenêre igitur designati ex utraque parte viri, & instaurata divisione, prorsus ex Gallorum commodo voluntateque, Lucaniam, Principatum Capitinatam ex ęquo partiti sunt. Interea novus ex Gallia miles, & pecuniæ in stipendium affatim missæ; quo subsidio confirmati Galli rupêre moras, spretaque divisione, Apuliam invaserunt. Renovatur itaque bellum, sed in quo continuis pœne victoriis Consal-

vus

vus magnus, admirabili diligentia, consilio, fortitudine, Regnum universum Regi suo acquisivit, aut potius jus ipsius asseruit.

§. VIII. *Regnum Neapolis ad Austriacos pervenit.*

Julius II. Pontifex Maximus Ferdinandum Catholicum, Siculum, Neapolitanum, & Hierosolymitanum Regem agnovit, & dixit. Illi ex ordine successit Carolus V. cum matre Joanna Regina; Carolo Philippus II. filius; deinde Philippus III. & Philippus IV. monarcha felicissimus. Heut. Gen. Reg. Neap. f. 195. & seqq.

§. IX. *De Ducibus Mediolanensibus.*

Insubriæ caput seu metropolis Mediolanum est; à qua urbe nomen ditioni est ducatus Mediolanensis. Varios principes hæc ditio experta est, inter quos (ut priores omittamus) Joannes Galleaceus I. Mediolani dux, Cæsarea auctoritate renunciatus, filios reliquit duos, Joannem Mariam, & Philippum Mariam; filias totidem, Annam Bavariæ ducem, & Valentinam Ludovici

dovici Franciæ Regis uxorem, matremque Caroli Andegavenſis.

Sublato morte violenta, ac ſine liberis Joanne, Philippus Maria, ejus frater, ſurrogatur, cujus filiæ tres fuere legitimæ, nulli filii; proinde moriens, Alphonſum Siciliæ Regem, teſtamento ſuo, Mediolani ducem nuncupavit. Eo mortuo Mediolanenſes volentes ſe in libertatem aſſerere, Philippi teſtamentum rejécêre, & cum ortum eſſet illis contra Venetos bellum, Franciſcum Sfortiam (qui Blancam Philippi ducis filiam notham duxerat) belli ducem elegerunt. Eundem re bene geſta, & multis victoriis clarum, adnitente Coſmo Mediceo, tandem etiam Mediolani ducem renunciarunt.

Fuerunt illi filii quinque, Galeacius, Ludovicus, Aſcanius, Philippus, Octavianus; filiæ duæ, Hyppolita & Maria. Galeacius patri Franciſco in ducatum ſuffectus eſt, qui relictis filiis duobus, Joanne Galeacio & Hermete, ex bona Ludovici II. Sabaudiæ ducis filia, propter libidinem & luxum, à quo diffluebat, interfectus eſt. Succeſſit patri admodum adhuc puer Joannes Galeacius, ſub matris, & Ludovici Sfortiæ patrui ſui tutela. Verum hic ducatum invaſit,

à Me-

à Mediolanensibus, qui pueri ætatem contemnebant, receptus, & à Maximiliano Cæsare in comitiis Wormatiensibus, dato diplomate, dux confirmatus.

§. X. *Ducatus Mediolanensis ad Gallos.*

Victus postea fuit Ludovicus Sfortia, à Ludovico XII. Galliarum Rege, & in Franciam, amisso Mediolano, abductus, cum ei superessent filii duo, Maximilianus & Franciscus Sfortiæ, ex Beatrice Estensi Ferrariæ ducis filia. Anno captivitatis x. Lugduni in carcere obiit Ludovicus. Tenebant Mediolanum, Sfortiis exclusis, Franci, donec annitentibus Pontifice Romano, Helvetiis, & Episcopo Valensi, circa annum M. D. XII. Maximilianus Sfortia, Ludovici in Francia mortui filius, à Maximiliano Cæsare in ducatum paternum est reductus, nulla tamen aut titulo, aut diplomate concesso.

Hujus tempore, redeuntibus in Italiam Gallis, cum bella pœne prioribus graviora exorirentur, Maximilianus ditione Mediolanensi exutus, & in custodiam Pariseos deductus, xv. annis post, ibidem sine liberis inter mortales esse desiit. Interea ipsi quoque Franci Mediolanum amisêre;

capto-

captoque, & in Hispanias ad Cæsarem abducto, Francisco I. eorum Rege, Italia à Gallis est liberata. Potiebatur Cæsar Carolus V. Mediolanensi ducatu, quem, parta de Francisco I. ad Papiam victoria, facile, fugientibus Gallis, accepit. Sed Maximiliani frater Franciscus Sfortia, supererat.

Hunc Cæsar in ducatum, quem sexennio Galli tenuerant, restituit, & postea misso per Lopam Uttardũ diplomate, certis legibus Mediolani ducem renunciavit. Felix erat, nisi Moroni Consiliarii sui perfidia fere periisset. Ipse enim Sfortiam in fædus cum Venetis, Pontifice, aliisque inducere tentavit, ut Cæsar & Hispani Italia ejicerentur. Nec deerat animus, si in partes venire Piscarius, Cæsarei exercitus dux, cui Regnum Neapolitanum promittebatur, voluisset. Is aurem præbere se simulavit, & animum texit, donec cognitis penitus hostium consiliis, Cæsari conjurationem universam manifestavit. Tum capto per astum Morono, & Sfortia reo proditionis facto, quod cliens contra Cæsaris patroni Majestatem conjurasset, atque idcirco in ejusdem Cæsaris potestatem Insubria recidisset, Mediolanum & maximam ditionis partem occupavit, in arce Sfortiam obsedit, unde tandem deditione facta liber exivit.

Rursus

Rursus igitur illi in Cæsaris clementia spes omnis fuit, apud quem, cum se Bononiæ, ut poterat, purgavisset, denuo novis legibus Mediolanensem ducatum singulari beneficio recepit. Et Cæsar tum, ut animum suum pacis amantissimum Italis testaretur, inita cum Venetis aliisque pace, Christiernam Christierni Daniæ Regis filiam, & suam ex Elizabetha Austriaca sorore neptem, eidem Sfortiæ collocavit.

§. XI. *Ducatus Mediolanensis ad Austriacos.*

Obiit tandem Franciscus Sfortia anno M. D. XXXV. Octob. die XXIV. Insubriæ, suæ familiæ dux postremus, & cum nullos ex Christierna, quæ vixdum pubuerat, liberos suscepisset, Cæsar ex ejus testamento Insubriæ principatum adiit, & ad posteros suos transmisit.

Fuerunt hi Philippus II. Philippus III. & hodie Philippus IV. Austriaci, & Catholici principes, qui, quia imperio obnoxia Insubria est, & ejus, ut appellant, clientale membrum, singuli authore patrono Imperatore possessionem adierunt, diploma acceperunt, sacramentum dixerunt, & etiamnum dicunt. Heut. Austr.

l. V.

l. v. c. v. vi. l. vii. c. v. ix. x. l. ix. c. i. ix. l. x. c. ii. ix. l. xi. c. ii. vii. l. xiii. c. xxiii. & l. xv. c. i. Consule etiam Franc. Guicc. l. Hist. 15. Paul. Jov. in vit. Ferd. Dar. March. pisc. l. 3. 4. 5. & 6.

CAPUT XVIII.

De provinciis Principum Austriacorum in Indiis.

SUperest, ut de provinciis, quas principes Austriaci in Indiis possident, dicamus. Quia vero eæ omnes, aut juris Castellanici sunt, aut Lusitanici, & Serenissima Austriacorum familia Hispanias omnes, atque adeo Lusitaniam seu Portugalliam, hæreditatis & legitimæ successionis jure sibi vendicavit, dubium de ejus in provincias istas, & novum orbem, jure esse non potest. Confirmabuntur hæc magis ex sequentibus.

CAPUT XIX.

Quis primus Indiarum repertor.

AUthor I. ad occiduos Indos navigationis, Christoph. Columb. fuit, natione Ligur seu Genuensis, ingentis animi vir, singulari industria, & rei nauticæ inprimis peritus. Hic cum Navarchum quendam, qui in Africæ commerciis occupatus, ventorum violentia ad ignotas terras appulerat, reversus in Lusitaniam hospitio excepisset, ab eoque confectas de tota ista navigatione tabulas accepisset, ut erat in Astronomica disciplina versatissimus, non dubitavit, quin ultra orbis terminos ad occidentem, magna terrarum spatia paterent, & quæ adiri possent.

Id Joanni Lusitanorum Regi, deinde Henrico Angliæ Regi, ejus nominis VII. actum Galliæ Regi communicavit. Quia somnia adferre videbatur, rejectus est. Inde ad Ferdinandum Castellæ & Arragoniæ Regem se contulit, ab eoque tandem tres naves, Regis sumptibus instructas accepit, quibus in Oceanum Athanticum egressus, præteritisque Canariis insulis, & superatis vasti Pelagi fluctibus, non paucas demum insulas in ea regione, quæ florida dein-

deinceps dicta est, invenit. Earum explorata conditione, & divitiis, incolisque ad civilem vitæ rationem compositis, arcem ibidem construxit, præsidioque munivit, & in Hispaniam iter denuo convertit.

Admoniti de successu Reges, classe paulo post instructiore, Columbum remittunt, qui plures insulas alias, in his Hispaniolam & Cubum, spatiis præ cæteris latiores, & magnam continentis illius partem exploravit, quod à freto Magellanico, ad Bajadoris promontorium est. Nihil illum, & socios ejus in eo tractu latuit; sed ipse XIV. annis post, immortali gloria dignissimus, obiit. Cujus exemplo excitati alii, varias insulas & littora, ad occasum aperuerunt.

In horum numero Americus Vespusius Florentinus, Brasiliam universam auspiciis Emanuelis Lusitani exploravit. Vascus deinde Nonnius Balboa, Isthmum à portu nominis-Dei ad Panamam & mare Antarcticum primus invenit, magno sane Hispanicæ Gentis fructu gloriaque. Plures in hanc rem incubuerunt, quos consulto prætereo; cum paratum habeam exiguum tractatum de navigationibus in novum orbem. Anno vero M. D. XIX. Ferdinandus Cortesius post multos labores, urbem Mexicam, & Pontonhoviam miraculoso certa-

certamine, in quo D. Jacobus inter præliantes visus, occupavit, ac plura inde loca Regi suo subjecit.

Secutus est Ferdinandus Magellanus, qui quærendis insulis Molucis vela dedit, concessa sibi à Carolo V. potestate. Hic repertis primum, variis insulis ad 52. ultra æquinoctialem gradus progressus, ingens fretum, ab eo Magellanicum dictum, audacter mortalium primus pertransivit. Multæ in eo freto insulæ sunt.

Inde ad æquinoctialem revertens, ad vastissimum pervenit Oceanum, à quo non procul Molucas insulas esse sibi persuadebat. Sed ad alias insulas appulit, in quibus cum nulla annona esset, nullique homines, has infortunatas appellavit. Ad aliam tandem, quæ Zebuta dicitur, pervenit, cujus Regem Christianis documentis imbuit, & paulo post in Mantanam descendit, ubi commissa pugna, in insidias adductus occubuit, nec Molucas vidit.

Joannes Serra Magellani socer, superatis innumeris periculis demum anno M. D. XXI. ad insulam Tydoram, è Molucis unam, sub æquinoctiali sitam appulit, & ab ejus Rege humaniter exceptus fuit. Ita tandem repertæ sunt Molucæ, quarum præcipuæ sunt quinque, Tydora, Terenatum, Matira, Machia, Bachia, ab Hispania

nia 150 gradibus distantes. Joannes Sebastianus Canojus, navi una, quæ Victoria dicebatur, ad orientem tendens, cum universum penè orbem circumnavigasset, in Hispaniam rediit. Sed nolo hic singulas in novum orbem expeditiones referre. Vide Pont. Heut. Rer. Austr. lib. VIII. c. XIII. XIV. XV. lib. X. c. VIII. & lib. XI. c. XVIII.

CAPUT XX.

Mens Ferdinandi Regis Catholici, in occupando novo orbe.

CÆterum, ut de jure novi orbis occupati constet, ubi primum Columbus, ex priore navigatione in Hispaniam rediit, Ferdinandus Rex Alexandro VI. Pontifici, per legatum exposuit, se jam pridem statuisse, insulas aliquot & continentis Regiones procul dissitas & incognitas, nec ante à quoquam repertas investigare, quo præsertim earum incolas, ad Christi cultum adduceret.

Hanc ob causam se cum classe, peritis nautis, militibusque veteranis instructa, Columbum non sine maximis difficultatibus, periculis, & expensis per maria misisse, quæ nunquam quisquam navigasset.

Illum in Oceano insulas aliquot à nostris nunquam visas, & continentis provincias invenisse, quas pacis amantes quædam Gentes incolerent, eas corpore totas nudas incedere, neque carnibus vesci; credere unum Deum, atque eum cœlo contineri.

Quæ res spem faceret, eos homines à recipiendis nostris moribus & institutis non fore alienos, ac facile apud eos, si instituerentur, Christi nomen Catholicamq; religionem introductum iri. Eas porro insulas terrasq; auro, argento, & aromatibus abundare, ac multis etiam aliis varii generis rebus pretiosissimis excellere. Velle igitur eas, sibi per suos subjici, imperioque suo, in eas Christianam fidem invecturus, adjici. Ita refert Joan. Metell. in epist. ad Anton. Aug.

CAPUT XXI.

Confirmatur jus Castellæ Regum in novum orbem, Apostolica auctoritate.

POntifex Alexander VI. ut idem Metell. commemorat, laudatis Regis Ferdinandi consiliis, ipsum ad ea exequenda, per baptismi Sacram. Christique viscera cohortatus, quo expeditionem ardentiori animo susciperet, susceptamque non intermitteret, eidem Regi, & posteris Castellæ Legionisque Regibus, ex Apostolica illa summa auctoritate, Cardinalibus universis ultro,

ultro,re cognita,uno ore approbantibus,in perpetuum pleneque conceſſit, donavit & attribuit, omnes inſulas, continentiſque provincias repertas, & quæ in poſterum à ſuis reperirentur,occidentem & meridiem verſus, ductâ ab arctico Borealive polo ad antarcticum,hoc eſt,auſtralem polũ, lineâ.

Inſulas etiam illas,& continentis regiones inventas,& quæ invenirentur, Indiam, vel quamcunq;partem verſus.Ita quidem ductâ lineâ, ut ea 100 milliaribus diſtaret, à duarũ inſularum qualibet, occidentem meridiemque verſus; ab ea nempe inſula, quæ vulgo Hiſpanis Axores à Falconibus dicitur; & ab altera, quam nunc illi, Viride caput, antiqui autem Heſperides appellant.

Quarum omnium inſularum, & continentis provinciarum quæſitarum, & quærendarum, idem Pontifex eundem Regem, & perpetuos ejus ſucceſſores, veros legitimoſque dominos, cum libera omnimodaque in iiſdem poteſtate conſtituit. Si tamen quiſquam Chriſtianorum principum Regumq;, aliquam ex iis inſulis, continentiſque regionibus, ante Chriſti natalem, anni M.CCCC. XCIII. (à quo tempore, donationis hujus vires initium primum habent)poſſediſſet, ſalva ei ſua eſſet omnis auctoritas, nec ullum ei, ab hac donatione damnum aut præjudicium oriretur.

Quo vero firmius ei Regi, posterisque donatæ hæ insulæ, provinciæque censeantur, sanxit Pontifex, ne quis absque ejus Regis, successorumque permissu, ad eas, ducta, quæ dicta est, linea, comprehensas, quicunque is tandem vel Rex, vel princeps, aliusve foret, negotiationis & mercimoniorum, aliâve ex causa naviget. Qui fecerit, ei tum primum aqua & igni sit interdictum, gravi nimirum excommunicationis, quam appellant, fulmine feriatur. *Ne aliquo*, inquit Pontifex, *unquam tempore, ô Rex, periculis laboribusque tui terreantur, proque certo habeant, Deum Opt. Max. ipsorum principia promoturum. Ab eo manant imperia, is actiones tuas reget, optatumque rerum successum brevi ad incredibilem populi Christiani gloriam largietur.* Datæ hujus Pontificiæ donationis litteræ solemnes IV. Non. Majas, anno Christianæ salutis M. CCCC. XCIII.

Inde factum est, ut Hispani testentur universis, se has insulas, & continentis provincias, ex Pontificis maximi auctoritate, cohortatione, ac jussu, petiisse bello; tum eas quærere, & ad Christianam religionem earum populos, id quod Pontifex iis præceperat, convertere, hocque jure quæsitas, tanquam proprias administrare, tueri, retinere, conservareque posse.

CA-

CAPUT XXII.

Nulla bella sanctiora, quam quæ ab Hispanis Lusitanisque in novo orbe, & Indiis, sunt gesta.

ET sane nulla unquam bella, quæ vel fama, vel scriptorum monumentis percepimus, sanctiore instituto suscepta videntur, quam quæ ab Hispanis Lusitanisque, in novo isto orbe, & Indiis sunt gesta. Siquidem unum illis propositum fuit, Christi gloriam, ejusque numen, ac nomen, iis in locis illustrare, & ad barbaras istas nationes, idolorum dæmonumque cultibus infames, extendere, proferre, propagare.

Fuerunt equidem, qui num jure gentes illæ commoveri bello possent, dubitavere. Sed multi optimi gravissimique viri, maximas ob causas, eorum opinioni restiterunt, ac exemplis docuerunt, tam barbaras ferasque gentes, nulla humanitatis ratione, ad verum Deum cognoscendum perduci posse, nisi primum expugnarentur, & armis, sub imperium ditionemque principis Christiani subjicerentur.

Neque dubium est, inquit Joann. Metell.

quin gentes illæ Deum afficient maximis, & horrendis injuriis, contumeliisque, quas Christiani minime ferre debent, cum ipsos omnibus in locis, & apud omnis generis homines, Dei gloriam semper in oculis & corde habere necesse sit, & ipsum Deum corã palamque confiteri. Negare quippe Deum videntur, qui sese iis, cum possint, non opponunt, qui illum tam crudeliter impetunt, ac convitiis dilacerant. Et si ab amico avertere injuriam amicus debet, quanto magis Christiani laborare tenentur, ut à Christo contumeliam propulsent, & illatæ ipsi injuriæ vindices existant? Itaque Hispani, Lusitanique totis iis provinciis, in quibus trophæa fixerunt, nihil antiquius sibi duxerunt, quam ut Deo duce, Christianam religionem in iis, multo suo sanguine sancitam fundarent.

Franciscus à Victor. Theologus plane eximius, & Salmaticensis academiȩ prȩclarissimum aliquando decus, relect. 5. sect. 3. asserit, *quod etsi Pontifex civile dominium in orbem universum non teneat, potestatem tamen habeat in temporalibus, in ordine ad spiritualia, cum ad eum spectet, ut in totum orbem Evangelii doctrina propagetur, potissimum curare. Proinde, cum rebus spiritualibus ita expediret, potuisse illum, solis Hispanis Christianæ religionis propagationem committere, aliis eandem, atq; adeo commercia cum Indis, interdicere. Ne nimirum, si alii ex aliis provinciis passim eo concurrerent; aut invicem quadam æmulatione sese impedirent, aut seditionibus exortis, cre-*

scentis

scemis religionis negotiũ ac tranquillitatẽ perturbarent, sicq; fieret, ut à fide nostra barbari abhorrerent. *Praterea,* inquit, *cum principes Hispani suis auspiciis & sumptibus, primi omniũ, in Indias navigationẽ susceperint, & tam feliciter novum orbem invenerint, justum est, ut ea peregrinatio aliis interdicatur, & ipsi solum inventis fruantur.* Plures ille titulos ibid. refert, eosque legitimos, quibus barbari in ditionẽ Hispanorum venire potuerunt. Nos hic illos consulto præterimus.

CAPUT XXIII.

Divisio novi orbis inter Castellanos & Lusitanos.

PОrro cum inter Castellanos Lusitanosque, initio navigationum istarum, de quibusdam insulis, exorta esset controversia, placuit eam ad Alexandri VI. Pontificis arbitrium referre. Is ut cap. XIX. diximus, Cosmographorum judicio, constituta ab Aquilone per meridiem versus occidentem linea, quicquid ad orientem terrarum reperiretur, Lusitanici juris esse jussit, quicquid ad occidentem Castellanici.

Non erat ea sententia contentus, Joannes Lusitaniæ Rex, milleque & sexcentis milliaribus ab Africa, lineam istam versus occidentem trahi magis postulabat; nec renuit Ferdinandus Catholicus, alibi tum bellis implicatus. Quæ postea difficultates extiterunt, facile sunt sopitæ. Heut. Aust. l. VIII. c. XIV. & XV.

Facta autem tam audaci orbis terrarum divisione, Castellani Lusitanique, felicibus auspiciis, novas terras insulasque invenire, religionem Catholicam disseminare, & Regum suorum, imo Regis sui, qui hodie omnium Hispaniarum est unus, & Austriacus, imperium non desinunt amplificare. Qui de eorum jure dubitat, legat Francis. à Vict. Alex. VI. diplom. Osor. Metell. & alios.

CAPUT XXIV.

De Regno Navarræ. Ius Franciæ Regum in Navarram.

SUperest, ut nunc enarremus, quod cap. XIV. omisimus, qua ratione, Navarræ regnum, sub Ferdinando Catholico, Regno Castellæ unitum sit, quod seqq. docemus cap.

Est autem Navarra, Hispaniæ Regio, cujus pars præcipua trans Pyræneos montes, & in ipsis montibus, altera cis montes Galliam versus. Metropolis Pompejona, seu Pompejopolis est. Antiquitus Reges suos habuit; tum Romanis, postea Gothis paruit; tandem à Mauris quoque, ut aliæ in Hispania regiones, occupata. Garsias Ximenius, ejusque successores, Mauris paulatim ejectis receperunt, ac tum duces suos cum

cum Arragonia habuit, usque ad Ennicum Aristam, qui primus Rex fuit, & Navarram cum Arragonia ad posteros transmisit. Inter hos Sandius major, divisis inter filios regnis, Garsiæ Navarram assignavit, quem multi alii secuti sunt, à nobis hoc loco non recensendi.

In hoc Navarræ regnum, jus suum Franciæ Reges ita astruunt. Carolus III. Navarræ Rex, filiam unicam, è Leonora Castellana, Blancam habuit. Hanc Joanni Ferdinandi, Arragonum Regis filio, ea lege conjugem dedit, ut si illa è vivis ante eum excederet, & si nullæ essent ex eorum conjugio proles, ipse in Regno successor esset, & administraret. Joannes igitur post mortem Caroli socii sui, Navarræ Rex est renunciatus, & ex Blanca conjuge, filium unum Carolum, filias duas Blancam & Leonoram suscepit.

Carolus mortua matre Blanca, ut sibi regnum assereret, bellum patri movit, sed frustra. Obiit ipse immatura morte ante patrem, quem regno depellere tentaverat. Blanca filiarum una & natu maxima, Henrico IV. Castellæ Regi nupsit: altera Leonora Gastoni comiti Foxano. Et hæc mortuo fratre Carolo, sororeque Blanca, cum sola regni hæres esset,

Joanni patri successit, factaque Regina maritum Gastonem Regem fecit.

Ex eorum conjugio extitit Gasto, cujus filius Phœbus fuit. Ex Phœbo geniti Fanciscus Phœbus & Catharina; ille brevissimo tempore sub aliorum tutela vixit & rexit, post cujus fatum, Catharina soror Navarræ Regnum hæres adiit, & Joanni Alberto nupsit.

Coronatus hic Pampelonæ fuit, & ex Catharina conjuge Henricum Albertum filium suscepit. Henrico data uxor Margareta, Francisci I. Galliarum Regis filia, quæ ei Joannam peperit, unicam Navarræ Regem. Joanna Antonio Borbonio nupsit; & hi parentes fuerunt Henrici Borbonii, ejus nominis IV. Galliarum postea Regis, cujus filius Ludovicus XIII. & hujus filius Ludovicus XIV. hodie in Francia gloriose ac feliciter regnat. In hoc legitimæ successionis ordine, jus suum Franciæ Reges constituunt.

CAPUT XXV.

Jus Hispaniæ Regum Pontificia concessione.

PORRO Joanni Alberto circa annum M.D.XII. Ferdinandus Catholicus Aragoniæ & Castellæ Rex, Navarræ Regnum his de causis ademit. Julius Pontifex

cum

cum cognovisset, Navarræ Regem Ecclesiæ hostibus favere, & patres Pisani conventus, hostes suos, omni benevolentia auxilioque complecti, re cum Cardinalium senatu communicatâ, Albertum Navarræ Regem, & Catharinam Reginam, sententiâ suâ Anathemate ritu Christiano devinxit, Regno excidisse declaravit, & ad illud occupandũ, principes alios invitavit.

Pronunciata Romæ sententia fuit XII. Calend. Mart. diploma ad Ferdinandum Catholicum in Hispanias missum, ut Pontificium decretum exequeretur. Is sub Mart. finem Petrum Hontanonium misit, qui Reges officii sui admoneret, & si saperent, cum Gallo rationes non miscerent, neque suis, neque Ecclesiæ hostibus faverent, aut per fines suos transitum darent.

Utriusque rei Henricus eorum filius in Castellam ablegaretur, certa conjugii spe, cũ Isabella aut Catharina Ferdinandi neptibus. Honestissima erant hæc postulata, sed Navarræus Gallicis fretus opibus, si quid adversi incideret, animo feroci repulit, Ferdinandi amicis molestus fuit, delectus in ditione sua habuit. Ne id faceret, monebat eum Ribera, limitum istorum præfectus, sed frustra. Ita Mariana & alii referunt.

Igitur Ferdinandus, ut Albertus ad saniora consilia revocaret, Albano mandatum

dat, ut Navarram invadat, qui nihil cunctatus, frustra resistente Alberto, Regnum universum occupavit. Consternatus ea jactura Albertus, inopsque consilii, facturum se, quæcunque imperarentur, per legatos promittit: breve responsum, daret regnum, & filium obsidem, donec sociale bellum, & Ecclesiæ dissidia componerentur. Hoc responso irritatus Albertus in Galliam descendit, multa conatus, sed fortuna felicem successum invidit. Ita Navarræ Regnum Pontificia sententia Hispano cessit.

Nec id novum; plures enim olim Reges Apostolicæ sedis decreto, ditione sua spoliati sunt, quos extrema meritos furiali carmine Pontifices devoverunt, & jure sacro maledixerunt. De ea potestate disputandi locus hic non est; morem istum majores exemplis suis dederunt.

CAPUT XXVI.

Enumerantur plures causæ perditi Navarræ Regni.

SEd non una causa perditi Navarræ regni fuit; hæc altera est. Ferdinandus ad justum bellum profecturus, transitum ab Alberto Rege per Navarram petiit, viam nimirum

nimirum jure Gentium cunctis mortalibus communem. De damno abunde cavebat, & innoxium iter suum esse volebat. Negavit Albertus, sed *arma tenenti omnia dat, qui justa negat*. Viam vi sibi fecit Ferdinandus, Regnum invasit, & tenuit.

Exempla in sacris voluminibus sunt, quæ divinum, & naturæ jus ostendunt. Seon Amorrhæorum Rex, Israelitis in terram sibi promissam tendentibus, transitum negarat; Moyses divinitus admonitus Regnum invasit, & possidendum Israelitis tradidit. Judas Machabæus superatis Galaaditis victor, cum in Judæam rediret, nec alia via esset, transitum per urbem Ephron nulli nociturus petiit. Petitioni ejus portas clausas Ephronitæ objecerunt: at Judas urbem aggreditur, uno die nocteque una oppugnat & expugnat; cæsis deinde virilis stirpis omnibus, urbeque spoliata, per abjecta mortuorum cadavera transit.

Fortassis etiam occultum aliquod hac in re omnipotentis Dei judicium licet suspicari. Fuerunt Joanni Arragono Navarræ Regi, ut supra retulimus, filiæ duæ, Blanca natu maxima, Henrico IV. Castellæ Regi nupta, & Leonora, quæ ad nuptias Gastonis comitis Foxani transivit. Leonora cum videret, sororem suam ab Henrico Rege, ob naturæ vitium repudiatam, ut

regno

regno potiretur, fraude cum marito communicata, veneno eam sustulit.

Patrato scelere vix dies quindecim regnavit Gasto, nec diu post obiit Leonora. Horum filius Gasto, & Gastonis Phœbus, non diu vixerunt. Phœbi filius Franciscus Phœbus, in ipso ætatis flore vitam amisit, superstite Catharina sorore, quæ Joanni Alberto nupsit, cui regnum Hispanus ademit, & tanquam avulsum Hispaniæ membrum, Hispaniæ iterum conjunxit. Ita patrum scelus in quartam usque stirpem vindicavit Deus, & per omnes patrati parricidii affines, eorumque posteros, pervagata cælestis ira, haud longo tempore pœnas à singulis improbæ cupiditatis exegit, ut ait Mariana.

Quid, quod etiam Blanca, prior Henrici IV. Castellæ Regis uxor, jus suum certa voluntate donationeque in Castellæ Reges transtulit? Ita nonnulli scriptores tradunt. Quid, quod Germana Foxana, Ferdinandi Catholici uxor, Navarræ Regnum, in quod jus prætendebat, Gastonis Namursii fratris in locum, Carolo Austriaco, Castellæ & Arragoniæ jam Regi in conventu Cæsar-Augustano cessit? id etiam quidam scribunt, nec suspicioni fides deest. Sed ego hic supersedeo; videat, qui certissimum Hispaniæ Regum

jus cognoſcere cupit, Ælii Anton. Nebric. de bello Navarr. Comment. videat Navarr. qui manifeſtiſſimis illud rationibus aſſerit & confirmat.

CAPUT XXVII.

Obtinent Auſtriaci Navarram legitima ſucceſſione.

CErte Auſtriaci, non ſine legitima ſucceſſione, à Ferdinando Catholico uſque ad Philippum IV. per parentes in filios continuata, Navarram obtinuerunt. Judex ſit ille, qui tempora ſeculaque commutat, qui regna evertit fulcitque, qui regnum de gente in gentem, cum libitum eſt divinæ ejus voluntati, transfert. Utraque gens Hiſpanorum & Gallorum, belli cupida eſt, & inter eas, neſcio quo fato, nunquam ſatis convenit; Pyrenæis montibus eas disjungi multi expedire judicant. Hos certe terminos natura iis poſuit. Modo tamen divina procurante providentia, eſt populi utriuſque felix concordia, & concors amicitia, in bonum matris noſtræ, Catholicæ Eccleſiæ, in ruinam hæreticæ pravitatis, in ſolatium afflictæ, belliſque exhauſtæ Europæ. Faxit Deus, ut perennet, & ut principes Chriſtiani, generali hoc tempore pacis, ubi Aquila præſidet im-

imperialis & Auſtriaca, ſub feliciſſimo Alexandri VII. Rom. Pont. Regimine, ac Cæleſti ejus prudentia, & fortitudine, armis ſe induant ſpiritualibus, & corporalibus, adverſus infamem, barbaram, crudelemque Ottomannicam progeniem, in honorem Jeſu Chriſti, Domini, & Servatoris noſtri, Amen.

CAPUT XXVIII.

Burgundica, Arragonica, & Castellanica domus, in unam Austriacam coaluerunt.

ATque ut in hac provinciarum Auſtriacarum enumeratione, finem aliquando faciam, nemo non videt, Ampliſſimum quidem Auſtriacæ domus imperium eſſe, ut quo vix unquam ullorum principum majus fuit, ſeu vetus ævum, ſeu hoc noſtrum conſideremus; nullam tamen in eo provinciam reperiri, quam non aut legitima hæreditate, aut affinitatis vel connubii jure, aut donatione, aut teſtamento, aut denique juſta emptione ſibi comparârit. Movit arma nonnunquam, ſed ut jus ſuum tueretur, & relictas ſibi à majoribus ditiones, contra vim aliorum vendicaret.

Miratur

Miratur merito mundus, divinum hac in re judicium. Cum enim Auſtriacam familiam extollere ſupra cæteras, in hoc orbe Deus vellet, non illi vim armatam, ut per aliorum ruinas ſeſe amplificaret, conceſſit; verum cum eodem fere tempore Burgundica domus, provinciis aucta belgicis, creſceret, Arragonica Caſtellanicaque per utriuſque Siciliæ Regna, totque inſulas, & novum orbem ſeſe extenderent, effecit ille, per quem Reges regnant, ut tres illæ nobiliſſimæ potentiſſimæque domus, in unam Auſtriacam, non armis, ſed matrimoniorum jure coaleſcerent.

Singularis illa Dei prorſus benevolentia eſt, ſed nimirum cum ſereniſſimam hanc domum, ſuæ Religionis columnam, in terris conſtituere, & illam principum ejus ope propagare, tuerique vellet, animum illis indidit, & potentiam adjecit. Debent Auſtriaci proinde divinæ erga ſe benignitati incrementa ſua, debent imperii ſui magnitudinem, debent tot provinciarum potentiam; id confitentur, id agnoſcunt, id deprædicant. Alias hujus Europæ noſtræ familias, cum volet idem Deus, divina ſua bonitate, extollet & amplificabit.

C A-

CAPUT XXIX.

Principes Austriaci, non appetunt monarchiam totius Europæ.

Silentium indicere sibi jam illi possent, qui Austriacæ Genti, provinciarum alienarum usurpationem affingunt. Non crevit illa ad illud imperii sui fastigium, aliena rapiendo, sed justissimas hæreditates adeundo; non in tantam tot regnorum, & provinciarum amplitudinem, sese armis aut violentia extendit, sed singulari præpotentis Dei favore, qui in unam hanc domum coalescere potentissimas Burgundiæ, Castellæ, Arragoniæ familias fecit. Intra fines hæreditariæ magnitudinis suæ Austriaci principes regnant, & sese continent. Vident hoc omnes, intelligunt, sentiunt.

Non desunt nihilominus, qui eos ad totius Europæ monarchiam aspirare, nec hodie, sed jam pridem, putant, dicunt, scribunt. Sed ab ejusmodi calamis, & linguis Austriacorum gloria non dependet. Viget illa suis meritis, & inter Catholicorum applausus, aspernatur maledicorum latratus. Nos seqq. §. principes Austriacos, de Europæ monarchia, nunquam cogitasse, clarissimis signis docebimus.

§. I. *De*

§. I. *De Maximiliano I. Imp.*

Inter eos hujus familiæ principes, in quos affectati Europæ imperii cadere suspicio posset, Maximilianus I. est Imp. qui inclitam domum Austriacam, propitio Deo, ad illud supremum honoris fastigium, in quo nunc feliciter fulget, evehere cæpit. Multa ille bella gessit, & fortunam aliquando adversam, sæpius prosperam est expertus. Certe tum, cum Venetos ad ultimas angustias adduxit, sternere sibi ad Italiæ imperium viam potuit, quo occupato, facile provincias alias ad sibi parendum compulisset. Non aliter, quam Romani, ubi semel Italiæ toti jugum imposuerunt, de reliquo orbe non difficile triumpharunt.

Neque aliud sibi obstare Turcarum Imperator arbitratur, quo minus Europam nostram sibi totam subjiciat, quam quod Italiæ nondum imperet. Quasi alibi sedes orbis imperii esse, quam in Italia, non possit, ex eaque in omnes terrarum partes facile sit, & arma & classes immittere. Erat id temporis, ea miserrima nobilissimæ Venetorum Reipublicæ fortuna, ut præter desperationem nihil ei superesse videretur. Testis est Anton. Justin. à Venetis ad Maximil. Cæsarem lega-

legatus, qui oratione, quam refert Franc. Guicciard. Hist. Ital. lib. 8. & qua nihil esse demissius potuit, fractum consternatumque Venetorum animum, cum præsenti rerum omnium desperatione conjunctum expressit.

Longum esset hanc orationem hic referre; id vero legatus ille contendebat, imitari Maximilianum debere Alexandrum magn. Julium Cæsar. ac ipsum orbis domitorem, populum Romanum, qui plures sibi provincias Clementia, quam armis, subjecêre. Restitisse quidem Venetorum Remp. multis sæpe hostibus potentissimis, adeoque Turcis & Francis, nunc vero Cæsareo nomine, & invicta copiarum ejus virtute attonitam, non solum non vincendi, sed ne resistendi quidem spem ullam habere. Proinde se ad Majestatis ejus Clementiam confugere, ea fiducia, ut illam non frustra rebus perditis implorasse videatur.

Quascunque, inquit, *pacis leges nobis imposueris, amplectemur, easque justas & honestas habebimus, digni qui nobis ipsis pœnam constituamus. Imperio ac Majestati tua, ut legitimo Austria principi, omnia quacunque majores nostri imperio ac ditioni Austria ademerunt, restituimus, quaque in continenti possidemus, iis conjungimus, earum rerum Iuribus, quacunque ratione partis, cedentes.*

cedentes. Addemus quotannis tuæ Majeſtati, legitimiſque imperii ſucceſſoribus in perpetuum tributi nomine quingenta auri pondo; imperiis, decretis, legibuſque tuis placide obtemperabimus. Defende nos quæſo à Francorum inſolentia, qui cum paulo ante ſocii nobis fuerint, nunc hoſtes infeſtiſſimi facti, Veneti nominis internecionem quærunt. Si noſtri defenſionem ſuſceperis, urbis te Veneti parentem, ac conditorem celebrabimus, beneficia tua in annales noſtros referemus, filiis ea noſtris memorabimus. Permitte quæſo, ut ſis primus, ad cujus pedes, Venetam Remp. ſupplicem impetrata ſalute, rerumque omnium incolumitate, conjeciſſe ſe, vere ac cum laude gloriari poſſis, quemque à Deo ad defenſionem liberorum uxorumque noſtrarum datum, colamus ac revereamur. Et paulo poſt:

Veneti vero tui, quod vitam, fortunas, libertatem, liberos, uxores poſſideant, Majeſtati tuæ ſecundum Deum, in ſempiternum acceptum referent, agnoſcent, & in perpetuum confitebuntur, &c. Ita Veneti ſupplicabant.

Quid Maximilianus? Inducias primum aliquas cum iis fecit, pacem deinde conceſſit, & nonnulla loca, quæ adempta illis fuerant, reſtituit. Perire tam nobilem Rempublicam, quæ inſigne Italiæ decus eſt, non voluit. Et certe tot inter bella, quæ geſſit, non de monarchia, ſed de morte cogitans, quocunque proficiſcebatur, arcam

arcam ligneam ad menſuram corporis humani fabrefactam, circumduci curabat, in eaque aliam è plumbo factam, in qua corpus ſuum ſepeliri volebat. Inſigne prorſus exemplum, quo ſucceſſores ſuos admonebat, ut in ſummo fortunæ faſtigio, mortalitatis ſuæ nunquam obliviſcerentur. Heut. Auſtr. lib. 7. c. IV. VII. XIV. XVII.

§. II. *De Carolo V. Imp.*

Videamus nunc Carolum V. Imper. orbis illum candidatum, ut appellant, qui profecto, ſi quis unquam alius, ex hac domo, potuit in ea Europæ monarchiam conſtituere; ſed nec voluit, nec cogitavit. Parebat ejus imperio magna Germaniæ pars, Neapolis, Sicilia, Sardinia, Mediolanum, Burgundia, Belgium univerſum, tota præter Luſitaniam Hiſpania, & novus ille ad occidentem orbis; quæ potentia magnum erat acquirendæ monarchiæ inſtrumentum. Quod ſi verum fateri velimus, magnæ illi oblatæ ſunt occaſiones, quibus ſi uti ſtatuiſſet, fortunam ridentem ſecutus, dubio procul maximam Europæ partem, aut fere totam occupaviſſet.

Potuit certe tunc totius Italiæ imperium inva-

invadere, cum memorabili ad Ticinum pugna victor, totam perterrefecit. Nec alius de ipso tum sermo erat, fugientibus, capto Rege, Gallis, delitescentibus intra Alpes Helvetiis, exanimata metu Roma, trepidantibus aliis Regulis, quam illum Italiam universam sibi subjugaturum. Tantum vero abfuit, ut etiam insperata ab hac victoria tranquillitas, nobilissimæ isti provinciæ affulserit, & qui exitium expectabant, salutem acceperint.

Potuit tunc magnum ac firmum monarchiæ hujus fundamentum jacere, cum capta urbe Tuneto, & Guletta arce, Hariadenum Barbarossam cum copiis suis profligavit; sed maluit Muleassem, quem ad pedes suos supplicem viderat, etsi Mahumetanæ superstitioni addictum, restituere. Servivissent dilatando ejus imperio duo maria, mediterraneum & orientale; frænum Africa ab eo accepisset, conspectisque Tunetano in Regno cæsareis Aquilis, Turca de imperio suo dubitavisset. Heut. Austr. lib. IX. c. 11. lib. XI. c. 1.

Potuit tunc de Gallia occupanda cogitare, cum captivum Franciscum I. Regem haberet; cum præcipua Regni istius nobilitas, aut ad Papiam cæsa esset, aut capta; cum partim profligatus

esset

esset Francorum exercitus, partim ultro in fugam conjectus; cum sola in Regno Ludovica Francisci mater, Regiique pueri essent, tam tristi nuncio consternati, mœroreque confusi, cum nulli propemodum superessent belli duces, nullæ in ærario pecuniæ; cum ad publicam totius Franciæ tristitiam, privati singulorum mœrores accederent propter filios, aut fratres, aut alios propinquos in prælio ad Ticinum cæsos.

Et tunc quidem vagabatur in tota Francia non sine timore rumor, Cæsarem copias suas in Galliam effusurum, vel cum Anglo, qui occasionem Franciæ invadendæ sibi oblatam videbat, conjuncturum. Sed non movit se Cæsar, occasionem ejusmodi neglexit, imo nullum ob tantam victoriam lætitiæ signum edidit, nec edi ab aliis est passus. Id unum sperabat, adesse jam tempus Christianam Rempublicam tranquillo in statu constituendi, & bellum contra Catholici nominis hostes adornandi.

Quanquam si erat ea Caroli ambitio, ut Europæ monarchiam usurparet, cur Franciscum Regem, sola fide, datisque obsidibus obligatum dimisit? cur non tam diu in custodia detinuit, donec revocatis ex Burgundia præsidiis, & incolis à dicto

dicto sibi sacramento liberatis, totam tradidisset? Cur superatis, captisque Saxone Electore, & Hassiæ Lantgravio, non Saxoniam & Hassiam, vel imperio, vel Austriacis ditionibus adjunxit? Cur Hetruriam non occupavit, cum potuisset, sed Mediceos restituit? Cur Senenses legibus suis non subjecit? Cur urbibus imperii, bello fractis & exhaustis, libertatem reliquit, quibus justissimo victricium armorum jure, imponere jugum poterat?

Certe qui tam oportunum gerendarum rerum tempus contemsit, qui tot augendi imperii sui occasiones arripere noluit, qui tot supplices bonis & ditionibus suis restituit, cum retinere sibi posset; qui Mediolanum Francisco Sfortiæ ultro reddidit, etsi ille cum Cæsaris hostibus conspirasset, dici ad orbis monarchiam aspiravisse, non potest. Heut. Austr. lib. IX. c. IV. lib. XII. c. XIV. lib. XIII. c. XV. XVI. XXI. XXII. & sparsim in vit. ejus.

Quid ergo voluit? quæ mens illi fuit? Audite Jacob. Thuan. in suprema Regni Gallici curia præsidem. *Non aliud*, inquit, *optimo principi* (Carolo) *in hoc humanæ vitæ crebris tempestatibus jactato salo, propositum fuit, nec alio labores ejus pertinuerunt, quam ut gloriam Dei, quibus posset rationibus, promoveret & amplificaret.*

N Cum

Cum aliquando Anton. Leva, aliique belli duces, Alexand. Magnum, & Jul. Cæsarem, miris Encomiis extollerent, quod ad omnem propagandi imperii occasionem vigilantissimi fuissent, Carolum vero dicerent victoriis suis, ad potentiæ & magnitudinis suæ amplificationem, quantum posset & deberet, non uti; respondit ipse, *Alexandro & Julio Cæsari, in bellis gerendis unum fuisse finem, honorem & gloriam; Christianis autem Regibus duos esse propositos, honorem, & animæ salutem.*

Etenim fuit is animus ejus tam excelsus, & fortuna ipsa major, ut Regnum dare, quam accipere pulchrius judicaret; tam justus, ut omnibus proferendi per arma imperii cupiditatibus imperaret, nec ab alienis solum, sed sibi etiam debitis ditionibus, pacis & salutis publicæ causa, abstineret. Unde de Francisco I. Galliæ Rege, perpetuo virtutis suæ & amplitudinis æmulo, dicere solebat, *quod si Galliam omnem expugnasset, eam se tamen illi redditurum, modo id exiguum, quod suũ esse contendebat, sibi relinqueret.*

Enimvero qualis Carolus fuerit, cum vita tam gloriosa, tum præcipue mors ostendit. Tantus imperator, tot Regnorum monarcha, tot ditionum dominus, sine imperio, sine Regno, sine ulla ditione mori voluit. His enim omnibus biennio circiter

ant

ante mortem à se abdicatis, exiguum plane censum, quo viveret, unum duntaxat equum, quo subinde uteretur, duodecim pro tota familia ministros, & in his unum à confessionibus, Constantinum sibireservavit; nec Cæsar, nec Imperator, sed Carolus appellari voluit. Non potest tanta modestia ejus esse, qui orbis imperium ambiret; non potuit sic mori, qui omnibus imperare vivus voluisset. Heut. Austr. lib. 14. c. I. II. VI. & VII.

§. III. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

De Philippo II. Hispaniarum Rege superest dicendum, quem non minus monarchiam Europæ, quam Carolum Patrem, affectasse, nonnulli contendunt. Franciæ diadema, inquiunt, filiæ suæ Isabellæ capiti imponere tentavit, & Regnum occupare. Hic enim paternorum regnorum omnium, & provinciarum hæreditatem adierat, vicinis formidabilis, toti Europæ timendus.

Non diffitemur autem, quin arma sua in Franciam tum converterit, cum præcipue Franciæ principes, & universus fere populus Regem eum admittere nollet, quem Ecclesia Romana in sinum suum nondum recepisset. Agebatur tum religionis Catholicæ causa, ad cujus protectionem

vocatus Philippus, copias suas ex Belgio in Franciam immisit, ne hæresis, quæ sumto in Germania incremento, Angliam, Daniam, Sueciam, Scotiam, Helvetiam invaserat, Christianissimum quoque regnum inficeret, ac postea Hispaniam Italiamque facile corriperet.

Desiderabant Belgæ, ut è Belgio bellum non transferret, in quo, absente cum exercitu Farnesio, Parmæ principe, provinciarum aliquot jacturam fecit, sed Rex ille vere Catholicus, maluit tanto cum damno suo regionibus, aliquibus privari, quam Ecclesiam Catholicam, occupata ab hæreticis Francia, in ultimum discrimen venire. Non Regem Philippum vana ambito, sed ardens religionis zelus impellebat; & accedebant Francorum Catholicorum preces, illum ad hæc arma invitantium. Non ambitioni Philippi, sed Francorum in religionem Catholicam affectui tribuendum est, quod filiam ejus Reginam optarint, cui & maritum, & Regem Christianum è principibus aliquem designassent. Id egit Philippus Rex, & tum consilii sui rationem omnibus aperuit, cum recepto in Ecclesiæ Catholicæ sinum, Henrico IV. Rege, quicquid in Francia suis armis occuparat, libenter restituit, & pacem cum eo sanxit. Adeo, si ingrati non

sint

ſint Franci, debent glorioſiſſimo illi monarchæ, ſed divinæ inprimis benignitati, quod hodie Catholica Francia eſt.

Idem Rex, nihil ad paternas ditiones, præter Luſitaniam, ſummo & hæreditario jure ad ſe ſpectantem, adjecit. Bella fere omnia pro conſervanda religione Catholica geſſit; quam cum æquo animo ferre non poſſet ex Belgio, avito patrimonio ſuo, exterminari, bellum id inchoavit, de quo omnes ferme Hiſtoriæ libri pleni ſunt.

§. IV. *De Maxim. II. Imp.*

Neſcio, an alii adhuc, ex ſereniſſima Auſtriacorum Principum familia, videri poſſint, aut olim Europæ monarchiam appetiviſſe, aut hodie etiam appetere. Non arbitror futuram de Maximil. II. Imp. ſuſpicionem, qui cum anno ſupra M. D. LXXV. menſe Dec. in comitiis Warſavienſibus, à maxima ſenatorum Poloniæ ac Lituaniæ parte, Poloniæ Rex electus eſſet, & ab Archiepiſcopo Gneſuenſi proclamatus, jus ſuum neglexit, & Stephanum Battoreum à nonnullis electum paſſus eſt Craeoviæ in Regem inaugurari. Erat enim, Thuano teſte, *princeps æquitate animi, modeſtia, prudentia, juſtitia inſignis, & in quo ad ſummam fortunam nihil omnino*

desiderares, nisi ipsam fortunam, & firmiorem valetudinem.

§. V. *De Ferdinando II. Imp.*

De Ferdinando II. Imper. audeo dicere, tam sanctas ac sinceras ejus animi cogitationes fuisse, ut in eas monarchiæ totius Europæ cupiditas, cadere nullo modo possit. Is est imperator, qui sua tueri velit, aliena non rapere; pacis amantissimus, etsi propter quorundam rebellionem, & inquietam nonnullorum ambitionem, semper pacem nequaquam habere potuerit.

Nemo dicet, tum illum orbis imperium ambivisse, cum ereptam sibi contra jus Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Deo conatus ejus adjuvante, recuperaverit; cum Daniæ Regem in Germania bellum excitantem, tam gloriose repressit, & eidem postea pacem, quam vix sperare ausus fuisset, concessit; cum Mantuæ ducatum ab exercitu suo feliciter occupatum, Principi Nivernensi, Majestatis Cæsareæ jus agnoscenti, restituit; ac demum cum armis Alberti Archid. principis Belgarum, & victoriosissimi Spinolæ fortitudine Palatinatum invasit. Nam cum Fredericus Palatinus, Cæsari suo Ferdinando, Bohemiæ coronam eripere tentavisset, & totam præterea

terea Germaniam contra eum ad arma concitasset, non potuit benignissimus Imperator aliud, perditis propemodum imperii rebus, remedium adhibere, quam Palatinatum invadere, ut Fredericum ad officium revocaret.

Quod si miserabilis principis alicujus conditio, soleat alios ad commiserationem & auxilium ferendum movere, debuerunt Reges & principes alii, Ferdinando Cæsari suppetias ferre, quem exuere regnis, & hæreditariis provinciis princeps subditus moliebatur. Non tulit sane Deus tantam injuriam Cæsari illatam, & ultor ipse factus, scelus in Reo ita vindicavit, ut exilium pati sit coactus, qui alienum imperium affectarat; imo inter homines amplius non sit, qui domino suo legem dicere desideravit.

§. VI. *De Leopoldo Ignat. moderno Imp.*

De Leopoldo Ignat. moderno Rom. Imp. victoriosissimo & invictissimo, nihil attinet dicere; cum, cum omnibus Christianis Europæ principibus, in sanguine Jesu Christi fœdus habeat, & communionem sanctæ pacis. Etenim arma ejus militant tantum Deo, & Ecclesiæ ejus, con-

tra infamem Mahumetanorum sectam. Det ei altissimus victoriam perennem. Pluribus nunc supersedemus; & satis constat, Austriacos principes, Europæ monarchiam non affectasse. Imo malunt, animæ illæ verè Regiæ & pacificæ, potius publicæ paci aliquid concedere, quam Regnorum suorum, & aliarum provinciarum tranquillitatem, quovis tempore labefactare. Vide quæ de Ducatu Burgundiæ, aliisque ditionibus, scribit Vernul. Apol. Gent. Austr. cap. XII.

CAPUT XXX.

Principes Austriaci, non regunt Tyrannicè suos subditos.

QUod olim Rex ille Macedo, hoc ætate nostra, dicere Austriaci principes possunt, *Regium esse bene facere, & malè audire.* Nulla mitiora sunt sceptra, quam illorum; nulli liberiores subditi, quam qui sub illis; nulla suavior regendi ratio, quam ea, qua suos populos gubernant. Summa lenitas in eorum imperiis est; summa mansuetudo in legibus.

Et tamen non desunt, qui Clementissimis principibus illis, crudelitatem objiciunt;

ciunt; quasi subditos suos non Regant, sed opprimant: Balsac. in princ. Ostendendum itaque §. seqq. principes Austriacos, non Tyrannos, sed benignissimos esse monarchas.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Atque ut ab Authore familiæ hujus ordiamur, nemo unquam Rudolphum I. Imper. aliqua crudelitatis labe aspergere est ausus, qui tota vita humanissimus & affabilis maximè fuit, adeo, ut satellitibus suis ubique præciperet, ne quenquam, etiam pauperem, ab accessu & colloquio suo arcerent. *Sinite*, inquiebat, *homines ad me venire; non enim ideo ad imperium vocatus sum, ut in arcula includar*: Sæpius etiam sententiam hanc usurpabat: *Severum & immitem fuisse, me aliquando pœnituit; lenem & placabilem, nunquam.*

Prudentum consilia, & admonitiones æquissimo animo admittebat; adulatorum blandas, & ad decipiendum compositas voces aversabatur. Dicebat enim, *adulatores lupis haud absimiles esse: Nam sicut hi titillando & scalpendo asinos vorant, ita adulatores blanditiis, & verborum lenociniis ad interitum principum utuntur.* Erat ejus Symbolum; *Melius bene imperare,*

quam regnum amplificare. Prudentia enim gubernantur regiones, quarum limites tyrannide nunquam extenduntur.

§. II. *De Alberto I. Imp.*

Albertus I. Imp. Austriacus, cum ab omni virtute, tum à Clementia & mansuetudine potissimum commendatur. Sufficiat unum Joan. Cuspin. testimonium.

Albertus, inquit, *fuit pientissimus princeps, Sagacitate & Clementia nulli secundus. Munificus in bene meritos, scelerum vindex acerrimus, inter Germaniæ Principes veluti fulgentissimum Sydus elucescens. Tria potissimum genera hominum amabat ac venerabatur: pudicitia fœminas claras & illustres; clerum devotum & religiosum; milites strenuos & fortes. Bilingues gravi odio persequebatur. Lascivorum contubernia evitavit, conjugali castitate insignis, quandoquidem uxorem unicè dilexit. Patientia utebatur erga inimicos summa; non præceps in vindictam, injurias facile obliviscebatur.* Ejus Symbolum erat; *Eligenda est optima vitæ ratio, hanc consuetudo suavissimam reddit. Seu; Quod optimum, idem jucundissimum.*

§. III. *De*

§. III. *De Frederico Pulchro Imp.*

Fredericus Austriacus, cognomento *Pulcher*, electus cum Ludovico Bavaro Imperator, tam ab omni sævitia abhorruit, imo ab omni nefario facinore, ut crebro sermone usurparet; *Quod pudeat palam, clam ne facito.* Unde illi Symbolum fuit; *Quod palam, hoc clam.* Imo summum hominis bonum credebat *bonum esse ex hac vita exitum.* Unde illi alterum Symbolum fuit; *Morte beata nil beatius.* Qui ita sentit, & ita loquitur, Tyrannus esse non potest.

§. IV. *De Alberto II. Imp.*

Albertum II. Imp. Austriacum, à liberalitate, clementia, & Religionis amore, ita historici commendant, ut delicium imperii esse velint. Addunt iidem, spem fuisse, si longior ei vita contigisset, illum collapsam imperii dignitatem restituturum. Unde Sigismundus Imp. dicere de illo solebat; Beatam illam Rempublicam futuram, cui Albertus imperaret.

§. V. *De Frederico* IV. *Imp.*

Fredericus IV. vel, ut alii volunt III. Imp. Austriacus, tam alienus à Tyrannide, & tam amans pacis fuit, ut vulgo *Pacificus* sit dictus. Sub eo per annos LIII. summa pax, & otium Germaniæ contigit, ac tum plurimæ excitatæ sunt academiæ, quas ipse Cæsareis privilegiis ornavit. Istud certe Tyranni non est opus.

§. VI. *De Maximiliano* I. *Imp.*

Maximilianum I. Cæsarem Austriacum, ut historici testantur, nemo unquam adiit, quin humanissimum & affabilissimum principem invenerit. Ipse verecundos & timidos humanitate sua ita recreabat, animabatque, ut rejecto timore liberius cum eo, quæcunque tandem cupiebant, pertractarent. *Natura clemens, liberalis, humanus, elegantis ingenii, pacis bellique artium peritissimus erat*, ut ait Heut. in ejus vit. Omnes *patrem* illum passim appellabant. Imo talis erat, inquit, Joan. Cusp.

Quo nil mortalibus unquam
Ediderat stella prosperiore Deus.

§. VII. *De*

§. VII. *De Carolo V. Imp.*

Carolum V. Imp. Austriacum, à Tyrannidis suspicione vindicare, supervacanei sermonis est. Tanta quippe in illo pietatis, sapientiæ, benignitatis, clementiæ, & omnium optimi maximi principis virtutum præstantia fuit, ut *sui temporis naturæ miraculum*, diceretur. Ita testati sunt viri boni, & sapientes, qui in ejus familiaritatem admittebantur.

Audiant omnes Jac. Thuan. supremæ in Francia curiæ Præsidis, de eo judicium. *In eo principe*, (Carolo V.) inquit, *cum virtute certavit fortuna, ut illius meritis supremum felicitatis fastigium imponeret. Neque vero ullum perfecti magis, & ad omnem virtutem expressi principis exemplar, nostra & retro seculorum memoria reperiri posse arbitror, quod iis, qui ad imperium virtutis via grassantur, ad imitandum proponi queat. Nam quid ei ad summam utriusque laudem defuit, sive ingenium & prudentiam in consiliis spectes, sive constantiam in adversis, in prosperis moderationem, præsentiam animi in periculis, temperantiam, & quæ omnium in principe virtutum culmen ac cumulus est, justitiam.*

Hoc

Hoc Elogium Tyranni non est; neque talis esse potuit, quem summus Ecclesiæ Pontifex *Maximi* nomine, condecorandum ab omnibus judicavit, si tantum nomen admittere ejus modestia voluisset. Quotidie remota mensa, omnibus omnium ordinum, infimæ etiam fortunæ hominibus adire eum, alloqui, supplices libellos exhibere licebat. A Tyrannico fastu, contemptu, ac despicientia inferiorum, ita alienus erat, ut etiam captivo principi Joanni Frederico, quoties eum præteribat, reverentiam capite retecto exhiberet. Ea est omnium de eo scribentium confessio, illum in bello etiam gerendo, & parta victoria, à crudelitate & suppliciis abstinuisse.

§. VIII. *De Ferdinando* I. *Imp.*

De Ferdinando I. Imp. Caroli V. fratre, quid aliud dicam, quam, quod omnes historici commemorant, fulsisse in omni ejus vita, actionibus, judiciis, sententiis, vultu ac gestibus, bonitatem nativam, moderationem, clementiamque vere Regiam ac divinam? Frederici III. proavi sui mansuetudinem ubique prædicabat: illam Rudolphi I. sententiam in ore semper habebat;

bebat; *Severum & immitem fuisse, me aliquando pœnituit, lenem & placabilem, nunquam.*

Ornabat hanc Clementiam singularis, & propria genti Austriacæ affabilitas, & comitas. Omnibus cujuscunque ordinis & fortunæ aditus ad illum patebat, etiam infimis, quos placidissimè audiebat, quibus clementissime, sine fastu, morositate, fastidio respondebat. Semel cubicularius, cum humilioris conditionis fœminam ab accessu Imperatoris arcuisset, ab eo graviter est objurgatus. Dicebat illi; *Si nos excludimus inopes à conspectu nostro, quid nobis ipsis ad tribunal Dei eveniet?* Ejus Symbolum fuit; *Fiat justitia, aut pereat mundus.*

§. IX. *De Maximiliano* II. *Imp.*

Maximilianus II. Ferdinando patri successit. Quis ille, quantusque Imperator? *Princeps*, ut ante ex Thuano retulimus, *æquitate animi, prudentia, & justitia insignis, & in quo ad summam fortunam nihil merito desiderares, nisi ipsam fortunam, & firmiorem valetudinem.* Ad ipsum mensæ adstantem, aut prope assidentem, aditus omnibus omnino patebat, etiam abjectissimæ fortunæ hominibus, quibus non tantum placidè & comiter, sed etiam eadem lingua, qua illi sua proponebant, respon-

spondebat. Nemo eum unquam adiit, quin lætior redierit. Publicis elogiis, *amor & delicium generis humani*, dicebatur. An hic ergo Tyrannus?

§. X. *De Rudolpho* II. *Imp.*

Rudolphum II. Imp. (ut hoc tantum dicam) à Tyrannidis suspicione, omnes propemodum terrarum orbis principes liberant. Tanta enim erat in illo conjuncta cum auctoritate humanitas, ut ejus amicitiam præter Christianos, Persæ, Turcæ, Mosci expeterent. Nunquam quietior Germania, quam sub illo. Nemo de eo conquestus est unquam. Severus erat in administranda justitia, iis tamen semper & libenter ignoscebat, qui mereri aliquo modo veniam videbantur. Symbolum illi fuit; *Omnia ex voluntate Dei.* Nimirum nihil illi in votis erat, nihil agebat, nihil moliebatur, nisi quod divinæ majestati gratum fore existimaret.

§. XI. *De Mathia* I. *Imp.*

Mathias I. post Rudolphum fratrem imperii gubernacula suscepit, ac statim cum eo Turcæ inducias, Persæ & Mosci amicitiam sanxerunt. Totus in eo fuit, ut dissidia, cum inter quosdam Germaniæ Principes,

cipes, tum inter civitates componerentur. Vigere justitiam ubique voluit, sed eam tanta benignitate temperavit, ut mitissimus imperator appellaretur. Fuit verè talis, sed tum è vivis excessit, cum gravissima Germaniæ tempestas immineret.

§. XII. *De Ferdinando* II. *Imp.*

Hanc tempestatem excepit gloriosissimus imperator, Ferdinandus II. Imp. Austriacus, & sustinuit, verè invictus, verè bonus, justus, pacificus, & moderatus. In eo nemo quicquam reprehendit, nisi forte (quod ejus gloriæ tribuendum est) ardentem Catholicæ religionis zelum, & nimiam benignitatem, qua in omnes reos utitur, reprehendendam existimet.

§. XIII. *De Leopoldo Ignatio, moderno Imp.*

De Leopoldo Ignatio, moderno Rom. Imp. invictissimo, quid sine adulatione dicam? Nihil eo benignius, nihil humanius. Fulgent in eo majorum suorum virtutes, præsertim magnanimitas ac fortitudo Carolini pectoris. Colit amicitiam cum omnibus Christiani orbis principibus. Cum Turcis & Mahumetanis tantum, ei acre & gloriosum bellum est. Adeo ut Ger-

Germaniæ, vere mellis lactisque copia abundantissimè fluentis; imo totius Europæ ut novus Achilles Clypeusque admirandus & suspiciendus est. Adeo hactenus inter Cæsares Austriacos, nullus Tyrannus fuit, omnes vero justissimi & clementissimi principes extiterunt.

CAPUT XXX.

De Clementia Regum Hispaniæ.

VIdere nunc Austriacos in Hispania Reges oportet, qui profecto non minori clementiæ laude floruerunt, quam eorum in Germania majores.

§. I. *De Philippo* II. *Hisp. Rege.*

Inter eos Philippus II. Caroli V. Cæsaris filius, cognomento *Prudens* est dictus, quod consilii maturitate, & ingenii dexteritate, longo intervallo sui temporis homines superasse credatur. Totum illi corpus ita ad majestatem compositum erat, ut illum intuendo, alloquendoque non pauci turbarentur. Inerat ori severitas quædam, & membris omnibus gravitas; sed utramque tanta mansuetudine ac benignitate temperabat, ut ad amorem cum timore provocaret.

Hic

Hic eſt, quem heterodoxi quidam Tyrannum, quia hoſtem ubique fere ſentiebant, audent appellare. Alii crudelem regem nuncupant, quia ſeſe in puniendis delictis quandoque ſeverum exhibebat. Juſtitiam ejus laudare deberent, quam ita exercuit, ut ſub ipſo vix peccare liceret. Dedit ille domeſticum juſtitiæ exemplum, quod omnis poſteritas, admirabitur; dedit alia alibi plane illuſtria, & ſeculis venturis memoranda; plura tamen ſummæ clementiæ & benignitatis. Sciunt illi Belgæ, & alii, qui ab ejus obedientia ſe ſubtraxerunt. His enim non ſemel delictorum omnium veniam & oblivionem decrevit, ut hac indulgentia ad officium eos revocaret. Nitebatur hac conſcientiæ fiducia, ut inter poſtrema verba moriens diceret, *nemini ſe unquam, injuriam niſi forte ignarum, feciſſe.*

Clemens VII. Pontif. audientibus purpuratis patribus, hoc illi elogium dedit, *Philippi vitam, continuam fuiſſe contra Ethnicos, hæreticos, & errores pugnam.* Petr. Math. Franciæ Hiſtoriogr. in eo extollit pietatem, religionem, juſtitiam, liberalitatem, conſtantiam, quæ virtutes non Tyranni ſunt, ſed ſummi Regis, tantoque cum ſplendore in eo fulſerunt, ut imitari multi poſſint, nemo ſuperare. Integerrima ſemper fide

jus

jus populis dicebat, legum inviolatam auctoritatem ſervabat, injuriam ab oppreſſis propulſabat, opprimentes mulctabat. Faſſus eſt Gregor. XIII. vitam ejus neceſſariam Eccleſiæ fuiſſe.

Fatentur melioris notæ hiſtorici, Regem Philippo majorem, mortalibus dari vix poſſe. Dominic. Baud. non ita pridem apud Batavos vir doctus, cum in obitum hujus regis acerbius & intemperantius ſcripſiſſet, ut ipſemet dicit, quam homini privato in ſupremam poteſtatem licere fas piumque ſit, incitatus tantum ſtudio partium, affirmat *eum ab ingenio propenſum ad clementiam, minimeque avidum humani ſanguinis fuiſſe, ac tales, fere omnes Auſtriacæ Gentis magnates eſſe.*

Certe inter alia Regiæ ejus benignitatis, & gloriæ ornamenta, non ultimum fuit, quod ingenti pecuniarum vi quotannis, maximum Chriſtianorum numerum, ex miſerrima Turcarum ſervitute, ſæviſſimiſque cruciatibus liberabat. Ea in re poſteri ejus illum in hunc uſque diem imitantur, nec quicquam, aut divino numini gratius eſſe poteſt, aut ad famam Auſtriacæ clementiæ glorioſius.

Porro qualis Philippus fuerit, mors ejus oſtendit. Ita enim obiit, *ut inter morbi cruciatus appareret, mentem ejus tranquilla pace,*

ac

ac ſecuritate conſcientiæ ſuſtentari, verba ſunt Dom. Baud. ſectarii, & tum apud Belgas viventis: plura Catholici ſcriptores, ſed omitto.

Idem Rex, eam moriens conſignatam ſcripto inſtructionem, filio ſuo Philippo dedit, quam aliquando Franciæ Rex, Ludovicus ſub mortis horam, filio ſuo Philippo reliquerat, de qua, in fine 1. Part. nempe:

Deum ardentiſſimè amaret. Animum lethifero delicto nunquam inquinaret. Adverſitates æquo animo, & quaſi promeritus, perferret. In proſperis nunquam extolleretur, nec pejor iis fieret, quibus melior eſſe deberet. Peccata ſua, etiam minima, prudenti ſacerdoti ſæpe confiteretur, & eundem liberè reprehendentem libenter audiret. Attenta mente divinis officiis intereſſet. Benignus erga pauperes & liberalis eſſet. In rebus arduis conſilia prudentum expeteret. Nullos in amicitiam & familiaritatem, niſi probos, virtute conſpicuos, bonaque famæ admitteret. Malorum conſuetudinem vitaret. Nullius famæ vel honori detraheret. Nec detractores apud ſe conſiſtere aut loqui pateretur, multo minus blaſphemos. Quotidie pro acceptis beneficiis divinæ majeſtati gratias ageret, ut alia mereretur. In adminiſtratione Reiſp. integer, & ſeverus ad legum normam eſſet.

Inopum querelas aſſidue audiret. Veritatem ſcire ſedulo

sedulo adlaboraret. Siquis de eo conquereretur, ipse ab illius parte staret, donec Judex pronunciasset. Si quid dubio forte jure possideret, id virorum sapientum arbitrio, ad veritatem cognoscendam, submitteret. Eam gloriam maximam putaret, si justitia paceque subditi perfruerentur, potissimum vero sacerdotes & Religiosi: daret operam, ne quid illis deesset. Sciret se majoribus & parentibus amorem, obedientiam, reverentiam debere. Sacerdotia dignissimis, nec plura uni, conferret. Bellum nemini sine justa causa consilioque inferret. Si inferre cogeretur, caveret ne sacræ divino numini ædes, & innocentes, damnum acciperent. Pacem ubique procuraret. Inter aliorum arma, tanquam arbiter, concordiam stabiliret. Nullos ad Reipublicæ magistratus, nisi bonos promoveret. In eorum mores & officia secretò inquireret. In obedientia Romanæ Ecclesiæ perseveraret. Pontificem maximum tanquam Patrem haberet & coleret. Sumptus Regiæ familiæ suæ, moderationis & honestatis lege metiretur. Plura videre licet apud Cerv. Turr. in lib. de fel. excess. Phil. II. Austr. & alios.

Id tantum dico, ea præcepta non Tyranni sunt, sed piissimi, Religiosissimi, sapientissimi, benignissimi, & prudentissimi Regis.

§. II. De

§. II. *De Philippo* III. *Hisp. Rege.*

Non vereor, ne quis sævitiam ullam in Philippo III. audeat comminisci, qui, quod cum omnibus pacem suo tempore sanciret, *Pacificus* est dictus. Nihil illo mansuetius, nihil benignius fuit.

§. III. *De Alberto Austriaco, Belgarum Principe.*

De Alberto Austriaco Belgarum principe, nemo male suspicari, nec ipsa mentiri fama auderet. Tanta in eo bonitas erat, ut illum odisse, nemo posset, omnes amarent, omnium delicium & amor esset, ipsi etiam non solum exteri, sed & hostes, divinum plane principem esse faterentur. Illum principem optimum, Belgium habuit, & *Pium* appellavit; illum patrem Amantissimum expertum est, & adhuc hodie talem luget.

§. IV. *De Isabella Infante.*

Cum Alberto, & post eum, usque ad Cal. dec. ann. M. DC. XXXIII. Belgicas provincias rexit, serenissima Princeps Isabella,

Isabella, Clara, Eugenia, in qua, *prudentia & fortitudo supra sexum, modestia & humanitas supra conditionem, pietas & religio ad admirationem. Belgas amabat ut filios, gubernabat ut mater.* Si de ea conqueri fas esset, non de severitate, sed de nimia ejus benignitate & clementia conquereremur. Justitiæ nonnunquam oblivisci videbatur, ut parceret. Ita illi innata mansuetudo erat, ut severitatem induere non posset. Sed frustra laudo, quod non ita pridem in omnium oculis fuit, & in ore adhuc est. Ea Belgarum confessio est, meliorem dari principem non potuisse, gratiorem Belgas non optavisse.

§. V. *De Philippo* IV. *Hisp. Rege.*

Restat Philippus IV. Hispaniarum, & Indiarũ monarcha, Belgarum hodie princeps felicissimus. Sed nolo ab injuria calumniatorum, clementiam ejus vindicare, cum de ea sinistra esse suspicio non possit, unumque hoc elogium eos satis refutet.

Quicunque, nescio quo nuper fato, ab ejus imperio & obedientia sunt abstracti, votis omnibus eidem subjici rursus exoptant. Nullam credunt, nisi sub optimo Rege suo, libertatem esse posse. Animis illi adhærent, cum aliter non possint, & jam prius servire se intelligunt, cum mitis principis sui sceptrum non vident. Fruebantur sub

il-

illo, bonis suis intra justitiæ fines, & in Religionis Catholicæ puritate, majores suos imitati, ad certissimam salutem anhelabant; nunc ad aliorum arbitrium vivere coguntur, & tantum duntaxat fere habent, quantum illi volunt. Dolent & ingemiscunt, templa quædam sua profanari, parentum suorum cineres, impietatis damnari, Religionem suam ludibrio haberi, & errorum argui. A quibus? Ab iis certè, quorum vita sine libidine, mores sine turpitudine, doctrina sine opprobrio non est. Vernul. Apol. Gent. Austr. c XIII.

CAPUT XXXII.

Summa moderatio in Austriacorum principum administratione; summaque libertas.

COnsideremus nunc summam in Austriacorum principum administatione moderationem. Illud inprimis contendo, in eorum provinciis, ac Regnis, tantam libertatem esse, ut major alibi, etiam in Aristocratico, Democraticoque statu esse non possit. Illa duos intra limites, justitiæ & rationis consistit; quicquid justitia permittit, hoc omnibus licet; quicquid ratio concedit, fieri ab omnibus potest. Unde fit, ut qui Austriacis subditi sunt, liberrimos sese arbitrentur, quia

justitiæ legibusque parere debent, & à rationis præscripto discedere non possunt.

Sciunt eos vere liberos esse, non qui pro arbitrio vivunt, sed qui Regibus, & magistratibus suis obedientes, vitam ad rationis legumque normam componunt. Ideo principibus suis libenter subsunt, & eorum imperium agnoscunt; illi regunt legum potestate, hi obtemperant honesta voluntate. Non tollunt libertatem Reges, sed conservant: nec jugum imponunt, cum legibus coërcent, sed honestæ vitæ disciplinam tuentur. Quis nolit honestè vivere? Plus justo sapere volunt, qui, ut libertas sit, nullum Regem, aut principem esse debere, contendunt.

Imo Regum bonitas, subditorum est libertas; & ubicunque boni sunt Reges, ibi liberi sunt subditi. Sunt Regna magnæ quædam familiæ, in quibus Reges cum subditis vivunt, tanquam patres cum liberis; leniter fere semper agunt; interdum, cum opus est, severitatem utilem admiscent, ne pravi quidam in aliorum perniciem fiant. Et certe non aliud sunt principes Austriaci, quam leges ipsæ, cum non aliter, quam secundum leges vivant, ipsis & alios regant.

CA-

CAPUT XXXIII.

Quomodo principes Austriaci erga Ecclesiasticos se gerant.

TRiplex sub principibus Austriacis, quemadmodum & alibi, hominum est ordo, Ecclesiasticorum, nobilium, plebejorum. In Ecclesiam, & Ecclesiasticos, jus non sumunt, sed inspectionem, & iis patrocinium suum præbent. Sciunt enim, sicut Leo Pontif. I. dixit, quod *Regia potestas, non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium sit collata.* Ideo viribus omnibus eam defendunt, ornant, promovent. Vide templa in ditionibus Austriacis, quantus est eorum splendor! Considera sacros religiosorum hominum ordines, quantus omnium sub accuratissima disciplina fervor! Circumspice urbes & vicos, quantus sacrorum præfectorum & Parochorum ardor! quanta vigilantia! quanta integritas & sedulitas! Intuere constitutos ab iis Ecclesiarum antistites, iis meliores aut digniores esse non possunt.

Fateor, alibi etiam Ecclesiam, & religionem Christianam vigere, sed illa nullibi magis, quam sub Austriacis floret. Id eorum curæ & exemplo debetur. Inspiciunt

ſedulò in omnium officia inquirunt, admonent. Subditis ad omne pietatis genus præeunt, & illi principes ſuos tam pios libenter imitantur. Nequid Eccleſia, aut Religio detrimenti accipiat, diligenter animadvertunt. In ſacerdotiis conferendis, & dignitatibus Eccleſiaſticis, nihil ſanguini, aut favori dant, probitati, virtuti, doctrinæ favent. Magni ponderis apud eos eſt vitæ præclarè actæ, & eruditionis teſtimonium, ſine quo nullus commendationi eſt locus.

Interim nihil Eccleſiaſticorum privilegiis detrahunt, nihil in ſacrorum ordinum conſtitutionibus immutant, nullius poteſtati derogant, omnes juvant, fovent, conſervant; omnes liberrimi ſunt, modò boni & ex norma ſua viventes.

CAPUT XXXIV.

Quomodo Auſtriaci ſe gerant erga nobiles.

NObilium ordo, ad Reipublicæ defenſionem à Regibus eſt conſtitutus, & pars quædam ejus maxima præcipuaque. Erga nobiles ita ſe principes Auſtriaci gerunt, ut eos primo poſt ſe loco habeant, honoribus ornent, præmiis cumulent. Omnino poſt principes primo in gradu ſunt, & in

in Republica ſecundi. Propter fidem, fortitudinem, & prudentiam primas illis in bello partes aſſignant; propter honorem & dignitatem, eos in aulis ſuis apud ſe habent.

Conſtituuntur provinciarum Rectores, urbium præfecti, ad Monarchas legati. In rebus Reipublicæ arduis eorum conſilia expetuntur & audiuntur. Gaudent omnes dignitatis & ordinis ſui privilegiis, moderatè reguntur, in honore & pretio ſunt, non contemnuntur, non negliguntur, modò tamen ad natalium ſplendorem mores non diſſimiles, induſtriam & virtutem adjungant, nec illam majorum ſuorum claritatem turpitudine aliqua maculent.

Hoc omnino aſſerere poſſumus, nullibi tam liberos, nullibi tanto in pretio, nullibi tanto in amore nobiles eſſe, quanto ſub principibus Auſtriacis, qui per eos regunt, per eos bella gerunt, per eos ſuarum aularum dignitatem, & ſplendorem tuentur. Id verò etiam agunt, ut nobiles aliquo ſemper beneficio ſibi devinctos habeant, cenſu aliquo annuo, ſi opus ſit, juvent, præmiis ſemper & honorum majorum titulis, ſi rem præclarè geſſerint, condecorent. Nimirum tam illuſtris familia non poteſt non genere & virtute illuſtres amare.

CAPUT XXXV.

Quomodo Austriaci se gerant erga plebejos.

QUod ad plebejos attinet, qui vel mercatores sunt, vel opifices, vel agricolæ, eorum tanta in Austriacorum ditionibus cura est, quanta illorum ad Reip. sustentationem necessitas. Illos ipsi principes sua auctoritate tuentur, benevolentia complectuntur, clementia humanitateque fovent. Atque hinc urbes opulentæ sunt, artes & opificia vigent, ingenia eminent, industria in pretio & honore est. Interim omnium in hoc ordine ea libertas est, ut bene vivendo nihil timeant, nullam vim à quoquam patiantur, bonis suis summa tranquillitate fruantur.

Habent sua collegia opifices, & privilegiis à principibus concessis utuntur. Nemo est, qui de principum administratione conqueratur, ad eos aditus omnibus patet, audiunt libenter, etiam infimos, respondent benignè. Nihil omnino, quod bonorum est principum, omittunt; nulli majestas terrori est, quæ nec pauperes excludit; ab omnibus vis & injuria arcetur; imo

imo cum ipsis principibus lite certare, si occasio sit, licet, quod ita velint & permittant, nec dignitas jus dicit, sed leges & justitia.

Imperia magistratuum sub tam benignis principibus leniora sunt, non dura, non contumeliosa. Toto denique in Austriaco imperio nihil acerbum est, nihil crudele; omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis. Nemo inaudita causa, aut negata defensione, de bonis vel vita unquam est sub illis periclitatus.

CAPUT XXXVI.

De moderatione vectigalium, in ditionibus Austriacis.

MAgna quoque pars libertatis, est moderata tributorum exactio. At vero ea tanta est in ditionum Austriacarum imperio, ut nulla vectigalia imperentur, quæ præstare omni jure populus non teneatur. In iis imponendis, aut exigendis, singularum provinciarum mos servatur. Si ordinum necessarius est consensus, sine hoc nihil Austriaci jubent, nihil exigunt. Adeo etiam in Belgio infima plebs velle debet, quod princeps petit, & hic

non aliter petit ; nimirum cum vectigalis extraordinarii necessitas est. Census suos, & velut quoddam patrimonium, seu jura dominii, principes habent, quæ ut exigant recipiantque, subditorum consensu non egent. Ista secum jus majestatis adfert.

Cæterùm quæcunque pro temporum necessitate ab Austriacis vectigalia jubentur, servato regionum more, eam habent moderationem, ut eorum, qui pendere debent, facultates non excedant. Neque enim graves esse populis suis volunt, sed patriæ necessitati ex singulorum opibus subvenire. Ac plerumque ipsi ordines concessum vectigal colligunt, & principibus suis persolvunt. Ita fit, ut populum plus æquo onerare, & si vellent, non possint.

Sed volunt, maluntque nonnunquam monilia sua, resque alias pretiosas aut vendere, aut pignori dare, quam novis subditos suos tributis onerare. Ita fecerunt serenissimi principes, Albertus & Isabella, non minori propterea laude efferendi, quam Nerva, Tacitus, & M. Antonius, imperatores. Quid, quod non ita diu, non pauca dominia, Philippus IV. oppignoravit, ut belli sumptibus, & patriæ necessitati satisfaceret? Nullius immuni-

munitas violatur, nullius privilegia læduntur. Ecclesiastici, aut sponte aliquando in publicum aliquid conferunt, aut ita jubente sacrorum summo administratore, Pontifice Romano.

Audebo & illud addere, nullorum Regum, aut principum subditos, tam levia sustinere onera, tam moderata pendere vectigalia, quàm qui Austriacis parent. Jactitent etiam quicunque volunt, libertatem suam, & in Rebuspub. sine Rege liberrimos sese proclament, fateri tamen debent, (ut de aliis taceam) multò pluribus gravioribusque tributis sese onerari, quàm eos Belgas, qui in Regis obedientia Religionem avitam retinent. Ita vident & judicant, qui nullo partium studio, sed veritatis affectu cuncta metiuntur. Quanquam satis jam fortasse multa, de Austriacorum principum moderatione, ex quibus liquidò constat, eos, qui Austriacorum imperium agnoscunt, regi, non opprimi, benignè tractari, non crudeliter vexari: imò nullam majorem esse, quam eorum libertatem.

CAPUT XXXVII.

De zelo Austriacorum principum, pro Catholica Religione.

CAtholicæ Religionis conservandæ zelum, in Austriacis principibus, quidam non ferunt. Et eos Religionis tantum prætextu, in aliorum ruinam grassari contendunt. Audet affirmare Balzac. in princ. Hispaniæ Regem, non Religionis causa adversus hæreticos arma movisse, sed politica ratione; nec eos aggressum fuisse, ut ad Religionem Catholicam, & in Ecclesiæ sinum reducat, sed ut ea, quæ possident, occupet. Alius du Ferritr. in suo Cath. polit. sumpta à Cæsare in protestantes, & sectarios arma, solum Religionis prætextum habuisse, dicit, revera autem, unum eorum finem fuisse, Romanum imperium Genti Austriacæ hæreditarium reddere. Ita Scriptores illi, sua conscientia aliorum conscientias, & Regum quidem, Cæsarumquę, metiuntur.

Sunt verè Christiani, Austriaci Principes, nec eorum gloria ab emptis scriptorum ejusmodi calamis dependet. Sunt verè Catholici, & satis ipsis est Deo, qui pecto-

pectorum recessus latebrasque scrutatur, conscientiam suam probari, non hominibus illis, qui invidere tantum possunt, & maledictis lacessere. Nec desinent propterea principes Austriaci, suarum opum jacturâ, & vitæ periculo, religionem Catholicam ubique terrarum propagare.

Et quoniam qui ita scribunt, de vero sinceroque Austriacorum in Religionem affectu, dubitare videntur, duo hic manifectissimis signis ostendenda: Unum, Gentis Austriacæ principes nihil unquam gloriosius duxisse, quam fidem à majoribus acceptam vereque Catholicam sine fuco colere: Alterum, omnes curas suas, labores, & potentiam ad illius propagationem, proposita sola sibi Divinæ Majestatis gloria, populorumque salute, hactenus contulisse. Neque tamen omnes producam, sed eos tantum, qui in suspicionem vocantur; neque privatam eorum pietatem attingam, sed ea duntaxat religiosissimi animi officia, quæ in publica luce fulserunt.

§. I. *De Alberto* IV. *Archid. Austriæ.*

Atque inprimis ut eos præteream, quorum tempore hujus seculi hæreses, nondum caput extulerant, Albertus IV.

Archid. Austriæ, ita Religioni Christianæ deditus fuit, ut publicè in sacris ædibus psallere cum sacerdotibus, summa pietate non erubesceret. Vide III. part. 4.

§. II. *De Frederico* III. *Imp.*

Amplius etiam fecit Fredericus III. Imp. Austriacus, qui non contentus, cum Romam venisset, Ano M. CCCC. III. ad pedum Pontificiorum oscula se abjecisse, Divorum reliquias in urbe asservatas, singulari cultu veneratum esse, coronamque, & alia Romani imperii insignia, de Pontificis manu accepisse, ultro etiam anno M. CCCC. LXVIII. pridie natalis Christi, cum ea nocte, Pontifex sacris operaretur, Evangelium de edicto Augusti, exemplo Sigismundi Imp. qui idem aliquando fecisse dicitur, decantavit.

§. III. *De Maximiliano* I. *Imp.*

Maximilianus autem I. ex eadem Austriaca gente Cæsar, cum ex hac vita sibi migrandum esse videret, nepotibus suis Carolo V. & Ferdinando I. mandavit, ut majorum vestigiis insistentes, Religionem avitam Catholicamque, adversus omnes Religionis & publici status

tus perturbatores, constanti animo, ac cum vitæ etiam periculo tuerentur. Et cum id temporis Lutherus primum exoriretur, ejus insaniam & ingenium sæpe detestabatur, asserebatque, quod si vivere diutius eum Divina Majestas permitteret, non frustra malè sanus homo Germaniam sibi perturbandam desumeret. Heut. Austr. lib. 7. c. XVII. XVIII. XIX.

§. IV. *De Carolo V. Imp.*

De Carolo V. Cæsare, quis nisi impius malè suspicaretur? De eo passim in expeditionibus etiam bellicis dicebatur, *Sæpius illum cum Deo, quam cum hominibus loqui.* Preces enim canonicas nunquam in castris omittebat. In Africa cum animadverteret, semel prælium subitò committendum, non animi voto successurum, receptui cani jussit, quod, ut inquiebat, *mallet Christianum unum servare, quam mille Mauros, Turcas, aut Pœnos trucidare.* Zenocar. lib. 3.

Cum videret pertinacem in erroribus suis Lutherum, vincique sæpius, nec se victum fateri, ac jam illi à Leone X. Pontif. sacris interdictum, eum proscripsit, ac libros ipsius flammis adjudicavit. Idem postea in comitiis omnibus egit, ut Concilii Trident. decretis, toto in imperio, regnisq; suis

ſuis pareretur. Ubi autem ſe imperio, totque regnis abdicare voluit, nihil prius habuit, quam filio ſuo Philippo, Germaniæ Principibus, & Belgii ordinibus, Religionem Catholicam commendare, à qua regnorum ſalus dependeret.

Quid, quod cum ſectarii quidam, Dei verbum populo promulgandi poteſtatem, ab eo poſtularent, animo verè heroico, verèque Chriſtiano reſpondit: *Non meum eſt de puritate divini verbi cognoſcere; munus hoc Epiſcoporum eſt, quorum judicio etiam lubens meipſum ſubmitto, atque eorum juriſdictionem in omnibus ſalvam eſſe volo.* Sur. Ann. 1548.

§. V. *De Philippo II. Hiſp. Rege.*

Philippum II. Hiſp. Regem, non tantum verè Chriſtianum, ſed Eccleſiæ Catholicæ columnam, bonorum omnium parentem, Chriſtiani nominis protectorem, Catholici omnes appellarunt. Is frequenti uſurpare ſermone ſolebat, quod ſi filius ejus, quem tunc unicum habebat, hæreſeos contagione inficeretur, & ab Eccleſia Romana deficeret, ligna ſe, quibus concremaretur, daturum.

Imo indignum ſe Catholici Regis nomine judicabat, niſi Eccleſiam, quibus poſſet

possset viribus, semper tueretur. Atque idem, occupato Quintini, in Francia fano, publicè edixit, ne quis sacris ædibus, sacerdotibus, Religiosis, senibus, vim ullam inferret; & ut D. Quintini reliquiæ, summo in pretio, honoreque servarentur.

Cum inter legatos ejus, & Christianissimi Regis, orta de primo considendi loco, gravissima contentio esset, videreturque propter eam publicum Ecclesiæ concilium, aut dirimendum, aut differendum, Philippus legato suo Claudio Quinnones, Com. Lunensi, ista rescripsit. *Quod si hac causa occasioneque, concilii progressus, & Ecclesiæ Catholicæ defensio incrementumque, pati damnum aliquod debeat, malle se cuicunque homini è plebe abjectissimo postponi, quam ut Ecclesia, vel minimum discrimen subiret.* Herr. in ejus vit.

Discessurus autem è Belgio Hispaniam versus, non semel proceres, patriæque ordines, ut Catholicam Religionem constantissimè colerent, retinerentque, & à novis opinionibus abhorrerent, graviter admonuit. Morti vicinus pro Regia paternaque auctoritate, nihil majori affectu, Philippo III. filio suo, commendavit, quam ut omnibus consiliis suis, & armis, Catholicam religionem propugnaret, incolumemque servaret: ac tum vocem illam ultimam

mam, verèque Christianam, jamjam moriturus pronuntiavit:

Unum est, quod me meritò reficit, & cujus sola contemplatione moriens oblector, quod in Catholica fide, majorumque Religione, quod in Catholica Ecclesia, quod in supremi Romani Pontificis obedientia morior, & conquiesco. Heut. Austr. lib. xv. c. 7.

§. VI. *De Philippo III. Hisp. Rege.*

Quid agis, ô invidia? Quod carpas, in tam Christianis principibus, non reperies. Quod laudes & extollas, abundè habebis. In quos nunc lividos dentes tuos exeres? An in Philippum III. Hisp. Regem? Nemo unquam religiosior princeps fuit, qui in eo summam vitæ suæ gloriam ponebat, si vel uni tantum urbi, Divinæ Majestatis cultum, Religionemque Catholicam restitueret.

§. VII. *De Alberto pio, Archid. Austriæ.*

An in Albertum pium Archiducem, & Belgarum principem? Ne ipsa, de ejus religione verè sincera, mentiri fama auderet, & unum est pietatis ejus theatrum, Belgium

gium univerſum, quod illi à pietate cognomen adjunxit. Sed fruſtra hic laboro, dum nec ipſi unquam Auſtriacorum principum hoſtes, de eorum religionis integritate dubitârint.

CAPUT XXXVIII.

Bella pro Religione Catholica, ab Auſtriacis geſta.

VEniamus nunc ad alterum, & quæ bella pro Catholicæ Religionis, aut conſervatione, aut propagatione, gens Auſtriaca geſſerit, oſtendamus.

§. I. *De Maximiliano I. Imp.*

Hic primum Maximilianus I. Imp. ſe offert. Anno enim M. CCCC. XCII. Cum Turcæ Carniolam, Carinthiam, Styriam, Cilienſemque ditionem, miſerrimè depopularentur, & Chriſtianos in ſervitutem abducerent, arma in eos ſuſcepit, depulit, incurſiones cohibuit, & à Catholicorum cervicibus, barbarorum jugum avertit. Heut. in vita Maxim.

§. II. *De Carolo V. Imp.*

Secutus Maximilianum eſt Carolus V. etiam

etiam Imp. pari animo, ſed majori gloria. Eam gloriam, hominum omnium confeſſione, tunc adeptus eſt, cum Solymannum Turcarum Imp. Viennam Auſtriæ, innumerabili exercitu aggredi bis auſum, ut ea urbe, tanquam Germaniæ arce, expugnata, Germaniam primò, reliquas deinde Chriſtianorum provincias, ſuo imperio adjungeret, utraque vice, ſummo cum ipſius dedecore, & ingenti barbarorum edita ſtrage, ita repulit, ut laceſſere Caroli fortunam, fortitudinemque, vix unquam amplius ſit auſus. Quam ob cauſam Germaniæ, & totius orbis Chriſtiani *Conſervator* eſt appellatus.

Cum autem in Græciam ſeſe innumerabilis Turcarum multitudo effudiſſet, non defuit iterum Cæſar, qui per Andream Auriam, ejectis ſumma vi Turcis, latè per Græciam univerſam, ſuorum armorum terrorem immiſit, & ad Patras, Methonem, Coronem, Trophea gloriæ immortalis evexit. Ob hanc victoriam, Græci Carolum incredibili conſenſu, *Græciæ liberatorem* dixêre, & paſſim pro ejus felici imperio vota fecêre. An in Cæſare his in bellis, prætextus tantum, annon verus religionis affectus fuit? Nihil hiſce bellis, ad imperium ſuum adjecit, Chriſtianos duntaxat, magna

cum

cum ſui nominis gloria, conſervavit.

Quid dicent de bello, quod anno M.D. XXXIV. contra Anabaptiſtas in Weſt-phalia geſſit? Occuparant illi Monaſterium, primam regionis iſtius urbem, & in ea jam oppreſſa Religione Catholica, Regeque è ſuis conſtituto, dominabantur. Sed adfuit Cæſar, & expugnata poſt annalem obſidionem urbe, Religionem in ea Catholicam reſtituit.

Quid de Libico, ſeu Tunetano bello? In eo idem Cæſar, ſecundis aliquot præliis uſus, & occupata feliciter arce, Goleta, profligatoque & in fugam verſo Hariadeno Ænobarbo, vulgo Barbaroſſa, Muleaſſem Tunetanis Regem dedit, Regnum ſibi vectigale, Chriſtianis omnibus amicum fecit, ter ſeptem Chriſtianorum millia è vinculis, & duriſſima ſervitute, in libertatem aſſeruit. Hanc ob victoriam, Italiæ Siciliæque civitates Carolum, *tertium Africanum*, poſt duos Scipiones appellarunt. Sileo quod, cum ab arcis Nicenæ expugnatione, Ænobarbum per Vaſtium rejecit, inſignem Reipublicæ Chriſtianæ, non alio, quam publico bono, operam impendit.

Illud verò contra Proteſtantes in Germania bellum, cum tot principes ac civitates, Smalcaldico fœdere conjunctæ, Cæſari in

in Religionis causa parere recusarent, non prætextu aliquo, sed solo conservandæ religionis affectu, est susceptum. In quo victor, nullam devictorum principum provinciam, aut imperio, aut familiæ suæ, quod summo potuisset jure, subjecit. Clementia usus, non veterem Germaniæ libertatem sustulit, sed victos amicitiæ suæ restituit. Heut. Austr. lib. x. c. 7. lib. XI. c. I. II. III. IX. XV. & alibi.

§. III. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

Patri Carolo successit Philippus II. in Hispaniarum Regnis, & alibi; Ferdinandus frater, in imperio. Atque hic in Pannonia, quantum potuit, Religionem Catholicam asseruit; Ille plurima pro ejus conservatione bella suscepit.

Et inprimis non exiguum in illo pietatis est argumentum, quod cum Mariam, Henrici VIII. Angliæ Regis filiam hæredemque, uxorem duxisset, id egit ante omnia, ut indictis Londini, procerum ejus regni Comitiis, quibus ipse cum uxore Regina interfuit, Angli à schismate, hæresique liberarentur, & in gratiam cum Ecclesia Romana redirent. Interim cum fatis Regina concessisset, nihil sibi in Anglia vindicavit.

Eun-

Eundem Catholicæ Religionis amorem testatus est, cum per Garsiam Toletanum, Siciliæ Proregem, equites Melitenses, ab oppugnatione Solymanni Turcarum Imper. qui CLXVIII. triremium classem insulæ admoverat, fortunatissimè liberavit. Quid egit tum Philippus Rex, cum tempore Selymi Turcarum Imp. Piali Bassa, Cypro jam occupata, Cretam cæterasque in mari mediterraneo Christianorum provincias, ingenti spe devoraret?

Fœdus cum Pio V. Pontif. Venetisque percussit, & instructa LXXX. triremium & XX. onerariarum navium classe, Joannem Austriacum fratrem suum, sacri hujus belli ducem futurum, ex Hispania in Ciciliam dimisit; ubi cum sibi Venetorum classem, & Pontificis auxilia conjunxisset, ad Echinades insulas Turcas aggressus, eam generosissimus dux victoriam reportavit, qua nulla unquam de Turcis major, nulla ad posteritatis memoriam gloriosior. Neque aliud tum Regi propositum fuit, quam ut immane Turcarum jugum, à Christianis ditionibus averteret.

Quid contra Tunetum, idem postea Joan. Austriacus, magno Christianorum bono gesserit, libenter prætereamus, ne singula persequi sollicitè videamur. Heut. Austr. lib. XIII. c. XX. & l. XV. c. VIII. & IX.

CA-

CAPUT XXXIX.

Mens Regum Hisp. in bello Batavico.

PRofecto bellum illud Batavicum, scribit hic Nic. Vern. Histor. Reg. Apol. suæ Gent. Austr. c. XVI. quo nullum unquam aut acerbius, aut diuturnius, quod adversus confœderatas quasdam Belgii provincias est susceptum, Philippum IV. Hisp. Regem ab omni calumnia absolvit. Nam ut verè confiteamur, inquit, subditos suos ad suæ Majestatis obedientiam, qua benignitate, qua armis, revocare studuit, sed inprimis Catholicam Religionem in discrimen adductam asserere desideravit. Sed interim miserum Belgium, dum una pars pro duce suo, altera contra eundem, arma distrinxit, discordiæ suæ pœnas dedit. Id ago, inquit, quod benignitas amorque Regis, verè paternus in subditos, hoc in bello innotuit.

Quanquam describere hoc bellum, quod sine horrore fieri non potest, propositum nunc non est, nec in acerba, tot miseriarum & calamitatum quas passi sunt Belgæ, contemplatione hærere. Vide Famian.

mian. Præd. Nicol. Burg. Nic. aliosque de hoc bello Belg.

Quid autem Cæsares, inquit Vern. quid alii Christiani orbis principes, de hoc bello Belgico senserint, dum tot missis diverso tempore legationibus, fæderatas provincias,ad Regis sui legitimi obedientiam, revocare studuerunt, plus satis manifestarunt. Jacob. Bastonius, supremæ Parisiensis curiæ senator, Antonio le Pippre, ut ipse refert, aliquando dixit, fœderatos Belgas, nunquam meliorem inventuros amicum, quam principem suum naturalem & legitimum; foreque aliquando, ut ad ejus obedientiam redire concupiscant.

Nec sane different, inquit idem, si considerent, nihil benignius, nihilque humanius Regibus suis esse. Etenim Philippus II. nihil omisit, quo Belgas ad sui amorem, & obedientiam reduceret, regna alia sua, & ipsas Indias exhausit; tot duces præstantissimos ad hoc opus adhibuit; tot signa propensissimæ benignitatis suæ ostendit. Cum nihil proficeret, filiam suam Isabellam, Claram, Eugeniam, & Albertum ejus maritum, principes illis dedit, ac cum Burgundiæ comitatu Belgium concessit.

Idem eodem animo fecit Philippus III. obti-

obtinentibus Belgium, ut dixim. serenissimis Principibus Alberto & Isabella. Idem eodem consilio fecit Philippus IV. Quem unicum fratrem habuit, serenissimum infantem, in has provincias ablegavit, sui in eas amoris pignus longè charissimum. Adeo in Philippis Regibus reprehendere invidia nihil omnino potest, aut confiteri eadem debet, nunquam subditos rebelles revocare ad officium, fas esse. Ita Vern. loc. cit.

CAPUT XL.

Laus Regum Hisp. in debellandis heterodoxis. Votum Nic. Vern. Histor. Regii.

HAnc igitur ob causam, Pius V. Pontif. Philippum II. *publicè pacis, & Ecclesiæ fulcrum* appellavit. Gregor. XIII. *Ejus incolumitatem Reip. Christianæ vel idcirco necessariam* judicavit, *quod post hunc, non alius reperiri Philippus posset.* Clem. VIII. autem in ea oratione, quam in Cardinalium Collegio post Philippi mortem habuit, magno cum luctu declaravit, quod *Rex ille plus solus, in expellendis ab Ecclesia hæreticis expenderit, quam omnes simul alii Christiani Reges. Ita Rex* (Philippus II.) inquit Molan. de Mil.

Mil. Christ. *verè, omnibusque modis magnus, fortunas omnes viresque immensas à Deo acceptas, in debellandis Ecclesiæ hostibus non inutiliter impendit.*

Quid, quod post Ferdinandum Catholicum, tum ipse, tum Carolus ejus parens, in Indias, & in tot Orientis Occidentisque provincias, Religionem Catholicam invexerunt? Reprehendere id certè nemo potest, nisi qui tot Barbaris populis salutem, & Ecclesiæ Romanæ splendorem invideat. Laudavit Ferdinandi conatum Alexand. Pontif. Laudaverunt Caroli & Philip. labores Pontifices alii; totus orbis applausit. Qua de re quia cap. XIX. differuimus, nihil hic repetere est opus.

Finiam & votum addam, inquit iterum Vern. hîc: Utinam & Deus daret, ut quod omnium vota expetunt, tandem aliquando iterum amore, & communi sub eodem Principe, Philippo IV. Hisp. Rege clementissimo & fortissimo, consensu, Belgium universum coalescat. Ille enim Monarcha solus, inquit, verè potentissimus, ac felicissimus. Ille inquam solus, Belgium antiquæ gloriæ, provincias pristinæ unitati, Ecclesias splendori, clerum dignitati, Academias frequentiæ, sapientiam honori suo, oceanum commerciis, Emporia

opulentiæ, urbes decori, flumina navigationi, agros cultui, itinera ſecuritati, univerſos gratulationi atque lætitiæ reſtituet.

Vidit utique Belgica Regia, ſe non poſſe, neque unionem, neque Religionem, niſi ſub iſtius Monarchæ ſuprema auctoritate retinere. Quod ut perſpicaciter prudenterque cernit, ita hiſce poſtremis annis, tanta voluntatum conſpiratione profeſſa eſt, ut hujuſce devotionis ſpes, nulla poſteritatis oblivione ſepelienda videatur. Vinculis enim cumulatiſſimè ſatisfecit univerſis, quæ per Divinas, naturales, æternaſque leges, natura, juſtitia, religio, ſubditorum injecit conſcientiis. Nam & Principi detulit, quod legitimo capiti natura debet; & patriæ, quod optimates laboranti tunc Reipublicæ; & Religioni, quod pietas imperanti Deo.

At hæc extra forum, & ſcopum omnino meum, cum Deo laus, poſt duriſſimum ac diriſſimum illud bellum pax publica & ſolemnis ſancita & jurata, Rege provincias Confœderatas pro ſe & poſteris omnino liberas declarante, &c. de quo conſule publicas pacis tabulas, & cui placet, Panegyr. Amph. D. D. Bloem. Ill.mis Ordin. dedicatum.

Ego

Ego autem Ill.morum ordinum summam moderationem, prudentiam, vigilantissimamque erga Rempublicam curam, admirandus Veneror, & pro beneficiis mihi in patria indultis, animitus refero gratias. Det eis altissimus felix faustumque Regimen, salutem Patriæ amans & zelans.

CAPUT XLI.

Mens Ferdinandi II. Imp. in bello Germanico.

NEc alia fuit unquam Ferdinandi II. Cæsaris, in asserenda Religione sinceritas, qui non alium sibi finem, quam ejusdem conservationem, propagationem ac splendorem, jam ab annis septendecim, quibus gravissimo bello concussa Germania fuit, proposuit. Quippe hoc egit, hoc voluit, ut ex tot provinciis, quas hæresis contagio paulatim infecerat, ejecta Religio Romana in eas postliminio reduceretur; aliis integra illibataque conservaretur; ubique debito sibi splendore floreret.

Ut hoc autem consequeretur, suarum ditionum & Regnorum omnium, adeo-

que totius familiæ suæ opes, contra armatam hæreticorum vim, exposuit impenditque. Et verò tandem consecutus est; constitutâque cum electore Duceque Saxoniæ, non ita pridem pace, non tantum nova, grataque tranquillitatis luce, Germaniam serenavit; verùm etiam (quod illi propositum erat) Religioni Catholicæ magnum sanè attulit emolumentum.

Etenim ea pace hoc inprimis constitutum est, ut in Germania soli esse Catholici possint, & Augustanam Confessionem profitentes, Lutherani. Alii sectarii omnino nulli. Deinde verò, principes omnes imperii, adeoque status omnes Catholici, non tantum ditionibus suis restituuntur, verùm etiam Catholica Religio in iis asseritur. Accedit, quod Bremensis Archiepiscopatus, ac cum eo Halberstadensis, Mindensis, Verdensis, & Osnabrugensis, amplissimi episcopatus, Cæsareæ Majestati pro Catholicis deinceps permittuntur.

In hæreditariis Austriacæ familiæ Regnis ac provinciis, sola Religio Catholica, quæ ab ipso Cæsare restituta nuper erat, stabilitur. Catholicis ad omnes Cathedrales Collegiatasque Ecclesias, etsi illæ in hæreticorum potestate sint, denuo

nuo aditus aperitur. Pontifici Max. ſuum in iis jus certis Menſibus conſervatur; primariarum, ut appellant, precum integra vis manet; ſacerdotia quæcunque, ut obtineri, ita poſſideri ubivis à Catholicis poſſunt; Cœnobia ſua Religioſi ordines, inque iis poſtulationum, Electionumque jura retinent, nec impedire, quæ à ſectariis aliter ſunt conſtituta, poſſunt.

Nulla præterea hæreticorum ſecta, nulla in re prætendere præſcriptionem poteſt; & Catholicis principibus ſtatibuſque, Religionem reformandi ſuis in ditionibus, libera poteſtas eſt; ac aulæ Cæſareæ, de Eccleſiaſticis bonis judicandi, jus certum indubitatumque manet. Plura alia ſunt, ſed ipſæ pacis tabulæ videri poſſunt. Lege etiam aſtrum inexſtinctum Rom. Haii, opus eruditiſſimum ac elaboratum.

Ille Cæſaris Ferdinandi II. pro Catholica Religione Zelus fuit; illud ſtudium. Affulget adhuc ſpes melior pro Germania hoc tempore; quin imò pro tota Europa, ſub Moderno Leopoldo Ignat. Cæſare glorioſiſſimo ac invictiſſimo, adverſus Saracenos, cæteroſque S. Romanæ, Apoſtolicæque Eccleſiæ, Matris noſtræ, hoſtes. Vivat ipſe, imperet, & perennet,

cum cæteris Christiani orbis principibus, in fœdere sanctæ pacis coadunatus.

CAPUT XLII.

In bellis contra hæterodoxos sæpius adfuit extraordinarium Dei auxilium, principibus Austriacis.

ETenim Carolus V. Imp. de cælo sensit auxilium, suis, ac fidelium precibus advocatum, in cruento illo prælio, contra Saxonem & protestantes. Cum enim copiosum ducis exercitum cum suis copiis insequeretur, conspicatus est in itinere Crucifixi imaginem, ictu Bombardæ, ab hæretico aliquo impetitam & collisam. Equo ergo terræ supplex prosternitur, & coram imagine oculis in Cœlum levatis, sic orat: *O Domine Deus, scio equidem omnem tibi potentiam suppetere, ad vindicandas tot, & tam enormes injurias, ab impiis nomini tuo inflictas: sed & ego servus tuus, opem manumque tuam imploro, ut possim hodie de impiis & sacrilegis, dignam Vindictam, nomine tuo sumere: exurge ergo Domine, & judica causam tuam.*

Sic animatus, & fiduciam figens in Deo suo,

ſuo, proſequitur iter, hoſti appropinquat, aciem ſuam inſtruit, numero, viribus, locoque longè inferiorem. At Deus ſe pium Cæſaris Zelum votumque reſpexiſſe, ſtatim variis indicat prodigiis. Cum enim jam ad conflictum acies parata ſtaret, & manus conſerendæ, apparet aquila imperialem aciem circumvolans, & velut de appropinquante victoria Chriſtiano Imperatori, volatu ſuo congratulans. Ex altera parte lupus è nemore erumpens, inter pedites ingreditur, quaſi ſe eorum manui & poteſtati ſubjiciens.

Verùm quod mirabilius eſt, Cœlum igneo veſtitur colore: Sol verò ſanguinolento: quod non ſolùm in Saxonia, ab utraque acie, ſed & in remotis provinciis Anglia, Gallia, fuit annotatum.

Illud quoque celebris miraculi, qui præſentes huic prælio fuerunt, aſſerunt accidiſſe, quod tempore Joſuæ: ſolem ſcilicet ſolitum ſuum curſum retardaſſe, & ſtetiſſe, ut dux verorum Iſraelitarum, hoc eſt, Catholici exercitus, pleniori victoria potiretur. Unde & quidam verbi Dei precò, tunc exercitui præſens, milites his verbis animaſſe fertur: *O Filii dilecti, nemo animum deſpon-*

despondeat, certate viriliter. Annon cernitis, quomodo sol ipse Dei oculus vobis favet, & monet ut fortiter & strenuè, contra Dei hostes dimicetis?

Sicut vero Julius Cæsar, cum in Asiam venisset, & ibi bello finem dedisset, victoriâ potitus, hoc sibi Symbolum assumpsit; *Veni, vidi, vici:* Ita hic pius Imperator, Cœlestem hanc reportans victoriam, adhuc in campo certaminis, hoc sibi Symbolum assumpsit; *Veni, vidi, Deus vicit:* Noluit enim sibi victoriam adscribere, sed illam Deo acceptam grato animo retulit. Vide Sur. in Comm. de Car. V. & Florim. Rem. lib. 3. de ortu hær. c. 15.

CAPUT XLIII.

Victoria Ferdinandi II. Imp. Cœlitus concessa.

Silentio quoque non est hîc obvolvenda, recens adhuc Memoria, inclytæ illius victoriæ, qua civitas Pragensis, & totum Bohemiæ Regnum, uno velut ictu Cœlesti, Ferdinando II. Imp. est subactum; Friderico Palatino invasore, hæreticorum duce & antesignano, exacto.

exacto. In qua quidem victoria, exercitus hæreticus, viginti quinque & amplius armatorum millibus constans, partim cæsus, partim captus, partim in fugam est actus *ad Stellam*, Palatium civitati propinquum.

Hanc victoriam, non nisi auxilio cœlitus misso obtentam, omnes agnoscunt, etiam ipsi Duces, prout patet ex literis, quos dux Bavariæ & Comes Bucquojus ad summum Pontificem dederunt, ubi nominant eam, *victoriam Dei admirandam*; quam videtur stella illa, sive Cometa anno uno antea trahens longas virgas, & velut longum crinem rubicundum, portendisse. *A Domino ergo, factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Cum enim hostis, & numerosior foret, & vallo potentissimo munitus, & in colle sublimi constitutus, tormentis bellicis potentissimè detonans & fulminans; nihilominus una ferè hora profligatus est, septem millibus cæsis, cæteris vel in fugam actis, vel captivis, cum vexillis circiter centum, inter quæ & Regium erat, continens Sphæram cum hac inscriptione, *diverti nescio*. Sed divina manu, Regia dignitas à Frederico, Rege Hyemis unius, ante annum revolutum evanuit, in eodem loco, ubi primùm Rex fuerat salutatus, &

P 5 ipse

ipse subversus, adversus, diversusquo fuit, illo pugnante, de quo dicitur, Eccl. 10. 17. *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Lege de hoc bello Flor. Germ. Everhardi Wassenb. & alios.

Sic turrim Babylonicam, quam hæresis in primaria imperii civitate erigere gestiebat, subitò confudit & evertit Deus. Nec ambigi potest, cælitus auxilium adfuisse, nam & vexillum, quod in hoc prælio delatum primo loco fuit, paucis ante diebus, ignea quadam luce effulsisse in cuspide, à pluribus visum est, & boni ominis portentum judicatum est. Erat autem vexillum legionis Wallonum, qui in prima acie constituti fortiter se gesserunt.

Adde, quod cum noster nutaret exercitus, & dubitarent duces loco tam patenti, tam potentem hostem aggredi, quod contra leges militaris prudentiæ videbatur, P. Dominicus natione Arragonius, ex ordine carmelitarum discalceatorum sanctitate celebris, (quem Bavarus secum ad castra adduxerat) dubitantibus animos addidit, & certam à Deo victoriam pollicitus, Joan. Capistreni & aliorum exemplo Christi crucifixi SS. effigiem in hostes intulit. Bavarus quoque pro felici omine,

ne, tessarem militarem dedit nomen *Maria*, & inito statim conflictu jussit recitari antiphonam *salve Regina*, à sacerdote Societ. Jesu, Bavaro & Buquojo, utroque belli imperatore respondente.

Sed & dies, quo victoria obtenta fuit, auxilium cœlitum satis designat, erat enim *Octava omnium sanctorum*, in qua Divi voluerunt vindictam sumere, & judicare causam suam contra hos hæreticos, qui in Praga, ante annum, eorum imagines sacras colliserant, & aras ac templa prophanarant, ne eos jam in cœlo sedere surdos, ut solent, existimarent. Eadem quoque dies incidebat in *Dominicam 22. post Pentecosten*, quo die Romana Ecclesiá Evangelium istud recitat, in quo habetur: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Unde & illo die in potestatem Cæsaris usurpatum Regnum reddi conveniebat.

Sed & sequens dies *Dedicatio est Basilica Salvatoris*, in quo belli duces Bavarus & Bucquoius, Capucinorum Pragæ templum (quod Unicum Catholicis ea in urbe restabat), ingressi sunt, rem divinam audituri, & cæteros viros religiosos & Ecclesiasticos, ad suas Bacilicas Salvatori denuo dedicandas re-

revocaturi: Quod statim factum est, revocatis paucis post diebus Dominicanis, Franciscanis, Patribus Societ. & aliis, magno cum bonorum gaudio.

CAPUT XLIV.

Vaticinium Ioan. Lichtenbergii, Astronomi, hac de re.

AD hæc verò tempora, à multis refertur, celebre illud vaticinium à Joan. Lichtenbergio, apud Germanos celebri Astronomo, anno 1484. scriptum: & Coloniæ anno 1526. secundò excusum, ubi dicit: *Novus Princeps exsurget in brevi tempore, ô alma Mater Ecclesia plange! ô virgo Rheni clama, ululate pastores & doctores. Factus est mihi quasi Leo insidians: ideo versum est in luctum gaudium meum. O plebs misera! Quia regulus novus surrexit in te: non gubernator, sed desolator fidelium; non consolator, sed deprædator spiritualium; non protector, sed depressor orphanorum & viduarum in tota alta Germania. Novus Rex sine ruga Germaniæ principibus videtur accedere. Hic patrimonii Jesu dilapidator, hic erit Draco perniciosissimus, persequens sponsam Christi in multis diæcesibus; qui perturbabit terram, ponet orbem desertum, non dormiet, sed continuò machinabitur malum: cujus con-*

concilium est cum impiis, & stabit cum concilio iniquorum.

Nullus veterum Tyrannorum fecit, tot & tam perniciosa, quanta hic in populo Alemannico fecit. Non timebit Deum, non parcet sanctis, non formidabit capita fidei, non veretur exterminare loca sacra, non pudet eum committere sacrilegium. Heu! quanta perficiet contra Catholicam ordinationem, vix lingua sufficit enarrare. Punieris à Deo, ô Radix peccati, verè punieris à Deo. Nam hoc tibi signum erit. Aurum sapientiæ tuæ obscurabitur, quia Phræneticabis, rumor famæ tuæ infatuabitur, mutabitur color tuus optimus, & diceris per totum mundum hæreticus. Obmutesce ergo abominatio, ne cogites quovis modo seminare zizaniam sylvestris Leonis inter Germaniæ principes, ac imperium.

Heu Beelphegor Hæresiarcha Bohemorum! Regibus venenosus, qui se pro Rege Bohemiæ gerit, Romanæ Ecclesiæ, ac orthodoxæ fidei hostis acerrimus: sponsæ Christi turbationes plurimas afferet, egregiosque viros interficiet. O Juvenis ad bella ductus per tuos, quomodo audes vivere in statu, in quo mori non audes? Nescis quod sepelieris sepultura asinina. Progenitores tui viri Catholici, viri famosi. Quid tu gloriaris de Doctoribus tuis excommunicatis? Tu pelles mortuas vis consulere, hoc est, hæreticos, qui nesciunt, quid dicunt? Sequere Paulum.

Cum in ætate tenera fuisti, sicut à parentibus ducebaris, sic fecisti. Jam ubi ratio sensui cœpit dominari, excute quæso quæ sunt parvuli,

corrige,

corrige, emenda vitam tuam, & idolum tuum excommunicatum ut viperam fuge. Post te veniet, qui Ecclesiam Pragensem adducet ad matrem fidelium, & erit nova reformatio in Bohemia. Hactenus ex Lichtenb.

Finis II. Partis.

Homini

Homini mortali,

Ad immortalitatem aſpiranti,

ÆTERNITATIS BEATÆ

Candidato, ſpeculum.

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, Pſal. 76.

LOquar ad cor tuum pauca, ſi vis, ô Homo, incola terræ, cæli civis. Statuam faciem tuam, ante faciem tuam: te ante te. Ecce enim ſpeculum, *in quo conſideres vultum nativitatis tuæ.* Rogo te ne celeriter tranſeas; *ſtatim oblitus qualis fueris,* Jac. 1.

Quæ eſt origo tua?

Deſcende in domum figuli, & ſcies. *Jer.* 18.

Quod eſt nomen tuum?

Homo de humo, Adam de Adam, lutum de luto.

Quæ parentela?

Putredini dixi, pater meus es, ſoror mea vermibus, *Job* 17.

Quis tuus finis eſt?

Cinis eſt: vide, ne ſit ignis.

Quid ipſa vita?

Ad mortem currit, etiam invita.

Sed

Sed cur dico ad mortem? Navigat ad ÆTERNITATEM. Et quidem prosperè, plenis velis, si ita velis. Fides sit anchora, spes velum, crux sit erecta in malum con collideris, non impinges in malum. Sic enim instructa,

Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Dirigit navem vector in fine sedens; sic tu vitam. Attende exitum, præcave exitium. Ut non impingas in scopulum, respice semper scopum. Quo tendis? ad immortalitatem. Qua via? per mortis tramitem. Si respicis umbram occidentis tui, pertinges ad veram lucem orientis æterni. Sed *væ illis, quibus factæ sunt umbræ longiores vesperi*, inquit *Jer.* 6. Illud væ tu cave. Quomodo cavebis?

Cogita dies antiquos, & annos æternos in mente habe:

In illis excitare scopens, fodiens, sarriens; *Scopebam*, inquit *Psal.* 76. *Spiritum meum:* legit D. Hier. fodiebam, sarriebam. Opto tibi tale sarculum, quo omnem expungas infelicem surculum; sic enim fiet, ab ut illa *securi* sis securus, quæ est *ad radicem* infructuosæ arboris. Excitare ergo sarriens; sed & fodiens. Quomodo fodiens?

fodiens? Audi ex ore Domini, *Ezech.* 8: *Fili hominis, fode parietem, ut invenias abominationem.* Sagaci cum ſcientia, ſcrutare conſcientiam: Quære te in te, & quære à te illud *Jonæ* 1.

Quod opus tuum? Quæ terra tua? aut quo vadis?

Cogitabam ait, nocte, *nunquid in æternum projiciet Deus?* Pſal. 76. Illud ÆTERNUM, ſæpe meditare, & quidem cum corde, cum gemitu columbæ. Etenim, ſi *pondus ignis* devorantis, ſi *flatum venti* impios involventis, vitare cupis, illud *pondera*, hunc *menſura. Deſcende* in infernum vivens, ſi non vis deſcendere moriens. Et ſis cogitans, *Annos æternos, revoca diem, qui præteriit.* 4. Eſdr. 4. O ſi viam adoleſcentiæ, Prov. 30. *viamque naviculæ tuæ*, inter *mirabiles elationes maris*, Pſal. 76. cognoſcere poſſes, & dicere:

Recogitabo tibi annos in amaritudine animæ meæ.

Volvitur annus, & revolvitur: volvimur & nos mirè, ſed involvimur; in viis deviis, in circuitu ambulamus. Quamdiu in hoc orbe agimus, in orbem agimur, inſtabiles, velut in verſatili rota, velut in cæci

cæci Sampſonis mola. Quid amplius? In labyrintho degimus; quo magis progredimur, magis intricamur; Quid conſilii? Juvenis ille, (Theſeus) olim facilem invenit viam, ducente filo, quod Regia virgo Ariadne illi tetenderat. Te ergo, quicunque in hac lubrica & implexa via anxius ceſpitas, advoco: & ne deſpondeas, virginum virginem ducem ſpondeo. Hæc felici filo præducet, & ad optatam ÆTERNITATEM perducet. Ad hanc profugus refugias, deplorans exilium, implorans auxilium, offerens ei hunc gemitum Columbæ Eccleſiæ matris tuæ.

Ad te clamamus exules filii Evæ, ad te ſuſpiramus gementes & flentes, in hac lachrymarum valle. Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et Jeſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende, ô Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

A M E N.

TRA-

TRACTATUS
De
Augustissima Gente Austriaca

PARS TERTIA,

De virtutibus, heroicisque actis Gentis AUSTRIACÆ.

EXpeditis iis, quæ ad magnitudinem, potentiamque, Augustissimæ Gentis Austriacæ, pertinent, ac justissimos titulos, quibus, provinciis suis, tam in veteri, quam novo orbe, imperant: Restat in hac III. parte, mundo exhibere, virtutes ejusdem serenissimæ Gentis, ac heroica acta, quibus, piissimi Austriaci principes, domi forisque, bello ac pace, emicuêre. Non attingo quidem omnia; sed ex pollice Gygantem, ex ungue leonem, quis non cognoscat? Cum autem Doctissimus Nic. Vernul. Historiog. Regius, Cuspin. Ger. de Roo, Heut. aliique complures, quos cito, rerum Austriacarum profundi scrutatores, materiam hanc copiosiùs ac solidiùs tractarint, agnoscet benignus lector, me pleraq; ab iis mutuasse, quæque hîc desiderari possunt,

ſunt, apud eoſdem auctores, latiùs reperiri.

CAPUT I.

Virtutes Auſtriacæ Gentis, Imperii, & Eccleſiæ Catholicæ, ſunt fulcra.

AUguſtiſſimæ Gentis Auſtriacæ potentia, non ſanè ſine invidia eſt; ſed virtutes ſupra invidiam ſunt. Invident nonnulli tam latè patens imperium, & concutere illud, ſi non convellere, conantur: at iidem virtutum Gentis Auſtriacæ Majeſtatē admirari coguntur. Adverſus has nec hiſcere livor poteſt. Terminatur potentia certis terrarum finibus, etſi ultimis; virtutes terminum neſciunt. Adeo plus hæ admirationis excitant, quam illa invidiæ. Idem Cœleſte numen, quod tantam potentiam publico orbis bono conceſſit, virtutes ad gloriam indulſit, ut eſſent potentiæ fulcra. Et verò fulcient illæ imperium Gentis Auſtriacæ, quamdiu ibidem eluceſcent. Hoc eſt æternum.

Imò & potentia Gentis Auſtriacæ, & virtutes, hodie ſunt Eccleſiæ Catholicæ fulcimenta. Nec heterodoxi id ignorant, nec qui invident, ſed dum timent, non ferunt. Ego verò iſtas Gentis Auſtriacæ virtutes,

tutes, apud alios latiùs diffusas, hoc brevi tractatu, tanquam in parva tabula, orbi exhibeo, ut credant mortales, non minus Gentem Austriacam virtutibus inclytam esse, quàm potentia invictam. Ut, inquam, intelligant, magnum imperium Gentis Austriacæ sine magnis virtutibus non esse. Augusti Gentis Austriacæ heroës, non nisi virtutum magnitudine æstimantur.

Vivorum principum non feci mentionem, aut parcè. Id consultò, ne adulari viderer; etsi nihil adulationi relictum sit, ubi dici nunquam satis potest. Dignabimini tantùm, vos Illustrissimi principes, majorum vestrorum virtutes, & quæ domi ad omnem gloriam exempla habetis, benigno oculo aspicere. Vestris enim Auspiciis in lucem eunt, quia illas in vobis exprimitis; nec nostra nec ventura ætas tacebit. Faveat divinum numen, ut cum potentia crescat virtutum vestrarum claritas.

CAPUT II.

De Zelo fidei, & Religionis Catholicæ, Principum Austriacorum.

Nihil unquam majori curæ Augustissimis Austriacæ Gentis principibus fuit,

fuit, quam Religionem à majoribus acceptam, integram illibatamque conservare, propagare, tueri. Hic illorum Zelus, hoc studium, hoc armorum causa. Exempla vidit orbis, Regibus imitanda. Nec aliud ipsis tantam imperii magnitudinem, quam Religionis Catholicæ cultus comparavit. Pro ea se, diademata sua, & opes ingentes Cælesti numini devoverunt. Audiit illud, & annuit. Noscat orbis, principes imitentur, ament omnes & extollant.

§. 1. *De Maximiliano* I. *Imp.*

Maximilianus I. Imp. in cujus nomine virtus & felicitas, cum ultimus illi dies illuxisset, non contentus testamenti tabulis inscripsisse, ultro qua potuit extrema voce, adstantibus sibi principibus, *Renuntiate*, inquit, *Carolo & Ferdinando nepotibus meis, ut majorum insistentes vestigiis, Catholicam Religionem, à Germanis hactenus cultam, adversus novorum dogmatum Auctores, sectatoresque, cum vita etiam periculo defendant.*

Abhorrebat quippe ab iis, qui præclarè à majoribus instituta, solo novarum rerum studio facilè commutant. Unde non rarò exorientis tum primùm in Germania Martini Lutheri, insanum turbulentum-

que

que ingenium deteſtabatur, addebatque, quod ſi ſibi diuturniorem Deus vitam largiretur, non fruſtra malè ſanus homo, Germaniam, veſania ſua perturbandam deſumeret.

§. II. *De Carolo* V. *Imp.*

Carolus V. Imp. ſi quis unquam, maximus, avi ſui Maximiliani Zelum, non æquavit, ſed ſuperavit. Anno imp. ſui I. cum in Wormatienſibus comitiis, excogitata nuper à ſe dogmata, Mart. Lutherus adſtruere fruſtra contendiſſet; eſſetque illi plus ſatis, ab excellentibus ingenio doctrinaque viris reſponſum, nec tamen à ſententia diſcederet, dimiſſum illum proſcripſit, libros ab eo conſcriptos flammis adjudicavit, eorum uſum lectionemque omnibus interdixit, Zenocar. lib. 1. Heut. lib. 8.

Idem quinquennio poſt, ad comitia Spiræ Nemetum, à ſe VII. Calend. Quintiles indicta, litteras miſit, quibus Cæſarea auctoritate jubebat, ne Principes, aut civitates vel unum in Religione apicem mutarent, eam verò in omnibus ex Wormatiani conventus decreto obſervarent. Profecturum ſe paulò poſt in Italiam, cumque ſacrorum Principe, de futuri concilii loco,

loco temporeque acturum. Nec id tantum tunc egit. In omnibus postea imperii comitiis, ut omnes Tridentini concilii decretis parerent, adlaboravit. Heut. lib. 9.

Potuit idem Cæsar tot Regnis & imperio se abdicare, Zelum Religionis deponere nunquam potuit. Idcirco cum Bruxellæ superioris seculi anno LV. Belgicas provincias, in filium Philippum transferret, earum ordinibus, Catholicam Religionem magno ardore commendavit. *In ea sitam esse patriæ tranquillitatem, qua convulsa nutarent, excisa caderent. Nihil gravius cæleste numen vindicare, quàm violatæ Religionis contumeliam, & neglecti cultus sui ignominiam. Conjunctas Belgii provincias Principibus externis terrori esse, easdem, si mutata Religione dividantur, cuilibet in prædam facilè cessuras. Concordiam proinde servarent, & ne vicinarum regionum erroribus inficerentur, sedulò caverent.*

Nec temperabat sibi à lachrymis Cæsar. Tunc converso ad filium Philippum sermone, *vides*, inquit, *lachrymas, amoris mei testes: Belgium tibi trado, sed tuorum avorum Religionem inprimis commendo.* Innitebatur tunc humeris Guilielmi Nassovii, Arausion. Principis, qui à Religione, & Rege Philippo postea defecit. Heut. lib. 14.

Cum ex Zelandia in Hispaniam solveret, filium Philippum ultimò complexus, profusis

profuſis lachrymis adhortatus eſt, ut Romanam Eccleſiam, quantis poſſet viribus, ſemper tueretur. *Et ſi ampliſſimam,* inquiebat, *monarchiam, tanto majorum tuorum labore partam, retinere velis, tuis in Regnis alienos à Religione Catholica nequaquam patiaris.* Oderunt heterodoxi monarchias, & cum occaſio arridet, ſubvertere libertatis prætextu conantur. Idem.

Fuerunt & poſtremæ ejus ad imperii Senatores, qui Spiræ tum erant, litteræ, quibus, ut avitam Religionem, juſtitiamque conſervarent, non adhortatus tantùm eſt, ſed etiam ipſe Cæſar rogavit.

§. III. *De Friderico III. Imp.*

Fridericus III. Imp. ea conſtantia Religionem Catholicam colebat tuebaturque, ut illius cauſa vivere vulgò diceretur. Anno MCCCC. LII. cùm Romam veniſſet, prima illi cura fuit, ad Pontificis pedes ſe abjicere, tum Divorum delubra, lipſanaque inviſere. Demum XVI. Cal. April. Pontifex in D. Petri æde ſacris operatus, Fridericum Cæſarem, & Leonoram, Chriſtiano ritu conjugii vinculo copulavit. Tertio poſt die eundem Romanorum Imperatorem, ſolemni ritu inunxit, & imperii inſignia adjecit. Ambos Roma inter

Q fau-

faustas acclamationes *Augustos* salutavit; nec alia gestientis tunc populi vox fuit, quàm, *Frederico pacifico, à Deo coronato Imperatori, vita & victoria.* Gerard. de Roo.

Idem cum post sex annos, ineunte Novembri, in Italiam, iter suscepisset, Romam pridie natalis Christi appulit. Nocte sequente, quæ Christianis est sacra, cum Pontifex ad aras sacrificaret, Evangelium de Augusti Cæsaris edicto, publicè decantavit. Idem de Roo. Imitatus nimirum Sigismundum Imp. fuit, quem idem fecisse, Historici commemorant. Sexdecim in urbe exegit dies, deque expeditione in Turcas suscipienda, ac de Hungariæ, Bohemiæque Regnis consilia cum summo antistite communicavit.

§. IV. *De Ferdinando* I. *Imp.*

Ferdinandus I. Imp. ut erat veteris Religionis studiosissimus, ita exstitit ejusdem conservator acerrimus. Angebatur animo vehementer, cum eam, dissentientibus hominum opinionibus, adduci in controversiam videret, de qua ipse nequaquam dubitaret. Id quorundam ambitioni tribuebat, qui, ut nominis existimationem sibi compararent, Religionis novitate, imperitorum animis impone-

ponebant. Cuſpin. Interim Religioſiſſimus Cæſar, in omnibus Principum congreſſibus, ut antiquiſſima Religio, à majoribus culta, novis opinionibus anteponeretur, urgebat. Imo non recuſabat, quibuſdam moderati ingenii judicibus, ſi judices pati ſectarii poſſent, id omne negotium committere.

§. V. *De Ferdinando* II. *Imp.*

Ferdinandus II. Imp. hic eſt ille divis ſimilior Princeps, quàm hominibus. Talem orbi vitæ ſanctitas, & ardentiſſimus Religionis Zelus oſtenderunt. Quis dubitet? *paratum ſe pro quovis Romanæ Eccleſiæ dogmate cruciatus, adeoque mortem ipſam oppetere profitebatur. Exui imperio, Regniſque omnibus, quàm ullam amplificandæ Religionis occaſionem negligere, malebat. Exilium cum auguſta conjuge, liberiſque pati, ſtipem oſtiatim colligere, ſolo veſci pane, ac in partes etiam diſtrahi, quàm injuriam cæleſti Numini, Eccleſiæque illatam non ulciſci, aut perferre, potiùs deſiderabat.* Guil. Lamorm. de virt. Ferd. II.

Nec uno ad hæc ſe voto obſtrinxerat. Laureti in agro piceno vix annos xx. natus, coram Deiparæ virginis ſimulacro, ex hæreditariis provinciis ſuis ejecturum ſe ſectarios promiſit. Ubi Hungariæ, Bo-

hemiæ,& imperii Diadema obtinuit, idem Cellis coram ejuſdem virginis effigie, facturum ſe in Bohemia, conſtanter vovit. Nec vovit tantùm, ſed & præſtitit. Adeo quicquid ibi, ac vicinis in provinciis, priſci Catholicique moris eſt, totum illi debetur.

Cùm Walſtenius Fritland. dux, cum ſectariis in Sileſia de pace non bona fide, ut rumor increbuerat, ageret, procumbens in genua Cæſar; *Si ea pax pernitioſa,* inquit, *Eccleſia futura eſt, tu Deus, tu Dei mater, illam impedite.* Nullum ei vehementius gaudium erat, quàm cùm ad Eccleſiam, abjurata hæreſi, quiſpiam rediret. Unde cum Rudolph. Tiffenbachius ab Eccleſia Catholica ſeductus, nomen illi rurſum dediſſet, gratulaturus illi per litteras Cæſar; *Exoſcularer,* inquit, *tui capitis verticem, ſi tibi præſens eſſem.*

Conditis antea teſtamenti tabulis, paulò ante mortem codicillos adjecit. In iis hæc ſuprema ejus voluntas, ut hæres Ferdinandus filius, Apoſtolicam Romanamque Religionem perpetuò conſervaret. Faceret Deus, Ferdinandos ejuſmodi multos, orbis haberet.

§. VI. *De*

§. VI. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

PHilippus II. Hispaniarum, & Indiarum Rex, in cujus pectore Religio sibi sedem elegerat, suscepto Belgarum imperio, stans coram Cæsare parente, solemnibus verbis cultum divinum suis omnibus in regnis provinciisque, conservaturum se juravit Ea regiæ inaugurationis formula est, sed rationem adjecit, quòd certissimus esset, cœleste auxilium nunquam sibi hoc in conatu defuturum. Opes sibi magnas esse, sed libenter pro Catholica religione conservanda impensurum. Heut. l. 14.

Fecit id, & faciunt etiam hodie ejus posteri. Quod verò promiserat, ejus animo nunquam excidit. Unde discessurus in Hispaniam, Belgii ordines, ut Catholicam religionem constantissimè colerent, graviter admonuit. Soluturus ex Zelandia, idem repetiit, ut memores edictorum parentis sui, locum novis opinionibus nunquam darent. Dignus glorioso Catholici Regis nomine, qui Ecclesiam omnibus potentiæ viribus semper defendit, ejus imperium amplificavit, hæreticorum impetus retudit, auxilia, quæ potuit, Pontificibus nunquam

non subministravit. Hanc ob causam vulgò *Ecclesiæ columna, bonorum parens, Christiani nominis protector*, appellabatur.

Exstinctam sub Henrico VIII. in Anglia Religionem, ductâ ejusdem filiâ Maria, ad pristinum splendorem revocavit. Exorta in Belgio hæresi, novos antistites, permittente Pontifice Maximo, qui Religionem collabentem doctrina exemploq; fulcirent, constituit. Hist. Bell. Belg. An sol unquam Indis clariorem lucem, quàm ipse fidei Christianæ jubar, invexit? Nec diffiteri beneficium Gallia Germaniaque possunt; in illa, Religionis Catholicæ nitorem conservavit, hæc ne Turcarum jugum, oppressa majorum fide, indueret, effecit.

Tantum in Philippo Zelum Pius V. Pontif. exprimere digno elogio non potuit, nisi eum, *publicæ pacis & Ecclesiæ fulcrum*, appellaret. Amplius verò Gregor. XIII. dixit, esse idcirco Philippi Regis incolumitatem, Reip. Christianæ necessariam, quod *alius, post hunc, Philippus reperiri non possit.* Mirabitur hanc unam ejus vocem posteritas; *Si eveniret unquam*, inquiebat, *ut filius meus hæresin amplexus, ab Ecclesia Romana deficeret, ligna, quibus ille concremaretur, ultro ipse subministrarem.* Petr. Math. in Henr. 4.

Cùm

Cùm proximum vitæ ſuæ occaſum animadverteret, accerſito filio ſuo Philippo III. nihil majori affectu præcepit, quàm ut omni conſilio, & armorum vi, Catholicam ubique Religionem propugnaret, conſervaretque. *Unum enim eſt, & cujus ſola contemplatione oblector,* (addebat ipſe) *quòd in Catholica fide, majorum Religione, Romana Eccleſia, & ejus ſupremi capitis obedientia moriar ac conquieſcam.*

§. VII. *De Alberto* IV. *Archid. Auſtriæ.*

Albertus IV. Archidux Auſtriæ, niſi fallor, ſuo in pectore integrum Chriſtianæ Religionis amorem complectebatur. Sed erumpebat quandoque, & in ſacris Divorum ædibus, cum ſacerdotum Choro publicè pſallebat. Hoc uno modo ſuum affectum teſtabatur, nec ullum aliud Regium magis exercitium, quàm vocem ſuam divinis laudibus decantandis famulari, credebat. Non deerant impii homines, qui hoc illi vitio verterent, & monachum, non Principem, eum appellarent.

§. VIII. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Albertus Pius Archidux, Belgarum

 Prin-

Princeps, nominis sui famam, singulari religione toto orbe diffudit. Hic nihil assuetus generi aut nobilitati dare, sed soli virtuti, optima ratione se Catholicæ Religioni consulturum existimabat, si sacris muniis eos præficeret, quos vitæ integritas & doctrina commendarent. Ideo in Ecclesiasticorum delectu severissimus erat, sed & fortunatissimus. Scrutabatur singula, antè actam vitam, & præsentes mores. Nec unquam in delectu suo frustratus est. Felicitatis hoc esse potuit, sed quam prudentia gignebat, pietas merebatur. Scrib. in Pol. Christ.

CAPUT III.

De pietate & fiducia in Deum, Principum Austriacorum.

NOn alia tanti zeli origo, quàm ipsa in Deum pietas. Quippe tam pii sunt Principes Austriaci, quam ferventes & zelosi. Et quia suum à supremo Numine imperium esse, certò sciunt, illi se libenter submittunt, & submisè adorant. Nemo dixerit, pietatem, privatorum, hominum divino cultui voto obstricto-

ſtrictorum, virtutem eſſe propriam: in Regibus & Principibus præcipuum eſt ornamentum, ſummamque gloriam habet. Conſideremus igitur eorum pietatem, ut gloriam agnoſcamus.

§. *I. De Rudolpho I. Imp.*

Rudolphus I. Imp. ut gentis Auſtriacæ conditor, ita poſteris ſuis exemplo ad pietatem præivit. Certas quotidie precibus ad Deum fundendis horas dabat; nec hanc conſuetudinem negotia, etſi ardua, interrumpebant. De Roo l. 1. Imperaturum ſe feliciter credebat, ſi bene ſibi cum Deo eſſet, & ejus benevolentiam conciliaret.

Ex hac pietate, certa illi in Deum fiducia erat. Unde cùm imperii diadema Aquiſgrani ſuſciperet, nec fortè tunc ad manum ſceptrum eſſet, crucem ex aris arripiens, dignam ſe vocem edidit: *Hoc ſignum eſt, quo genus humanum, & nos redempti ſumus; hoc ergo Sceptro, in omnes mihi, & imperio infidos, utar.* Pietatis iſta vox fuit.

Quis neget, preces ejus plus, quàm arma potuiſſe? Cùm in prælio adverſus Ottocarum Bohemiæ Regem, ſuos in diſcrimen adductos videret, media

in acie genibus incumbens, Divini numinis opem, ardentissimis precibus efflagitavit. Nec illum pietas fefellit; animum milites receperunt, ipse vicit.

§. II. *De Maximiliano* I. *Imp.*

Maximilianus I. Imp. Cùm in Blangiaca apud Belgas pugna, milites suos diserta oratione ad pugnam inflammasset, monuissetque, meminissent, homines quidem in prælio concurrere, sed victoriam à Deo exspectandam, atque illum justæ causæ semper adesse, mandavit, ut in genua ter singuli procumberent, totiesque fusis precibus victoriam à Deo postularent. Fecit id ipse primus, & votum adjecit; secutus Imperatorem est miles, totusque in terram exercitus procubuit. Germani Anglique, in prima acie constituti, veteri gentium more, terram etiam tertiò suis osculis delibarunt. Inde post aliquod primò discrimen, secuta de Francis Victoria fuit. Pietatis ista sanè victoria. Heut. l. 1.

§. III. *De Carolo* V. *Imp.*

Carolus V. Imp. verè pius, quotidie manè, priusquam vestiretur, talari duntaxat toga corpori obducta, & genibus terram premens, divinæ majestati preces, horæ unius circiter spatio, fundebat. Nonnunquam ita animus in illo ardebat, ut exclamaret: *In manus tuas, Domine, tradidi Ecclesiam tuam.* Pro hujus enim tranquillitate, concordiaque, quàm maximè optabat, Deum semper deprecabatur: Deinde cubiculariis admissis, canonicas preces, sacerdotum more recitabat, ac postea Reipublicæ negotiis vacabat. Tum imminente meridie, ut sacrificio interesset, procedebat; eo absoluto, ad mensam. Sur. in hist.

Capto ad Ticinum Francisco I. Galliæ Rege, cùm omnium oculi in Carolum intenti essent, ut quo vultu tantæ victoriæ nuntium exciperet, animadverterent, nulla lætitiæ significatione, prohibitis etiam publici gaudii signis, confestim ad templum tota aula sequente perrexit, Deoque gratias persolvit. Altero die sacram synaxin sumpsit, & solemnes dierum septem supplicationes indixit. Deo quippe victoriam istam ac-

ceptam ferebat, & ut omnium ore celebraretur, volebat. Heut.

Idem cum Saxonum, aliorumque ingentes copias, exigua manu fudisset, de pugnæ eventu ad summum sacrorum Principem ita scripsit; *Veni, Vidi, Christus Vicit.* Ita non sibi, sed Deo, victoriæ gloriam adscribebat.

Ex Zelandia in Hispaniam vela faciens, ubi Laredium in Biscaia portum attigit, terram inclinatis genibus osculatus est, actisque pro felici itinere cœlesti Numini gratiis, eidem corpus suum, tanquam alteri matri, commendavit. Tum auream pendentis in cruce Christi effigiem proferens, *Te duce*, inquit, *ô Christe, toties cum hoste feliciter conflixi, tot victorias triumphosque reportavi, nomen mihi famamque comparavi, quicquid inde decoris, quicquid gloriæ, tibi, qui tribuisti, acceptum refero. Et quoniam corpori meo hanc terram post fata sedem elegi, tu animæ felicem exitum concede, ac totam tibi auctor ipse vendica.* Hæc Caroli pietas fuit.

§. IV. *De Ferdinando I. Imp.*

Ferdinandus I. Caroli frater, & post illum Imperator, cum pæne assiduas Divinæ majestati preces funderet, tum quotidie

tidie ferventissimis votis eidem Ecclesiæ & imperii incolumitatem salutemque commendabat. Ex paneg. Adeo etiam, cùm in extremo morbo instare sibi mortem videret, anxio solicitoque animo id agebat, num distractis in Germania Ecclesiis adferre concordiam posset.

§. V. *De Ferdinando II. Imp.*

Ferdinando II. Cæsari, de tot hostibus triumphum & imperium pietas dedit. Vincebat quippe, in tot ducibus pugnantibus Deus, sed Ferdinandus Dei favorem suis precibus conciliabat: modus & ordo tantæ pietatis hic fuit: Experrectus è somno, diem à sanctissimæ Trinitatis adoratione auspicabatur, hancque precatiunculæ formulam subjungebat: ***Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.***

Isti alias addebat, nunc brachia expandendo, nunc terram osculo tangendo. Duobus deinde sacerdotibus ad aras ordine operantibus, summa pietate aderat, ac fine rei divinę imposito, Lauretanę virginis laudes (quas litanias vocant) aut præeunte sacerdote, aut musicum inter concentum, recitabat. Scrib. in Pol.

In-

Interdiu regnorum & imperii negotiis curas impendebat, nunquam tamen pietatis oblitus. Nam ſubinde hominum oculis ſeſe ſubducebat, ut cum Deo ageret, etiam inter venandum plerumque. Enimverò idem illi diei auſpicium, & finis. Nunquam enim ad quietem aliter ſe adulta nocte componebat, quàm diſcuſſa priùs conſcientia totum ſe penitus introſpexiſſet, ſingulaque propemodum elapſi diei momenta percurriſſet: Sic mori ſemper paratus erat, & in lectum, tanquam ſepulchrum, deſcendebat. Guil. Lam.

Nullum illi in divinis officiis, aut ſupplicationibus publicis longum tempus; intererat libenter, & eo vultu, ut ad pietatem populum excitaret. Volebat quidam inter ſacra ſermonem cum eo miſcere; *Sile*, inquit, *ne ſcandalo ſimus*. Cùm publicè inſigni aliquo facinore pietatem teſtaretur, omnium vox erat; *Hodie Ferdinandus, hoſtium aliquot millia profligavit*.

Cæterùm quanta ejus pietas, tanta in Deum fiducia. Efflagitabat cœleſte auxilium, & impetrabat. Unde cum quorundam litteris, Regem Angliæ, bellum in eum meditari, admoneretur, *Meditetur*, inquit, *Deus in Cælo eſt*. Aliàs de multorum Regum & Principum percuſſo adverſus ſe fœdere, certior factus, *Ut ſal aqua*, inquit,

quit, *ita istorum conspiratio divino patrocinio dissolvetur.*

Posteaquam ad ejus aures, Fritlandiæ ducis facinus, perlatum fuit, ad Deum confugit, dissimulata causa, preces indixit, votum fecit. Quid deinde? hæsit in pœnis conjurator & occidit, qui Austriacæ gentis occasum quærebat.

§. VI. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

Philippus II Hispaniæ Rex, ut majestate, ita pietate magnus, nullum unquam tanti momenti negotium habuit, quod ipsum ab incepto pietatis officio avocaret. Cum in Escuriali palatio pietati vacaret, nullam, etiam principibus, sui copiam faciebat. Salutis suæ negotium, sollicitis mundi curis anteferebat. Si, quando discutiendæ conscientiæ suæ operam dabat, inopinata de bellis, aut Regnorum administratione, difficultas exoriretur, in aliud illam tempus rejiciebat, ne Regna, quàm animæ momenta, pluris æstimare videretur. Cerv.

Impulit eum pietas, ut à Carolo IX. Francorum Rege, D. Eugenii corpus, per legatos postularet, quòd is, in Hispania Antistes aliquando Toletanus fuisset. Eadem animum ejus permovit, ut occupato

pato D. Quintini, in Franciâ Fano, publico edicto caveret, ne quis ſacris Divorum ædibus, ſacerdotibus, religioſis hominibus, ac ſenibus, vim ullam inferret, utque glorioſi Martyris Quintini ſingulari in honore pretioque lipſana conſervarentur.

§. VII. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Albertus Pius, Belgarum princeps, à pietate cognomen accepit, quòd hæc inter ejus ornamenta virtus emineret. Dignus ſanè nomine tam glorioſo. Horas quotidie duas, manè unam, veſperi alteram, genibus incumbens, precibus, diviniſque contemplationibus impendebat. Canonicas ſacerdotum preces legebat; ſacrificio intereſſe nullo unquam die negligebat.

Ad ſacram Synaxin ita frequenter accedebat, ut vitam ſuam divina illa menſa ſuſtentare crederetur. Erat ipſe velut quidam in terris Divus; ejus aula velut Templum, nec meliùs componi religioſa domus potuiſſet. Hæc omnium eſt confeſſio. Scrib. & alii in Fun. orat.

Nihil in eo luxui, nihil inſolentiæ, nihil levitati permiſſum; omnia caſtitatem, Religionem, ſanctitatem ſpirabant. Peregrinationes ad loca ſanctiſſima, potiſſimùm ad divam.

divam Hallensem, & Sichemiensem in Belgio, frequentissimè suscipiebat. Imò gloriosum sibi futurum arbitrabatur, si in suscepta ad Deiparam virginem peregrinatione, moreretur. Conscriptum in ejus honorem, ut vocant, officium quotidie legebat.

§. VIII. *De Alberto IV. Archid. Austriæ.*

Albertus IV. Archidux Austriæ, etiam ad visenda sacra Palestinæ loca, vestigiis aliquando Christi pressa, tanto pietatis ardore quondam exarsit, ut deduci à proposito, nullius unquam auctoritate potuerit. Dissuadebat mater Beatrix, item proceres, & pericula ostendebant. Ille obfirmato animo, rebusque omnibus constitutis Venetas proficiscitur, ubi à senatu honorificè exceptus, totam urbis magnificentiam perlustravit.

Unde mari se committens, felici in Syriam navigatione pervenit. Cum terram attigisset, nemini quis ipse esset, aperuit, donec visitatis sacris ex ordine locis, acceptaque Equestri dignitate, navem rursus ingressus, explicari Austrii principatus insignia jussit, ac tubis cani. Sospes demum nullo affectus incommodo, ad suos domum reversus, omnium lætitia plausuque excipitur. De Roo.

C A-

CAPUT IV.

De cultu sacrosanctæ Eucharistiæ, Principum Austriacorum.

AUstriacæ potentiæ principium & incrementum, sacrosanctæ Eucharistiæ cultus est. Idcirco enim majori terrarum orbis parti, Austriaci Principes imperant, quia erga istud adorandum angelis hominibusque Sacramentum tam reverentes sunt, tam pii. Fidem cœlum fecit, & oracula.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Rudolphus I. nondum Cæsar, sed comes tantùm Hapspurgensis, & modicæ fortunæ, die quodam cum paucis equis, venatum ierat, cœlum pluvium & inserenum erat, viæ sordidæ & fractæ. Fortè Parochus tum ægro cuidam sacrosanctam Eucharistiam, tanquam morituro viaticum, pedes deferebat, & ecce Rudolpho occurrit. Is aspectu Parochi subito percussus, & equo desiliens, *Me vehi*, inquit, *& te qui Salvatorem meum portas, pedibus incedere? Indecorum vel impium sit; cape hunc equum, & conscende.*

Con-

Conſcendit Parochus, ſubſequitur capite nudato Rudolphus, & ad ipſas ægri ædes deducit; ab iiſdem mox eodem habitu reducit, equumque ſacerdoti donat. Sacerdos officio admonitus, & mente procul dubio à Deo mota, comiti abeunti bene precatus eſt, ac ſimul ipſi poſteriſque imperium prædixit. Lipſ. l. 1. Mon. c. 4.

Sunt qui ad Suericam vatem prædictionem hanc referunt. Ut ut ſit, illuſtris & omni pietate inſignis, Auſtriaca gens, hæreditarium inde à conditore ſuo Euchariſtiæ cultum accepit, & modò Chriſtianum orbem maxima parte moderatur.

§. II. *De Maximiliano I. Imp.*

Maximilianus I. Cæſar, adhuc juvenis, dum fortè feras audaciùs inſectatur, in altiſſimam rupem evaſit, unde nec referre pedem, nec ulterius progredi, niſi in præcipitium, poſſet. Quid ageret? Stabat in abrupto loco attonitus, temeritatem ſuam culpabat, nec aliter, quàm longa diræ famis tabe, moriendum ſibi eſſe putabat. Quippe nec funes aliave inſtrumenta, quibus extraheretur, protendi ad ipſum poterant, nec ſemita ulla lapicidarum labore, etiam menſtruo, parari.

Comites miniſtrique, conſilii prorſus inopes,

inopes, dominum suum, sed à longè, & non sine lachrymis, prospectabant, juvare non poterant. Elapso biduo, Princeps cum nullam salutis spem videret, abjecta mortalis vitæ cupiditate, qua ratione tutiùs ad cœlestem gloriam transiret, cœpit cogitare. Igitur magna voce suos advocat, & ut sacerdotes, è loco viciniore, sacrosanctam Christi corporis Eucharistiam quamprimum adferrent, sibique monstrarent, jubet. Satisfactum tam pio Principis desiderio diligentissimè.

Sed interea fama tam acerbi casus divulgata, ingens per totam provinciam luctus exoritur. Augusti parentes inprimis, Principes, senatores, universi ordines, sortem infelicem deplorant, fit concursus ad templa, vota publicè nuncupantur, supplex ad aras populus procumbit, omnes Divini numinis iram deprecantur.

Et certè immortalis Dei iram votis precibusque flecti, miraculo tum enituit; nam cum Maximilianus in scopulo, semet immortalitatis, & Dei Servatoris sui contemplatione occuparet, audit non procul à se strepitum, circumspiciensque videt arreptare per rupis latera juvenem habitu rusticum, dimovere ingentia saxa, & collem parare. Qui cum ad ipsum accef-

acceſſiſſet, porrecta dextera, *Macte*, inquit, *animo, virtuteque tua, Princeps, vivit & adeſt, qui te ſervare poteſt. Depone metum, & me ſequere, actutum te in loca tutiora traducam.*

Nec mora, deterſo animi angore, ducem illum ſequitur Princeps, & in patentiore via poſitus deſcendit, nec ſui liberatoris induſtriam mirari ſatis poteſt. Fit ad eum concurſus comitum, nobilium, ac miniſtrorum, ubi inter gratulantium turbas ducem amiſit. Luctu in gaudium converſo, ipſe equo exceptus, à ſuis domum reducitur.

Poſtero die, cùm læti patris edicto, dux ille ubique quæreretur, creditum vulgò eſt, angelum cuſtodem à Deo miſſum fuiſſe. Maximilianus autem ad rei memoriam, in illo periculi ſui loco, Chriſti è cruce pendentis effigiem poni, ſemitamque muniri juſſit. Ut nimirum peregrinantes, divinum auxilium ubique in periculis paratum eſſe, admonerentur. Steph. pigh. in Herc. prod.

§. III. *De Carolo V. Imp.*

Carolus V. Imp. Cùm anno ſupra M. CCCCC. trigeſimo, pridie diei, Auguſtiſſimo huic Sacramento ſacri, comitantibus Ferdin. fratre, & imperii proceribus, Augu-

Augustam Vindelicorum appulisset, publicæ supplicationi, (ut aliàs semper) postero die interesse, vel idcirco desideravit, ut Principes Martino Luthero tum adhærentes, suo exemplo permoveret, aut certè confunderet. Nunquam visa pompa major, & ea ex Cæsaris edicto.

Moguntinus Archi-Episcopus sacris illo die operatus, sub umbella Eucharistiam portabat, cujus dextrum latus Ferdinandus Rex, sinistrum Joachimus, Marchio Brandenburgensis, tegebat. Cæsar simplici, è nigro holoserico, veste amictus, & ardentem manu tædam gerens, ponè solus præcedebat. Principes deinde omnes, pari cum facibus modo, tum ingens populi multitudo.

Præcedebat sacer ordo, Symphoniacique, & post, Cæsaris, Principumque nobiles, domestici, cum cereis ardentibus omnes. Fervebat pietate urbs tota, & tanti Imperatoris exemplo, divini istius Sacramenti cultus, in omnium animis cum amore crescebat. Heut. & Hist. Germ.

§. IV. *De Ferdinando II. Imp.*

Ferdinandus II. Imp. nulli mortalium, in hoc sacrosanctæ Eucharistiæ cultu cessit. Supplicationibus intererat omnibus, pedes,

pedes, nudo capite, interdum floreo redimitus ſerto, facem dextra gerens. Nec aliter quàm triumphanti Chriſto, famulari ſe credebat. Quodam tempore cùm diutiùs facem geſtaſſet, manus illi & brachium intumuerat. Die altero cum iterum intereſſe ſupplicationi vellet, etſi brachium faſcia è collo dependente ſuſtentaret, procerum quidam, *Cæſar*, inquit, *hodie à face gerenda ceſſandum eſt*; cui ille, *ſupereſt*, ait, *manus adhuc altera, qua Deo ſerviam.*

Quoties turbulentiſſimo bellorum tempore adverſa aliqua, periculaque ingruebant, publicum Euchariſtiæ cultum indicebat, ac coram ea, ut præſens Divini numinis auxilium impetraret, ſeſe abjiciebat. Si quiſpiam ſacerdotum, cum eadem fortè pertranſiret, è curru vel equo deſiliens, lutulenta etiam in humo, Deum adoraturus, genua figebat, ac plerumque quocunque euntem proſequebatur.

Cum ad indicta Ratisbonæ comitia proficiſceretur, Laureaci & Lincii (quæ Auſtriæ ſuperioris oppida ſunt) ut ab anniverſariis Euchariſtiæ ſupplicationibus non abeſſet, ſubſiſtit. Ibi verò contemplatus ingentem hominum multitudinem, quæ eò pietatis cauſa confluxerat, inuſitatâ perfuſus lætitiâ, *Hoc*, inquit, *gaudiorum omnium maximum mihi eſt, quod ante obitum meum,*

meum, iis in locis Eucharistiam coli videam, in quibus impii paulò antè homines, sacrilega in eam lingua debachabantur. Tua ista gloria est, Ferdinande Auguste, quòd solo tam augusti Sacramenti aspectu, vel ejusdem sumptione vivere videaris.

§. V. *De Ferdinando III. Imp.*

Ferdinandus III. Gloriosissimus quondam Cæsar, nunquam, ne in castris quidem, & inter armatas legiones publicum Eucharistiæ cultum omisit. Idcirco cùm arctissima Ratisbonam obsidione, eo tempore cingeret, quo Ecclesia Sacramenti hujus cultui octiduum impendit, supplicationes in castris suis Christiano peragi ritu imperavit. Comitabatur ipse singulari pietatis exemplo, quem tribuni, centuriones, milites armati, clangentibus tubis, buccinisque, & resonantibus tympanis, diffusa latè ardentium facium luce, sequebantur. Accedebat ingens machinarum æncarum, velut in triumpho, fragor, quo omnia circumquaque perstrepebant. Vicit urbem piissimus Imperator, & victoriam istam tantæ pietati debitam, cœlum indulsit. Ex Mem. temp.

§. VI. *De*

§. VI. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

Philippus II. Hispaniarum Rex, cum Cordubæ in Hispaniam, eo anni tempore ageret, quo Christi corpus, anniversario ritu circumfertur, dies erat æstivus, & fervens, sed ipse comitatus, detecto capite, solis ardorem, Austriaca pietate superabat.

Et quidem, cùm è Dynastis unus, Regiæ salutis anxius, moneret, ut majestas sua æstum vitaret; Respondit piissimus Rex: *Illo die sol aut lædere, aut offendere quenquam non potest.*

§. VII. *De Philippo IV. Hisp. Rege.*

Philippus IV. Hispaniarum hodie monarcha, avum suum illum, & majores omnes Austriacos imitatus, nihil gloriosius sibi existimavit, quàm si augustissimum hoc Sacramentũ omni honore prosequeretur. Unde cùm intellexisset, illud à Francis & Batavis in urbis Tenensis, excidio pedibus conculcatum, & turpissimo ludibrio affectum esse; *Ego*, inquit, *sacrosanctum Salvatoris nostri corpus sublimiùs extollam, quàm impii hostes nostri depresserunt.*

Mox tota Hispania supplicationes indixit, quibus tanta, quanta fieri pompa

possset, populo comitante & applaudente universo, sacrosancta Eucharistia circumferretur. Satisfactum Regis desiderio, & mandato fuit.

§. VIII. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Albertus Pius, Belgarum Princeps, suo & Isabellæ conjugis exemplo, sanctissimi Sacramenti cultum toto Belgio asseruit. Nunquam ille, nec hæc, abfuit, cum Bruxellæ, in urbe Regia, maximo vicinarum urbium confluxu, miraculis clara ibidem Hostia, solemni sacri ordinis pompa, comitantibus proceribus, & singularum curiarum senatoribus, circumfertur. Orat. fun.

Quoties verò, piissimus verè Princeps, ex equo desiliit? quoties è Rheda prosiliit, ut sacerdotes sacram Eucharistiam portantes, ipse pedes sequeretur? testes sunt, quicunque Bruxellæ.

§. IX. *De Isabella Austriaca, Regina Franciæ.*

Isabella Austriaca, hodie Franciæ Regina, vidua, quondam Ludovici XIII. conjux, Philippi IV. moderni Regis Hispaniarum, Germana soror, ac mater Christianis-

ſtianiſſimi Galliarum Regis hodierni, ægra quanquam eſſet aliquando, ne tamen, tranſeunte per vicos Regiæ urbis, Euchariſtiâ, parum decorè ſederet, deponi ſe ex vehiculo curavit, & adoravit. Viderunt Pariſienſes, laudaverunt, & Reginæ ſuæ exemplo ad cultum iſtum inflammati ſunt. Franc. Hiſt.

§. X. *De Ferdinando Auſtriaco, Infante Hiſp.*

Ferdinandus Auſtriacus, infans Hiſpaniarum, & ſuo tempore Burgundiæ, & Belgii Pro-Rex, quem accepit à majoribus ſuis Euchariſtiæ cultum, exemplo ſuo propagavit, & confirmavit. Si in expeditionibus bellicis fuerit, (quemadmodum adverſus Francos, Batavoſque, æſtivo tempore ſemper fuit) celeribus equis, ac cum paucis in urbem Regiam, de caſtris feſtinavit, ut ſupplicationibus in honorem Euchariſtiæ, quotannis Bruxellæ indictis, intereſſet. His peractis, & iſto pietatis exemplo populis relicto, ad Arma caſtraque, eadem celeritate revertitur. Hæc tempora noſtra viderunt & teſtantur. Mirum quantum iſta pietas Belgas in amorem ejus & admirationem excitavit.

Sed & nonnunquam, cùm ſacerdotem

ad infimæ sortis hominem, tunc ægrum, cum sanctissimo Sacramento properantem vidisset, è Rheda confestim descendit, raptaque è vicina domo face, & nobilibus idem facere jussis, magna animi submissione comitatus est. Cùm autem ægri conditionem admodum tenuem intellexisset, ejus paupertatem insigni liberalitate recreavit, erexitque. Favebit, qui favit hactenus, magnus Deus.

CAPUT V.

De fiducia Principum Austriacorum, in Christi Crucem.

QUasi dictum Austriacis Principibus esset, quod olim Constantino Magno, *In hoc signo vinces*, ita singulari in Christi Servatoris crucem fiducia, semper fuêre. Neque sanè frustra. Cùm enim crucem hanc præferri sibi ad pugnam ituris voluerunt, in ejus signo sæpe vicerunt, & de suis hostibus triumpharunt. Illam sine præsenti auxilio nunquam coluerunt.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Rudolphus I. Imp. hunc Crucis victricis cultum, posteris suis reliquit; Quippe pugnaturus adversus Ottocarum, Bohemiæ Regem,

Regem, Christi Servatoris effigiem, præferri sibi in acie, per Albertum Habspurgensem, curavit, moxque victor è prælio discessit. De Roo. Imò quotiescunque miscere manus cum hoste debebat, si integrum esset, Veneris diem, seu feriam sextam, sanctissimæ crucis cultui dicatam, semper expectabat. Aliquando sacram cruci ædem, si victoria Dei beneficio potiretur, vovit. Potitus est, & votum persolvit.

§. II. *De Carolo V. Imp.*

Carolus V. Imp. in eo prælio, quo ad Albim Saxoniæ ducem profligavit, cùm Christi in cruce affixi imaginem, ab impio milite plumbea trajectam glande, idque recenter animadvertisset, stetit primùm & ingemuit; tum elata ad Deum voce, *Domine*, inquit, *si injuriam hanc ulcisci vis, potes. Ecce autem me vindicem tuum paratum, juva.* Audivit cœleste Numen; nam secuta paulò post, cum hostium internecione, victoria fuit. Lips. l. 1.

Idem Cæsar, in expeditione Tunetana, de Polemarcho sollicitus, cum idoneum reperiret neminem, vexillum, Christi in cruce pendentis imagine insignitum, in altum sustulit, &, *Hic*, inquit, *Dux noster erit, Rex Regum, Deus exercituum.* Ægid. Corof. aliique.

Eodem in bello, Andrea Auria ad classem relicto, ipse armis tectus, Hispanico insidens equo, ferreumque manu clavum gerens, peditum ordines, verbis vultusque serenitate animabat; tum ad equitum aciem rediens, ante crucis imaginem solus equitabat. Ejus classis, cui Andream Auriam præfecerat, vexilla duo præferebat, unum, in quo Christi cruci affixi imago, tanto artificio elaborata erat, ut spectantium animos ad commiserationem permoveret; alterum, in quo aquila biceps, scutum cum Cæsaris insignibus protendebat. Heut. l. 11.

§. III. *De Ferdinando II. Imp.*

Ferdinandus II. Imp. suam in crucis signo spem ponebat. Cum Henricus Mathæus, comes Turrianus, Viennæ ad muros, rebellium Bohemorum exercitum admovisset, nec pauci in urbe illi faverent, conjurationis ejusdem socii, ante Christi crucem Cæsar prostratus, Cæsar auxilium efflagitavit. Adfuit mox auxilium, periculum discussum, hostes fugati, boni recreati. Lamorm. Quid si dicam, Christum è cruce Ferdinando locutum? Asserunt multi; sua ipse modestia subticuit.

Illa verò celeberrima ad Pragam victoria, qua Bohemiam, prostrato Ferdinandi

Palatini

Palatini exercitu, Ferdinandus Cæſar recepit, auſpiciis ſanctiſſimæ crucis parta ſanè fuit. Summus enim Cæſarei exercitus præfectus, Carolus comes Buquoius militaribus appingi ſignis curarat, una in parte Chriſti effigiem, cum hac inſcriptione, *Exurge Domine, & judica cauſam tuam*; in altera, Deiparæ virginis imaginem, cum his verbis, *Monſtra te eſſe matrem*.

Præterquam, quòd cùm Cæſariani dato pugnæ ſigno, in rebellium agmen irruerent, prælata illis per Religioſum notæ ſanctitatis virum, Carmelitam, crux fuerit, ut ab ea victoriæ auſpicium ſumerent. Sumpſerunt; Vicerunt; Triumpharunt.

Imò Pragæ, in monte maximo, erecta ingentis magnitudinis crux erat, quam intactam Palatini aſſeclæ, cùm ſacras ædes, & Divorum ſtatuas demolirentur, veriti plebis tumultum, reliquerant. Et hæc victoriæ omen etiam fuit, juxta quam capere iter, cùm fugeret Palatinus, debuit, etſi illac nunquam ſe tranſiturum ipſe, conjuxque juraviſſent. Tanto in crucem odio ferebatur; ſed ejus vim, turpiſſimè fugiendo, ſenſit. Hiſt. Boh. & quæ diximus. p. 2. c. XLIII.

§. IV. *De Philippo II. Hiſp. Rege.*

Philippus II. Hiſpaniarum Monarcha,

R 4 quem-

quemadmodum tota vita, ita in morte spem omnem fiduciamque in cruce fixit. Quippe crucem unam à Carolo Cæsare, parente suo, acceptam, gestare, animam mox efflaturus voluit; eandem postea Philippo filio tradi. Aliam verò, cum qua sepeliretur, suspendi è collo suo desideravit. *Felicem sibi ex hac vita excessum, Piissimus Rex, futurum judicavit, si cum cruce moreretur, & cum cruce in tumulum deponeretur.* Cerv. de Phil. II.

§. V. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Albertus Pius, memor salutis in cruce partæ, singulari eam cultu prosequebatur. Illam Piorum equidem hominum, sed Christianorum maximè Principum, signum esse dicebat. Utpote qui sub illo salutari signo timere nihil possent, sperare omnia deberent. Cùm esset Coloniæ Agrippinæ institutum Apostolica auctoritate, in ejus honorem sodalitium, ei nomen quamprimum dedit, pluresque suo exemplo principes attraxit.

Et cum sodalitii istius finis sit, ut ad Religionem Catholicam adducti, aut post errorem reducti, juventur, ne paupertas à fide suscepta quenquam deterreat, sæpius ingentem pecuniæ vim, Coloniam transmisit,

sit, ut hoc tam sancto munere fungi sodalitium istud, defungique posset. Orat. fun.

CAPUT VI.

De Reverentia Principum Austriacorum, erga Ecclesiam, & Ecclesiasticos viros.

ECclesiam, Ecclesiæ caput, & sacrum sacerdotum ordinem Austriaci Principes amarunt semper, & coluerunt. Quippe Divinum in iis numen honoratur, ac potissimùm, si ordini vitæ sanctitas adjungatur. Quanquam plus ordini, sacrorumque titulo, quàm homini aut personæ debetur. Dominos aut patres appellare consuetum illis, benevolum etiam animum ostendere, ac si opus, juvare.

Sed inprimis summum Ecclesiæ caput, Romanum Pontificem, tanquam Principem omnium, & Christianæ Reipublicæ Parentem venerati sunt, atque ejus dicta, non aliter, quàm Oracula acceperunt, obedientiam tanquã Patri voverunt, sedis Apostolicæ dignitatem, viribus omnibus defenderunt, nec ullus unquam Ecclesiæ hostis fuit, quem non ipsi suũ hostem judicarunt. Credunt enim supremam in Regnis suis potestatem, non tantùm ad hominum regimen, sed maximè ad Ecclesiæ subsidium

ſibi eſſe collatam. Et verò etiam ſe Religionis & Eccleſiæ protectores eſſe certò ſciunt.

§. I. *De Carolo* V. *Imp.*

Quem prius hic, quàm Carolum V. Imp. producam? Ab eo cum ſectarii quidam, divinum verbum promulgandi poteſtatem dari ſibi efflagitarent, animo verè Regio, Chriſtianoque reſpondit: *Non meum eſt de puritate divini verbi cognoſcere; Epiſcoporum hoc munus eſt, quorum judicio ego me etiam libens ſubmitto, & juriſdictionem in omnibus ſalvam eſſe volo.* Verè, & piè. Sur. ad ann. 1548.

Cùm poſt captum ad Papiam Franciſcum I. Galliæ Regem, quidam Italiæ Principes, rupto fœdere ad arma proſiliiſſent, hujus autem facti invidiam ad Clementem VII. Romanum Pontificem Franci derivarent, Cæſareani duces, tranſlato in Latium bello, Romam orbis caput, ut rupti fœderis authorem, ad æquitatem reducerent, obſederunt, intraque horas ſeptem expugnarunt. Urbe capta, Pontifex cum Purpuratis Patribus & Epiſcopis aliquot, ad D. Adriani molem (quam Angeli Caſtellum vocant) profugit. Sed mox, à Philiberto Arauſionenſium Principe circumſeſſus, deditionem cum ſuis fecit, ſeque nihil

nihil amplius adversus Cæsarem moliturum promisit.

Quod cùm Carolus, in Hispania tum degens, intellexisset, nullum lætitiæ signum, aut publicè aut privatim ostendit; verùm ut libertatem Pontifex consequeretur, quadraginta dierum supplicationes indixit, utque quàm honestissimis pro Pontifice conditionibus ab armis discederetur, mandavit: Eo enim absente bellum hoc citiùs gestum confectumque fuerat, quàm ipse inceptum audivisset; unde fiebat, ut propter hanc Pontificis calamitatem gravissimo dolore percelleretur.

Eum quippe vehementer amabat, & studiosè colebat. Impetrata proinde à Cæsare libertas quamprimum restituta Pontifici fuit; & hic aliquot annis post, imperiali diademate Carolum Bononiæ coronavit. Zenoch. l. 1.

§. II. *De Ferdinando II. Imp.*

Admirabitur Ferdinandum II. posteritas, cujus tanta in sacrum ordinem reverentia fuit, ut aliquando diceret; *Si mihi cum angelo sacerdos occurreret, sacerdotem primò, tum angelum salutarem honoraremque.* Lamorl. Non id equidem evenit; quotiescunque tamen obvius illi sacerdos fiebat, pileo capiti detracto salutabat: si accederet, loquique

 vellet,

vellet, Germanorum more Principum, dexteram porrigebat; at osculum insigi nequaquam permittebat.

Nullo non die certas statasque preces, pro universo Ecclesiasticorum ordine cœlesti Numini offerebat; potissimum verò pro summo Ecclesiæ Pontifice, in quo vicariam Christi auctoritatem magna submissione venerabatur. Imò summi momenti controversias, ejus unius arbitrio decidendas, componendasque, libenter relinquebat. Atque idcirco Cleselium Cardinalem Romam abire passus, ejus auctoritati commisit, nihil Ecclesiastico ordini detrahi permisit, & liberiores in eum linguas sæpe compescuit.

§. III. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

Pari animo Philippus II. Hispaniæ Rex fuit. Cùm orta contentio de primo considendi loco, inter legatos Hispaniæ & Galliæ Regum esset, eaque de causa verendum esset, ne Ecclesiæ concilium aut dirimeretur, aut quod Galli optabant, differretur, Philippus legato suo Claudio Quinnones, comiti Lunensi, scripsit: *Quod si hac de causa occasioneque, concilii progressus, & Religionis Catholicæ defensio incrementumque, pati damnum potest, malo cuivis è plebe homini abjectissimo postponi, quàm ut Ecclesia, ejusque Religio detrimentum aliquod*

aliquod patiatur. Magni Regis magna profectò ſubmiſſio. Her. in Phil. II. l. 5. c. 2.

Talis cum eſſet Philippus, poſteaquam ejus mortem Clemens VIII. Pontifex intellexit, orationem in Cardinalium conſeſſu habuit, qua inter alia declaravit, Philippum Regem, in expellendis ab Eccleſia hæreticis, plus multò expendiſſe, quàm omnes ſimul Reipublicæ Chriſtianæ Reges Principeſque. In ejus vita Eccleſiæ incolumitatem ſitam fuiſſe, nec aliud ſupereſſe ſolatium, in tanta univerſorum jactura, quàm quòd ejus effigies in Philippo III. ſucceſſore appareret. Cerv. de Phil. II.

§. IV. *De Philippo III. Hiſp. Rege.*

Neque ſanè Philippus III. aliter in Hiſpania, quàm pro Eccleſia, voluit regnare. Quippe Regnum poſt Philippi II. Patris mortem adeptus, totum ſe quamprimum Clementi VIII. Eccleſiæque per legatos obtulit, ac ſuas illi opes devovit. Adeo ſe Regem non exiſtimabat, niſi pro Eccleſia Rex eſſet. Ut fauſtum fortunatumque ejus eſſet imperium, felicem Apoſtolicæ ſedis apprecationem, & jubilæi indulgentias poſtulavit. Nimirum ut ſubditi omnes Catholici patris Spiritum à Deo illi impetrarent.

CAPUT VII.

De pietate Principum Austriacorum, erga parentes, fratres, cognatos, & præceptores.

UT sanguis unus, ita unus amor Principes Austriacos ligat. Hoc vinculum parentes & filios, fratres inter se, & cognatos, & affines constringit. Pietate consanguinitatem & cognationem testantur. Plures sunt, sed pietas amorque quasi unum facit, non diversos. Et quia præceptores, velut alteros melioris vitæ parentes habent, iis, quod parentibus debent, exhibent, juvant, promovent. Natura conjuncti sunt, non commodo. Rectè quispiam dixerit, unicum hominem, hanc Augustam familiam videri. Fidem exempla facient.

§. I. *De Friderico III. Imp.*

Nemo facilè æstimavit, quanta pietate Fridericus III. Imp. Maximilianum filium fuerit prosecutus. Paterna equidem fuit, sed planè admiranda. Ubi illum à Brugensibus captum, & in custodia non tantùm detineri, sed in vitæ discrimine versari in-

intellexit, cum nonnullis imperii Principibus, & triginta duorum millium exercitu, in Flandriam movit. Gandavum obsedit, nec priùs ab armis destitit, quàm filium iniquè à Brugensibus detentum, libertati & sibi restituit, inque ipsos conspirationis ipsius authores, severè animadvertit.

Imperium amittere, quàm filium, maluisset; imò vitam, quam filio dederat, sua morte redimere paratus erat. De Roo. Heut. & alii.

§. II. *De Maximiliano I. Imp.*

Eadem pietas, viribus suis, Maximilianum I. Imp. in Fridericum III. parentem inflammavit. Nemo teneriùs patrem amavit, nemo promptiùs obtemperavit. Ab ejus vultu, quamdiu vixit, dependebat, & nutus, ne quid omitteret, observabat. Ubi ille cum imperio vitam deposuit, sepulchrum, quod imperfectum reliquerat, summa cura perfici curavit, nec pauciora in illud, quàm triginta aureorum millia erogavit. Exstare hoc pignus sui in parentem amoris voluit, ut non minùs mortuum amavisse, quàm vivum videretur. Iidem.

§. III. *De*

§. III. *De Carolo V. Imp.*

Excessisse propemodum videri potest fraternam charitatem Carolus V. Imp. Erat illi unicus, sed delectissimus frater Ferdinandus I. postea etiam Rom. Cæsar. Huic totam, quam adire poterat, Maximiliani avi hæreditatem reliquit. Nec hoc satis. Regem illum Rom. ex Principum Electorum voluntate designavit, hoc est, in imperio successorem.

Ampliùs, ut Hungariæ Bohemiæque regna consequeretur, non author tantùm, sed adjutor etiam fuit. Ubi verò abdicare se imperio, Regnisque omnibus voluit, obstupescenda liberalitate, imperium eidem fratri suo Ferdinando resignavit, Electores contulerunt. Nemo tantum unquam fratri amorem testatus est. Zenoc. & alii.

Idem Carolus, primæ ætatis suæ instructorem habuit, Adrianum Florentium, ingenio, virtute, doctrina virum planè eximium, sed quem ipse tanquam parentem alterum observavit. Quantum autem illi deberet, singulari gratitudine ostendit. Insula Dertrudensis Episcopatus eum donavit.

In Hispania summum præfectum, & ad-

administratorem sibi substituit; tantum ejus fidei & prudentiæ confidebat. Ut deinde in Purpuratorum Patrum, seu Cardinalium collegium, Romæ cooptaretur, egit; ac demum, ut ad summum in Ecclesia Pontificatum, sacri collegii consentientibus calculis eveheretur, sua commendatione effecit. In cujus electione nemo non singularem Divini numinis providentiam observat. Math. Tymp.

§. IV. *De Ferdinando II. Imp.*

Aut nullibi, aut in pectore Ferdinandi II. Imp. sedem pietas fixit. Nemo illo reverentior in patrem, in matrem, in suos omnes. Et quidem ne in parentis Caroli Archiducis honorem, peccare aliquo modo videretur, constitutum ab illo deliberandi modum accuratissimè semper servavit. Nec ut quicquam in eo mutaret, adduci à senatoribus suis potuit.

Quicquid ille extremæ voluntatis tabulis mandarat, non executus tantùm fuit, sed suo quoque insertum testamento voluit, & filiis hæredibusque mandari. Documenta nimirum Romanæ Religionis conservandæ, & Reipublicæ administrandæ.

In matrem charitate omnes superavit, charitatem obsequiis ostendit. Illam non aliter,

aliter, quàm *clementissimam Dominam Matrem* appellabat. Si ab ea compellaretur, flexo poplite vocem ejus excipiebat. Nec hunc morem ulli postea honores, quos adiit, mutarunt, nec ætas adultior; ei in Rhedam ascensuræ brachium unum commodabat, ut inniteretur, descensuram utroque sustinebat. Imò desiliebat ex equo semper, ut aut Rhedam aperiret, aut quo vellet, sustentando deduceret. Summum nefas existimasset, non illico matris nutui acquiescere. Lamor.

Conjuges duas habuit, & tenerrimè amavit. Priori è vita sublatæ, quotidie per sacerdotum sacrificia parentavit, quamdiu vixit. Superstitem Eleonoram triplici, Hungariæ, Bohemiæ, & Imperii corona exornavit, & cum sibi ex gravissimo morbo Ratisbonæ decumbenti, præstò ipsa semper fuisset, vitam se ei debere fatebatur. Nec quicquam gratius ipsi accidebat, quàm eam à liberis suis, ut matrem coli.

De amore in filios nihil attinet dicere; eorum accurata sollicitaque ad omnem virtutem educatio, paternæ charitatis argumentum fuit. Quanquam virtutem omnem non tam ab instructoribus discebant, quàm ex parentis aspectu hauriebant.

§. V. *De*

§. V. *De Leopoldo Archid. Austriæ.*

Fraternum amorem intueri, si quis velit, inspiciat Leopoldum Archid. Austriæ, Friderici Pulchri Cæsaris fratrem. Tantum enim ille amorem fratris sui insitum animo habuit, ut nihil omiserit, quo ejus dignitatem tueretur, & salutem conservaret. Electus erat in Cæsarem Fridericus: sed & simul Ludovicus Bavarus. Cùm cedere alter alteri nollet, & biceps aquila distraheretur, Leopoldus pro fratre adversus Ludovicum aliquoties fortissimè pugnavit, ac semel etiam in fugam conjecit.

Ubi verò adversante fortuna captus Fridericus, in Bavari potestatem venit, nulla re deinceps ita affici animo potuit, ut vel minimum lætitiæ signum ostenderet. Quasi ad tristitiam perpetuò damnatus esset, ita, quamdiu vixit, pallorem vultu, animo mærorem induit, nunquam lætus, nunquam serenus. Obversabatur semper oculis, fratris adversitas, & tristi recordatione mentem pulsabat. Omnia tentavit, ut libertati fratrem restitueret; id ubi obtinuit, redire tamen cum Bavaro in gratiam nunquam voluit, & illi, donec vitam retinuit, adversatus est. De Roo, & alii.

§. VI. *De*

§. VI. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

In recessu virtutum omnium, primam habuit Philippus II. Hispaniarum Rex, erga patrem Carolum, pietatem. Illi in omnibus, etiam Rex factus, obtemperabat, & gloriosum sibi ducebat, ei subesse, qui aliis præerat; ducebat quippe majori laudi, quòd filius tanti Cæsaris esset, quàm quòd aliorum populorum Rex. Ita suam semper voluntatem patris imperio submisit, ut grande piaculum existimaret, in minimis etiam non obedivisse. Quicquid ille decrevit, pro oraculo habuit. Cerv.

Alteram pietatem Præceptori suo Joanni Martino Silecioni reservavit, cui cùm se post parentem obligatum sciret, insigni gratitudine obligationem dissolvit. Eum enim ad primam in Ecclesia Hispanica dignitatem extulit, ut qui Hispaniæ Regis animum bonis artibus instruxisset, primis in Hispania honoribus potiretur. Taceo beneficia alia, & grati animi signa. Math. l. 1.

§. VII. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Alberti Pii, Belgarum Principis mentionem facere, est semper virtutem aliquam

quam in lucem proferre. In illo certè pietas in utrumque parentem ita excelluit, ut cedere illi palmam filii omnes debeant. Nunquam caput texit, ubi parentum alter esset, nunquam eos, nisi posito in terram genu, vel audiit aliquid jubentes, vel ipse allocutus est. Sub hac disciplina crevit, qui futurus erat principum exemplar, & à prima, teneraque ætate jecit obediendo, magnitudinis suæ fundamenta. Orat. fun.

Quis amorem illum explicet, quo Isabellam conjugem suam complectebatur? Dubitare licet, an ejusmodi par conjugum viderit vetustas, nostra certè tempora non vident. Imò verò an ulla videbit ætas, parem illi pietati pietatem, quam in ornando Ferdinando II. Cæsare, patruele suo ostendit, nescio. Regna plura, plures provincias, jure hæreditario ad se spectantes, in illum transtulit. Sed quia alias retulimus, supersedeo.

CAPUT. VIII,

De justitia Principum Austriacorum.

A Regibus, Principibusque justitiæ curam inprimis flagitari, nemo dubitat. Ideo

Ideo enim constituti sunt à Deo, & mortalibus dati; nec regi Respublicæ sine justitia possunt, nec conservari. In hujus ergo sanctos recessus penetremus, ubi rationi cupiditas sese submittit, & solus æquitatis respectus religiosè versatur. Certissima, ut virtutum aliarum, ita hujus quoque exempla, Austriaci dederunt.

§. I. *De Rudolpho* I. *Imp.*

Rudolphus I. Imp. ut justitiæ studiosissimus, ita latrones prædonesque, quamdiu imperium tenuit, punivit, ex Germania expulit, eorum domos & arces funditus evertit. Inde *rigidus justitiæ administrator*, passim in Germania audiebat.

Eo imperante, quidam exstitit Pseudo-Fridericus, qui se verum Fridericum ante annos duos & viginti mortuum assereret. Obsiderat tunc Colmariam Rudolphus, qui ubi certior factus, impostorem illum, magnas sibi vires, nobiles, & urbes adjungere, soluta obsidione, prono Rheno descendit, ad illumque, quasi veterem Augustum veneraturus, accessit. Verùm cùm ab eo quæreret, quis esset, ûnde, quomodo in eum statum devenisset, hæreretque conscientia ipsa perturbatus, flam-

flammis illum adjudicavit, & in oppido Witlarid jussit concremari. De Roo.

§. II. *De Maximiliano I. Imp.*

Tam justus Maximilianus I. Imp. fuit, quàm alieni regni non cupidus. Cùm Uladislaus Hungariæ Rex, regnum sine hærede relicturus videretur, quòd sterilem reginam omnes crederent, nulla hactenus edita prole, nonnulli Regni proceres, qua largitionibus, qua perniciosis factionibus, ad sceptrum purpuramque anhelabant. Quibus, ut spem præscinderet, ambitionemque cohiberet Uladislaus, Maximilianum in Hungariam, tanquam futurum successorem accersivit.

Verùm cùm in ipso rerum motu, præter omnium expectationem, natus esset tandem filius, eum Cæsar, coram Regni proceribus hæredem agnovit, summa pietate pronunciavit, armata auctoritate constituit, confirmavitque, & mox cum exercitu ex Hungaria discessit. Georg. Saurom. orat. fun.

§. III. *De Carolo V. Imp.*

Nec minùs justitia celebris Carolus V. Cæsar, quàm armis fuit. Ita amabat justi-

tiæ

tiæ tribunalia, ut nonnunquam inter Flandriæ senatores, jus dixerit. Sæpe etiam in Zelandiam, Bataviamque profectus, ut subditis jus æquissimè administraretur, curas suas impendit. Qua de causa præsens ipse aliquoties Hagæ comitis, in senatu comparuit.

Et quidem, cùm translato in Philippum filium Belgarum imperio, Belgis valediceret, fassus est, *Non semel se in jure dicendo graviter erravisse, nisi aut rudis Adolescentiæ imperitia, aut alio humanæ imbecillitatis vitio deceptus fuisset. Hoc tamen*, inquiebat, *audeo asseverare, nunquam me volentem scientemque, subditorum cuiquam injuriam aut vim fecisse, vel fieri unquam permisisse. Quod si hac de re conqueri quispiam possit, inscio, invitoque me evenisse testor, profiteorque, ac mihi omnino displicere. Idcirco, ut mihi tum præsentes, tum absentes libenter condonent, ex animo rogo.* Heut.

Audita sæpius vox ejus fuit, *Quod si concederet Deus, ut iterum Francorum Regem captivum haberet, nihil aliud se ab illo desideraturum, quàm avorum suorum hæreditatem, Burgundiæ ducatum, summa vi ac injuria ab eo occupatum. Germanis verò antiquam libertatem aucturum fuisse, si in majorum suorum Religione constantes permansissent. Hac de causa bellum se iis movisse, & tot Principum conventus indixisse.*

IV. De

§. IV. *De Maximiliano I. Imp.*

Persuaserat sibi Maximilianus II. Imp. justitiam primum apud imperantes tenere locum debere, quòd ex Salomonis oraculo, *per justitiam solium firmetur.* Ideo Spirense, commune imperii tribunal, supremumque coluit semper, & sua auctoritate protexit. Alii erant in omnibus imperii provinciis instituti à parente ejus judicum senatus. Hos ipse confirmavit.

Voluit etiam, ut ubique essent severi, pronunciatarum à Judicibus sententiarum, executores, qui jus suum unicuique, publica auctoritate, secundum judicum decreta, redderent, utque ii magistratuum & Principum ope juvarentur, ne justitiæ fraus aliqua fieret, aut justitiam vis major impediret. Ex ejus vita.

§. V. *De Ferdinando I. Imp.*

Dicebat verò Ferdinandus I. Imp. & pro Symbolo usurpabat; *Fiat justitia, aut pereat mundus.* Fecit ipse, quamdiu imperavit & hoc modo imperium conservavit. Tribunalia non aliis tantùm committebat, sed

ipſe in judices inquirebat, & de officio reſponderi ſibi volebat. Idem.

§. VI. *De Rudolpho I. Imp.*

Facit ingenioſa Rudolphi I. Cæſar. aſtutia, ut rurſus ad eum ſtylus decurrat; aſtu enim veritatem indicaturus, deprehendit, quæ ratione probari nequaquam potuiſſent.

Erat Norimbergæ, & imperii negotiis intendebat, cum ad eum mercator quidam accedens, querelam de hoſpite detulit, apud quem bona fide ſacculum cum ducentis argenti ſelibris, ſeu marcis, depoſuerat, ille verò imprudenter negabat, & injuriosè retinebat. Cùm autem mercator, præter fidem & aſſeverationem, nihil aliud adferret, nam teſtes, ut ſolet in depoſito, defuerant, aſtu utendum Cæſar judicavit.

Aderat tum fortè hoſpes, cum primariis urbis viris, qui gratulatum advenerant; ad quem converſus Cæſar, benignèque & facilè alloquens, *Heus*, inquit, *ſcitum pileum habes, ſi placet, permutemus.* Ille pileum ſuum Cæſari donat; qui quaſi ad publicum negotium ſecedens, fidum ejuſdem oppidi civem, ad hoſpitis uxorem cum pileo mittit, ut hoc ſigno ſacculum, cujus formam antea inſtructus, deſcripſerat, ipſi traderet.

Tra-

Tradidit illa ſacculum civi, civis Cæſari; quem cùm mercator agnoviſſet, hoſpitem Cæſar vocat, ſacculum profert, oſtendit. Confunditur ille, animoque & lingua ad aſpectum labitur. Fuit ea confuſio taciturnitaſque pro confeſſione. Ignominiam proinde hoſpes recipit, & grandi pecunia à Cæſare mulctatur. Laudatus hinc omnium ore Rudolphus. Lips. in pol.

§. VII. *De Philippo II. Hiſp. Rege.*

Philippus II. Hiſpaniæ-Rex, ad majeſtatis gravitatem, juſtitiæ ſeveritatem adjunxit. Integerrima fide populis ſuis jus ſemper dixit, inviolatam legum auctoritatem ſervavit, injuriam ab oppreſſis propulſavit, opprimentes mulctavit. Planè ſub ipſo juſtitiæ Regnum erat, permittebatque judicio contra ſe certare unicuique, ſi quid à ſe repetere quiſpiam vellet. Heut. Cerv. aliique.

Unde cùm in Geldria, in ea lite, quæ illi cum Toparcha Anhaltino erat, cauſa cecidiſſet, nec exequi judicum ſententiam adverſus Regem quiſquam auderet, ipſemet quoſdam, qui exequerentur, deſignavit, & quod debebat, reſtituit. Guicc. in deſcript. Belg. Quare cùm ex hac vita diſce-

discessurus esset, & ultimum naturæ debitum soluturus, astantibus & audientibus Hispaniæ proceribus dixit, *scientem se prudentemque, nulli unquam injuriam fecisse.*

§. VIII. *De Alberto V. Archid. Austriæ.*

Justitiam Alberti V. Archid. Austriæ laudabit posteritas. Summa quippe cum æquitate jus semper dixit. Adeo religiosus justitiæ observator fuit, ut pœnam etiam minimis delictis statueret, nec cum ullis familiæ suæ ministris conniveret. Suum erga illos amorem cedere justitiæ volebat. De Roo.

Quid mirum, tranquillo rerum statu, Austriam sub illo floruisse? Latrocinia omnia, injuriasque, legum rigore, & pœnarum metu sustulit.

§. IX. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Albertus Pius, Belgarum Princeps, tam justus fuit, quàm Pius. Sanctè integrèque justitiam ita semper administravit, ut boni sub illo nihil timerent, mali nunquam non formidarent. Peccare nemini

mini impune licebat. Quàm justus fuerit, una vox ejus venturis sæculis testabitur; *Malo, ut omnes à me provincia mea deficiant, quàm ego à justitia, vel latum unguem discedam.* Hac justitia auream Belgis ætatem, etsi breviorem, reddidit. Orat. fun.

§. X. *De Ferdinando II. Imp.*

Ferdinandus II. Justitia primus, ita in unam æquitatem intentus fuit, ut nec litigantium dignitatem, nec affinitatem, nec ullius auctoritatem respiceret. Adversus omnia immotus, in solas justitiæ partes inclinabatur.

Venerat ex Italia, vir quidam Princeps, qui feudum aliquod nobilissimum & opulentissimum, Cæsaris sententia adjudicari sibi postulabat. Erat principis istius magna probitas, cum morum suavitate conjuncta, unde fiebat, ut Ferdinandi amorem familiaritatemque mereretur.

Et verò etiam non mediocriter ipso Cæsar delectabatur. Vulgi vox erat, tam charum imperatori Principem, cadere causa non posse. At ubi, discussa lite, & rationibus utrinque ad justitiæ stateram ponderatis, contra Principem, Cæsar pronunciavit, omnes laudaverunt. Aulicus tum quidam,

et quomodo Cæsar cum eo Principe deinceps ages? Ille, *eo*, inquit, *modo, quo ante judicium. Sicut enim propter ejus familiaritatem, discedere ab æquitate non potui, ita nec ipse, minùs se à me amari, propter justitiæ administrationem, existimabit.* Lamor.

Hoc ipse jam Cæsar, sed ante imperium idem prorsus fuit. Anno hujus sæculi VIII. Georg. Bamflus, Baro Hungarus, Rakensburgi, orto tum tumulto occisus fuit. Mortis causam præsidii militaris Præfecto, Hungari quidam adscribebant, & caput ejus deposcebant.

Non multò post, tota pœne civitas horribili incendio conflagravit, neque obscurus rumor erat, Styriæ cladem ejusmodi imminere, nisi præfectus capite minueretur. Hoc periculum, ut averteretur, nonnulli è concilio, Ferdinando suadebant, ut unius præfecti morte, tantum damnum redimeret, omnesque metu liberaret; *Ego verò* inquit, *præfecto mortem inferri, si meritus non est, nunquam patiar. Nullæ tantæ sunt minæ, nulla tanta pericula, & si tota incendio delenda provincia sit, quæ ad injustitiam me unquam adigent.* Addit etiam, *non, si cum uxore & liberis, ad stipem sim redigendus.* Idem.

Si quæ causa, de alicujus capite esset, eam diligenter discuti, etiam tertiò recognosci, ac omnes circumstantias ad se referri jubebat.

bat. Imò ne quis error judicando committeretur, Religiosarum familiarum preces ad Deum exposcebat.

CAPUT. IX.

De Clementia principum Austriacorum.

Nihil clementius Austriacæ Gentis Principibus. Crediderunt illi semper, Clementiam Regum & principum propriam esse virtutem. Maluerunt quippe beneficiis, indulgentiaque, quàm severioribus remediis, subditorum suorum ingenia experiri.

Et hinc potentes sunt, quia Leniora, quàm acriora consilia malunt. Roborat enim Regum thronum Clementia. Testis erit orbis universus; nos exempla dabimus.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Primum sit Rudolphi I. Imp. cujus tam incredibilis Clementia, animique facilitas fuit, ut supplicibus semper parceret, abjectos semper servaret, delicti alicujus, atque etiam rebellionis, si modò venia peteretur, reis indulgeret.

Hinc illa vox ejus: *Immitem fuisse me ali-*

quando pœnituit, lenem & placabilem, nunquam. Ita iis respondebat, qui, quòd in ipso imperii exordio, mutatis moribus, clementior factus esset, reprehendebant. Sylv. l. 2. Dicenti cuidam, *se Ottocarum Bohemiæ Regem è medio sublaturum fuisse, si præmium constitutum vidisset,* Respondit Imp. *Etsi noster hostis sit Ottocarus, non efficiet tamen, ut justitiæ & moderationis fines transeamus.* Idem l. 3.

Aliàs, cùm sagittarii de sagittandi peritia certarent, & Rudolphus animi relaxandi gratia, ad hoc spectaculum properaret; ubi à certaminis loco non longè abfuit, sagittâ ab imperito in incertum emissâ sauciatur. Cùmque è vulnere decumbenti, quidam dexteram sagittario isti amputandam esse suaderet; *Benè*, inquit, *istud, & providè, priusquam me læsisset, sed quid nunc inde consequar emolumenti?*

§. II. *De Friderico III. Imp.*

Apud Fridericum III. Imp. nihil Principi immiti crudeliq; magis exosum. Unde crebro sermone quasi minans jactabat, *Væ vobis Principes!* Ut causam redderet, *Quales*, inquiebat, *se dum vixêre, aliis præstiterint, tales cum morientur, in se judices experturi sunt.* Sylv. Quod si quandoque convitiis, à suis petitus esset, nec excandescebat, nec omni-

no

no commovebatur. Hoc tanũ, *parum id est, in libera civitate liberas esse linguas oportet.* Lips.

Idem cùm in arce Viennensi, à civibus tum rebellibus, diutissimè obsessus fuisset, & ad omnium ferè rerum inopiam redactus, tandem postquam se in libertatem asseruit, Viennenses Cæsari supplices facti, longa oratione per innatam Principibus Austriacis Clementiam, delicti veniam deprecati sunt. Quid Cæsar? Ecce Clementiam! *Fama,* inquit, *quàm pœna, amantior sum. Proinde mihi, & hæredibus meis melioris sexus fidelitatis sacramentum dicite. Injurias vobis & contumelias condono.* Illi actis Cæsari gratiis, laudataque insigni ejus clementia, sacramentum inprimis dixerunt, tum se gratos semper memoresque futuros sanctè promiserunt. De Roo.

Est amplius, quod in eo posteritas admiretur. Cùm è vivis excessisset Albertus Rom. Rex, & novus septemvirorum suffragiis dicendus esset Cæsar, quidam Joannes Gersius, è Westphalia oriundus, Sigismundo Cæs. à secretis, Francofurtum contendit, confectisque in Fridericum vitiis, ne eum eligerent, Principibus electoribus, quantum potuit, suadere conatus est.

Sed cum eum semptemvirorum collata suffragia, nihilominus Imperatorem renunciassent, & ipse Romam imperiales

insulas suscepturus, proficisceretur, idem ad Nicolaum Pontificem maximum, ne corona insigniretur, seriò perscripsit.

Horum omnium nihil Cæsarem latebat, imò corrigere illum & interimere poterat; ne quid tamen ab Austriaca clementia alienum faceret, vivere illum Viennæ, bonisque paternis, nec iis mediocribus, frui passus est. Nihil iste ultra tentavit. Idem, & alii.

§. III. *De Maximiliano I. Imp.*

Nihil mitius, nihil mansuetius, aut benignius, Maximiliano I. Cæs. Rogantibus plerisque,. cur malè de se meritos non ocius malè perderet? *Parcendum esse*, respondit, *ut rursus victis ignoscere, integrum sibi esset.* Cùm Gandavi in Flandria, adhuc Archidux tantùm, & nondum Imperator ageret, quidam Fennimus nothus, militari quadam fiducia ad illum, admissæ veniam culpæ deprecaturus, ultro accessit. Vix audierat Princeps, manum illi, etsi ignoto, porrigit.

Admonetur mox ab urbis proceribus, illum proximo bello stipendia fecisse, cætera virum egregium esse, multaque sæpe adversus Gallos præclara facinora edidisse. Tum Princeps, *Lubens*, ait, *illi ignosco, neque factum muto, cùm eo in Gallos animo sit.* De Roo.

Idem

Idem cum anno partæ ſalutis, ſupra M. CCCC. octuageſimo octavo, Brugis libertati reſtitutus eſſet, poſt quartum à captivitate menſem, publicæ tum ſupplicationi ultro ſe junxit, & oculos in civium multitudinem, quæ ſequebatur, convertens, hilari vultu, ſignumque elata manu faciens, *Jam tandem*, exclamavit, *pacem habemus*.

Paulò poſt, cùm Flandriæ ordines, Brugenſeſq; magiſtratus, ad ejus pedes ſeſe abjeciſſent, & proſtrati (loquente pro omnibus Rommerſwallio) faterentur ſe graviſſimè in eum Rom. Regem deliquiſſe; & quanquam venia indigni eſſent, eam ſe tamen ſubmiſsè poſtulare; *Ego*, inquit, *libenter omnibus ignoſco, depoſitaque ex animo acceptarum injuriarum memoria, offenſionum omnium gratiam facio.* Porrecta deinde manu omnes erexit, moxque in ſcenam profectus, flexis ante oras genibus, in pacis conditiones juravit. Heut. lib. 3.

Anno XIV. ſeculi, nonageſimo quarto, Philippus Clivius Ravenſteinius, in conſpectum ejus admiſſus, poſitis in terram genibus, *Ago*, inquit, *Majeſtati tuæ gratias, quòd me in aſpectum admittere ſit dignata. Si quid hunc ante diem commiſi, quo tuam majeſtatem fortaſſis offendi, ignoſce ex animo, & præteritorum veniam indulge. Ita rogo & obteſtor.* Cui Cæſar,

Habes quod petis, quippe jam pridem ex animo cuncta deponens, libenter ignovi, & etiamnum libenter ignosco. Postea tamen ad Carolum Franciæ Regem defecit, & inglorius è vivis excessit. Idem.

§. IV. *De Carolo V. Imp.*

Nihil verò Carolo V. Cæs. clementius, qui nullum unquam, à quo læsus fuisset, capite mulctavit. Imò nihil illi gravius erat, quàm damnatum capitis aliquem intelligere. Unde cum in Anglia, juvenem natalium splendore illustrem, Volsæ, qui tribunali tum præerat, sententia damnatum audivisset; *Indignum*, inquit, *est, à cane lanii tam pulchrum damam devorari.* Chytr. Orat. fun. Erat Volsæus lanii filius, & multis annis in Anglia lanienam exercuerat.

Anno CIↃ. IC. XL. cùm Gandavi, suos inter senatores, pro tribunali sederet, capitis & bonorum publicationis sententiam, contra Reinerum Brederodæ Toparcham pronunciavit. Hujus crimen erat, quòd ducta è Marcanis uxore, cum iis se Francorum Regi addixisset; quòd comitum Hòllandiæ, Zelandiæque insignia Gentilitia, publicè usurparet; quòd eorum locorum comitem aliquando se futurum jacta-

jactaret. Nemo læſam hoc crimine majeſtatem dubitabat.

At verò, cùm reus in genua ad Cæſaris pedes procubuiſſet, & culpam faſſus, veniam ſubmiſſo animo petiviſſet, vitam illi Cæſar donavit. Adſtabant tunc Flandriæ Senatores, Hollandiæ præſes, primi nobiles, & proceres, qui cum ſuas proreo preces offerrent, & ipſe Francico, Marcanoque fœderi renunciaret, ei quoque bona omnia reſtituit, & in gratiam recepit. Heut. lib. 11.

Triennio poſt, illuſtrius Clementiæ ſuæ exemplum orbi oſtendit. Guilielmus Civiæ dux, Francos adverſus Carolum Cæſ. ſecutus, ubi ſe deceptum animadvertit, pluſque in Francorum promiſſis magnificentiæ, quàm fidei apparere, ſtatuit ad Cæſaris, quanquam offenſi, clementiam confugere, & in ea ſalutis ſuæ portum collocare. Siſtunt illum Cæſari, pro tribunali, in Caſtris ad Venlonam ſedenti, Reinerus Naſſovius Arauſion. Princeps, Henricus Brunſwicenſ. dux tum exul, legatus Hertmanni Colonienſis, Archipræſ. qui ſimul pro eo preces ſuas offerebant.

Ipſe ad Cæſaris genua confeſtim procubuit, & cum eo è Prima nobilitate illuſtres octo Dynaſtæ, pulla veſte induti. Tum in

in hanc vocem erupit; *Patere, clementissime Cæsar, ut adolescentia mea magnificis, ingentibusque Francorum promissis decepta, apud te veniæ locum inveniat. Errata virilis inposterum ætas, constanti erga te fide emendabit, sarcietque.* Hanc ejus vocem excipiens cancellarius, flexo simul genu Cæsarem submissa oratione ad Clementiam permovere conatus, *Leges*, inquit, *quascunque dabis, Cæsar, æquo animo dux accipiet, servabitque.*

Hæc cùm ita agerentur, dicerenturque, Carolus composito ad gravitatem vultu, ne unum verbum prolocutus est, tantùm se verè prostratos & supplices intuitus, ut Nassovus, Granvellanusque, deditionis leges scriberent, mandavit, abiitque. Non parum ista aspectus severitas supplicum animos perstrinxerat.

At ubi scriptæ leges fuere, Cæsar Guilielmum ducem in gratiam recepit, qui postquam subscripsit, fidemque suam jurejurando obligavit, more apud Principes imperii recepto, Cæsarem salutavit, gratias egit, cum eodem familiarissimè cænavit, ac demum Mariam Austriacam, ejus neptem, Ferdinandi Rom. Regis filiam, uxorem accepit. Heut. ibid.

Caroli Clementiam, exteri quoque sunt experti. In Belgium ex Hispania rediens, à Francisco I. Francor. Rege, ejusque conjuge

conjuge Leonora, summo ubique honore pompaque exceptus, Ambosiam pervenit, sed noctu. Arx est in edito colle sita, in quam ardentibus innumeris facibus, tædisque, Cæsar inducitur. At ecce quidam, (studio an casu ignotum) penè arcem incendunt. Et quidem cùm tapetes flamma undique corripuisset, vix abfuit, quin Cæsar, & cum eo proceres, ministrique, fumo suffocarentur. Capti mox aliquot perpetrati facinoris, suspicione laborantes, quos cùm Rex vehementer excandescens, strangulari jussisset, non tulit hoc Cæsar, Regem exoravit, vitam captivis servavit. Idem·ibid.

Hallam fortè diverterat Carolus, anno supra M. CCCCC. quadragesimo sexto, cum ad eum Fridericus septemvir, comes Palatinus mox accurrit. Faverat hic protestantibus Principibus adversus Cæsarem, & culpæ veniam deprecabatur. Motus ingenua confessione Cæsar, modestè primùm incusavit obiurgavitque, quòd belli initio CCCCC. hostibus equites misisset, tum veniam dedit, inque amicitiam recepit. Idem.

Sed non opus ire per singula. Tota Germania, Clementiæ ejus est monumentum. In ea Ulmensibus pepercit. Francofurtenses, cùm omnia sua Cæsaris potestati

sub-

subjecissent, veniam impetrarunt. Argentoratenses eandem per Antonium Peronottum, apud Atrebates Antistitem, efflagitarunt, & obtinuerunt. Ne facerent, persuadere Franciæ Regis legatus tum conabatur, sed audire ipsi noluerunt.

Miserat dux, Wittenbergius legatos, qui coram Cæsare in genua provoluti, culpam primò confessi sunt, multis deinde lachrymis veniam orarunt, ac datis legibus pro duce suo subscripserunt. Ignovit Cæsar. Augustani, deprecante Antonio Fucquero, benignissimum Cæsarem invenerunt. Aliæ plures liberæ imperii civitates, in ejus misericordia, cum deliquissent, spem suam posuerunt, nec frustra. Pluribus ignovisset, si plures peccavissent. Sine aculeo Carolus erat. Idem.

§. V. *De Ferdinando II. Imp.*

Ferdinandus II. Imp. clementiam suam publico privatoque bono metiebatur. Ut neutri justitiæ rigor detrimentum adferret, clementiæ suavitate justitiam temperabat. Idcirco omnes ferè prolatas à judicibus in reos sententias, mitigabat, nunc locum, nunc tempus, nunc supplicii

plicii genus commutando. Nonnunquam pœnæ partem, aliquando totam tollebat. Ita nemo ferè ab ullo judice puniëbatur, qui non aliquam à Cæsare misericordiam experiretur.

Dolebat, & verò etiam ingemiscebat, si mortem alicui inferri permittere deberet. Eo imperante nec parentum crimina filiis, nec filiorum parentibus detrimento erant. Solabatur ipsemet innocentes, & patrocinium promittebat. Si quis læsæ majestatis reus esset, eximi ab ignominia familiam volebat. Soli, reo sceleris macula inurebatur. Adeo justus & misericors fuit Ferdinandus. Lamorm.

§. VI. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

In hac Clementiæ arena, omittere Philippum II. Hispaniarum Regem vix possum. Alii in aliquos, in omnes ipse Clementissimus fuit. Ab eo, & avita Religione, cùm Batavi defecissent, delictorum omnium veniam publicari Antwerpiæ jussit, adeoque præteritarum injuriarum, defectionis, & omnium discordiarum memoriam, sempiterna oblivione delendam promulgari; sed frustra. Nic. Burg. aliique.

Pro-

Producere plures possem, Philippos, Albertos, Rudolphos, Leopoldos, sed innata est Austriacis omnibus Clementia. Nihil illis benignius, nihil lenius. Unum qui ab hac virtute laudat, cæteros ejusdem familiæ extollit; communis quippe omnibus est Clementia. Apud eos culpam confiteri, est veniam impetrare. Insultare jacentes nesciunt, supplicibus nihil negant, pati abjectorum lachrymas non possunt. Quasi propria esset Austriacorum misericordia, ubi etiam non deberent, ignoscunt.

CAPUT X.

De Humanitate, ac Mansuetudine, principum Austriacorum.

HUmanitatis, & mansuetudinis commendatio, non minùs in summis Principibus gloriosa est, quàm Majestatis excellentia. Idcirco à duabus his virtutibus, quæ vinculo quodam inter se connexæ sunt, commendari Principes Austriaci semper desideraverunt. Unde plus pœne in iis humanitatis apparuit, quàm majestatis; quod illam scirent ad amorem conciliandum esse, hanc ad aliquem cum subjectione terrorem, ex alto so-

lio

lio diffundendum. Effectus in iis recognoſcamus.

§. I. *De Friderico III. Imp.*

Atque inprimis in Friderico III. Imp. cujus humanitas cùm tanta eſſet, ut ſuo amore genus omne hominum complecti videretur, tum percunctanti cuidam, quos præ cæteris ardentiùs amaret, reſpondit, dignam verè Cæſare vocem, ***Eos qui me minùs, quàm Deum, metuunt.*** Omnino optimè. Timeri volebat, hæc cuſtodia eſt majeſtatis; ſed moderatè, hæc Cuſtodia eſt ſubditorum benevolentiæ.

§. II. *De Alberto I. Imp.*

Albertus I. Rudolphi I. filius, antequam imperii gubernacula ſuſciperet, quodam die, cum Viennæ in palatio ſuo pranderet, ferculum cum veneno infectum, fraude miniſtri alicujus, in menſa illi propoſitum fuit. Ipſe nullam fraudem ſuſpicatus, avidè deguſtavit; ſed mox ingens totum ejus corpus dolor invaſit, & agere animam videbatur. Occluduntur quamprimùm Palatii fores, nec exitus ulli permiſſus.

Aderant præter. alios Fridericus, & Albertus

Albertus Buckaimii fratres, tunc temporis mensæ principis destinati, qui ubi Domini sui periculum viderunt, subitò consternati, ut à se suspicionem omnem amolirentur, ambabus manibus in patinas involarunt, & cibos in ora ingesserunt. Vidit Albertus, & nutu clamoreque quo poterat, ne id facere permitterentur, prohibet, *Notam sibi esse juvenum istorum fidem, perspectamque innocentiam.*

Medici repentè ad violenta remedia confugientes, totum corporis temperamentum ita inverterunt, ut vim veneni omnem per os, nares, aures, oculos expulerint. Restitutus sanitati Princeps fuit, sed altero oculo deinceps caruit, & pallorem quasi perpetuum in facie induit. Magnum periculum, sed major erga ministros fideles humanitas. Quis non sævitiam expectasset? Hic est ille Albertus, qui fœminas pudicas, Ecclesiasticos pios, milites strenuos, præ cæteris venerabatur & amabat, delatores & bilingues homines summo odio prosequebatur.

§. III. *De Carolo* V. *Imp.*

Nulla mihi pagina sine Carolo V. Quia nulla ei virtus defuit. Natura ad humanitatem factus erat, genio ad mansuetudinem.

dinem. Unde occupato in Africa Tuneto, cùm bis mille Christianos in Ergastulis repertos (inter quos quamplurimi Franci, Italique, illustri genere nati) liberos pronunciasset, omnes ad ejus pedes se prostraverunt. Nec amoveri à Cæsaris corpore ullo modo poterant. Miserum sanè, sed lætum simul spectaculum. Erant seminudi, squalidi, verberibus concisi fœdatique, fame macerati, & vix ossibus hærentes, verùm ita gaudio sui impotentes, ut vel Cæsaris calceos, in grati animi signum, exosculari desiderarent; & ut liceret, avidissimè ingentique clamore postulabant.

Ut eorum desiderio Cæsar satisfaceret, sedit in Castrensi solio, ad genua sua, & ad manûs osculum singulos admisit, vestem deinde unicuique, & aureum unum nummum donavit. Inde tanta cum lætitia, fausta feliciaque Cæsari apprecantes, discesserunt, ut lachrymas toti exercitui & adstantibus aliis commoverent. Qui Franci erant, ad legatum Francisci I. Galliæ Regis, à Cæsare missi sunt, Hispanos, Italos, Germanos, ut suos tractavit, quosdã, quòd ita vellent, militiæ suæ adscripsit. Reperta Tuneti eo tempore omnis generis arma, quondam in illa Divi Ludovici Regis infelici expeditione, Francis erepta. Heut. l. 11.

Anno superioris seculi XV. quadragesimo,

ſimo, cum Hiſpania in Belgium feſtinans, Aureliam cum Franciſco I. Rege, Leonorâque Regina perveniſſet, agitatum in Regis concilio inter proceres, de retinendo Cæſare fuit, ſed diſſentientibus procerum ſententiis, ac potiſſimùm contradicente propter fidem Cæſari à Rege datam, Mommorantio, nihil decretum.

Cœperat tamen Cæſar, poſt Amboſianum incendium de Regis fide dubitare, nec levis erat ſuſpicio. Quare Carolus captandæ benevolentiæ Eſtampii dominæ, occaſionem ſollicitè quæſivit, quòd eam in ſumma apud Regem gratia eſſe videret, ac ſubinde Cæſarem facunda garrulitate oblectaret. Obtulit ſe ultra occaſio.

Fortè ad focum Cæſar cœnam exſpectans, ſedebat, quo cùm Eſtampia veniſſet, manu prehenſam propiùs adduxit, ſermonemque magna familiaritate humanitateque miſcere cum ea cœpit. Geſtabat tum in digitis magni pretii annulum, cui Adamas ingentis valoris inſertus erat, quemque excidere velut caſu permiſit. Illa ſubitò inclinans ſeſe, annulum è pavimento ſublevat, & Cæſari præſentat. At Cæſar blandè ſubridens, *Tui is nunc juris eſt*, inquit; *nam hic vetus Cæſarum, Regumque mos eſt, ut quæ manu excidunt, nunquam à ſublevantibus recipiant.* Cùm illa Cæſarem venerata,

rata, tanto se munere indignam fateretur; *Imò*, ait ille, *hunc annulum tibi serva, ut hujus suscepti à me itineris, & colloquii Aurelianensis aliquando recorderis.*

Egit Estampia tum gratias, & memorem se tanti beneficii, honoris, & doni futuram promisit. Nihil ex eo tempore de Cæsare retinendo, violandaque fide ampliùs audire Rex voluit. Quin imò Pariseos festinavit, & ut celeberrima pompa veniens in urbem, Regni metropolim, Cæsar exciperetur, curavit. Exceperunt illum omnes Regni ordines, digno Cæsarea Majestati honore. Astutiam hic videre, simul & humanitatem licet. Heut. ibid.

Aliud, sed ipsius humanitatis factum, subjungam. Cum è Belgio Carolus in Hispaniam discedens, Vlissingæ secundos ventos expectaret, cum Seldio, Ferdinandi fratris sui legato, multam in noctem sermonem miscuit. Delapsa interim tota familia, aut jam dormiente, cum ministrorum nullus appareret, ipse Carolus lumen Seldio, quanquam recusanti, per gradus ad cubiculum usque prætulit, adjecitque; *Vidisti*, Feldi, *Carolum Cæsarem, tot aliquando exercitibus, excubiisque stipatum, nunc solum, & à familia desertum vides. Ei tot annis servivisti, nunc tibi servit, & lumen præfert. Habe hoc à me submissi officii monumentum, tibi gloriosum.*

Ego

Ego in hac fortunæ mutatione, Divinæ Majestatis potentiam agnosco, nec repugno. Heut. & alii.

Certè tantus monarcha, ita à fastu alienus fuit, ut inferiorem se nullum unquam despiceret. Unde quotiescunque Joannem Fredericum, Principem captivum, fortè præteribat, detecto capite salutabat.

§. IV. *De Ferdinando II. Imp.*

Quid nunc de Ferdinandò II. dicam? Omnium confessio est, non aliud illum, quàm ipsam in terris humanitatem, benignitatemque fuisse. Et verò ex ipsis hostium castris, non pauci Viennam excurrebant, ut quod de ejus humanitate, fama apud eos spargebat, præsentes agnoscerent, experirenturque. Audebo dicere. Nemo Ferdinandum unquam adiit, qui non benignissimum, humanissimumque, digressus appellârit. Antistes Coloniensis, imperii Princeps elector, & ipse Ferdinandus, cùm apud Principes alios hujus Cæsaris humanitatem extolleret, *Ea*, inquiebat, *Ferdinandi humanitas est, quæ mortalium corda rapit, timidos erigit, perturbatos componit, afflictos solatur, tristem à se neminem dimittit.* Egregium Cæsaris elogium, & ab optimo Principe. Lamor.

Et

Et profecto hominum animos omnino rapiebat immutabatque. Unde cum in Austria rustici, qui tumultum imprudentes excitarant, eum fortè quodam die publica in supplicatione, nihil aliud, quàm humanitatem benevolentiamque incessu, vultu, oculis spirantem vidissent, ea prorsus commoti, captique, exclamarunt: ***Nunquam se id ausuros fuisse, quod attentarant, si vel semel antè Ferdinandum vidissent. Nihil aliud esse Cæsarem, quàm ipsam benignitatem.***

Idem dicebant, quicunque illi in aula serviebant. Nam ubi hos lecto propter morbum affixos intelligebat, de eorum valetudine fieri quotidie certior volebat, num vis morbi invalesceret amplius, aut diminueretur. Ad eosdē, corporis sui medicos destinabat, & ut diligenter curarēt, præcipiebat.

Idem officium iis, qui procul ab urbe Cæsarea degebant, ubi eorum valetudo periclitabatur, libentissimè præstabat; viris nimirum è nobilitate, vel Ecclesiastico ordine primis.

§. V. *De Rudolpho I. Imp.*

Sed nec Rudolphus I. Imp. quicquam in se deesse voluit, quod gratum subditis suis esse possit. Quippe tantæ mansuetudinis fuit, ut in omnium amorem sese insinuaret, nemo illum odisse posset.

Videbatur quandoque maiestatis suæ oblitus, ita illam humanissimè ad omnium voluntatem inclinabat. Nunquam excandescebat, nunquam iracundia vehementiore (aut certè rarissimè) perturbabatur. Pacato tranquilloque animo cum omnibus agebat, loquebaturque.

§. VI. *De Maximiliano II. Imp.*

Maximilianus II. Imp. aut omnino injurias non sensisse, aut ad illas obduruisse videbatur. Privatas multas, & magnas, excelso animo publicæ saluti condonabat. Non eum vel vindictæ cupiditas, vel ambitio impellere poterat, ut quicquam, quod justi moderatique Principis non esset, unquam admitteret, pati ipse malebat, aut dissimulare, quàm communem tranquillitatem perturbare.

Cùm juvenis admodum esset, quidam è Senatorio ordine, illi dixit, Turcas à nobis captos benignè nimis tractari, quos è medio tolli, Reipublicæ expediret. Cui Maximilianus, *Cum quibus igitur posthac nobis bellum erit? qui labores ad litterarum memoriam reliqui? Pacisci te cum hostibus oporteret, ne ad idem redigeremur.*

Maledicos, & occultè infestos ita ferebat, ut eorum memoriam ex animo depelle-

pelleret. Si omnino non posset, dicere solebat, *Satius esse, ut quærant alii, cur non puniat, quàm cur nimium, aut moderatè nimis, si punierit.* Addamus & illud. Quidam in alterum injurius, delationem apud Cæsarem anteverterat; cui Cæsar, *De fenestra*, inquit, *dum prospicio, vidi adventantem reum, & vix animam recipientem. Nolo scalarum aliquot gradus ejus pedibus prohibere, ut adsit. Et jam sinistram aurem nescio quid mihi intus pulsat.* Hæsit alter in pudore & periculo. Ex variis Paner. & Vit.

§. VII. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

Uno facto, Philippus II. Hispaniarum Rex, inter alia quam plurima, mansuetissimum animum suum ostendit. Scripserat manu sua tantus monarcha, ad Pontificem maximum litteras. Cùm arenam autem, ut exsiccarentur, fortè postularet, qui à secretis erat, vel stupore vel terrore correptus, atramentum infudit. Error gravis, & in tantum Regem. Sed hic nec ira excanduit, nec verbum ullum acerbius protulit. Sua se mansuetudine involvens, chartam aliam in manus sumpsit, iterum scripsit. Hæsit mortuo similior, quàm vivo secretarius. Causs. in Aul. tom. 2.

§. VIII. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Nisi hominem Albertum Pium novi-
ssemus, Divum in terris fuisse crederemu-
Talem incredibilis mansuetudo facieb-
Supra omnia, quæ turbare poterant, an-
mum tenebat. Et quanquam non rarò qua-
dam ei proponerentur, quæ meritò gen-
rosum Principem poterant exacerbar-
nullum tamen ex ejus ore durius verbu-
audiebatur, nullum indignantis animi
gnum, in ejus vultu apparebat. Imò ind-
gnum Principe judicabat, commoveri.
perpetua tranquillitate mens ejus sese co-
tinebat. Et hoc proprium esse Divorum a-
bitrabatur, quos imitari Principes deb-
rent, qui eorum in terris vices geru-
Scrib. in pol.

CAPUT XI.

De affabilitate ac facilitate Principum Austriacorum.

SEmper fuit Austriacorum Principu-
sermonis affabilitate, & animi be-
gnitate, in hominum affectum influe-
Sciunt quippe gratam omnibus esse faci-
tatem. Nec existimaverunt unquam, de f-

stig-

ſtigio dignitatis ſuæ quicquam detrahi, ſi ſe ad ſubditos ſuos, etiam plebejos, inclinarent. Venire ad ſe omnes permittunt, audiunt omnes, blandè omnibus reſpondent. Inde tantus eorum in ſubditis amor, ut ſubeſſe illis glorioſum arbitrentur, certè jucundum. Conſideremus igitur eorum affabilitatem.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Rudolphus I. Imp. omnibus patebat. Semel cùm frequens admodum populi ad aulam concurſus eſſet, & ipſe è feneſtra proſpectans, ſubmoveri tenuioris fortunæ quoſdam, à ſatellitibus videret, exclamavit, ſed non ſine ſtomacho; *Per Deum, ſinite homines ad me venire. Non enim ideo ad imperium vocatus ſum, ut in arcula includar.* Adeo neminem ipſe rejiciebat, *nullique ſpes eum adeundi adimebatur.* Lipſ. l. 1. mon.

§. II. *De Friderico III. Imp.*

Ejuſdem animi fuit Fridericus III. Cæſar, qui ultro ad ſe cujuſcunq; ordinis homines evocabat, blandius cum infimis agebat, & ſi perterritos majeſtatis aſpectu animadverteret, animum addebat, ipſeque eos interrogabat. Frequenter autē dicere ſolebat,

oportere Imperatorem & auditu sæpe non audire, & visu sæpe non videre. Præstat hoc prudens simulatio, quæ nec virtutem deserit, nec consilia arcana detegit. In profundo regnantis animus est. De Roo. Cuspin. & alii.

§. III. *De Maximiliano I. Imp.*

Nemo affabilior faciliorque Maximiliano I. Cæsare. Hæc omnium est confessio. Tenuissimæ sortis hominibus sui copiam libenter faciebat. Quod si quandoque majestatis reverentia perturbarentur, deambulabat cum iis, & ut, quæ conceperant, proferre possent, vulgaria quædam familiariaque interrogando, efficiebat, ut sui tandem compotes, quæ vellent, præsenti animo exponerent. Ubi audierat, dato humanissimè responso, lætos à se dimittebat. Non opus plura; ipse dicere solebat: *Fideles subditos, semper lætos, è Principis conspectu discedere debere.* Berb. in apot. & alii.

§. IV. *De Ferdinando I. Imp.*

At verò Ferdinandus I. Imp. hac virtute verè se Austriacum ostendit. Certa hora quotidie, conditionis omnis homines, sereno & pacato vultu audiebat, iis sine fastidio clementissimè respondebat. Se-

Semel ministrum à cubiculis, quòd sortis infimæ mulierem ab aditu arcuisset, graviter objurgavit; dicebat enim, *si nos excludimus inopes, à conspectu nostro, quid nobis ipsis ad divinæ majestatis tribunal eveniet?* Heut.

Aliàs cùm inter venandum, illi libellorum supplicum fasciculus oblatus esset, eundem venationis magistro tradidit, monuitq; ut quæ petebantur, colligeret, sibique referret. Ille verò cum id se facere non posse, respondisset, *Sinite ergo*, inquit Cæsar, *alere me scribas*, *qui id possunt.*

Istud autem sanè lepidum, etsi omnino serium. Miles quidam annis gravis, multa stipendia confecerat, & militando vitam suam sæpius gravissimo discrimini pro eo objecerat. Ut solutionem efflagitaret, ad Cæsaris Ferdinandi aulam accessit. Indicatur Cæsari, & ille, quia gravissimis tum negotiis intentus, *Redeat*, inquit, *alias, & tempore oportuniori. Tum miles, tantumne itineris frustrà igitur confecero? Verbis duntaxat tribus absolvero; tribus verbis Cæsarem aures dare leve est, nec æstimanda temporis iactura tantilli.* Renunciatur Ferdinando; *Veniat*, inquit, *sed ea lege, ut tria tantùm verba depromat.* Paret miles, & cum à Cæsare, quid peteret, interrogaretur, *Solutionem*, inquit, *aut dimissionem*; cui Ferdinandus, *non dimissionem, sed solutionem.* Berl. in apot.

§. V. *De Carolo V. Imp.*

Non minor in Augustissimo Carolo V. comitas, quàm majestas fuit. Alloqui eum, supplices porrigere libellos, querelas deferre, negotia quævis exponere, omnibus permissum. Nam omnibus cujuscunque conditionis hominibus, ubi remota mensa erat, quotidie patebat. Mirabantur potissimùm plebæi, in tanta gravitate facilitatem reperiri. Quippe par infimis ista comitate facilitateque videbatur, cujus majestas, omnium Principum dignitates infra se cernebat. Zenoc. Heut. aliique.

Quosdam ipse suaviter corripiebat, si aut inter loquendum titubarent, hærerentvè, aut libellos exhibere, cum trepidatione vererentur.

§. VI. *De Maximiliano II. Imp.*

Imitatus Carolum, Maximilianus Imp. parem laudem retulit. Prandio absoluto mensæ adstans, aut juxta sedens, omnes omnino, etiam abjectissimos, audiebat. Et hos libentissimè. Singulis comiter placidèque respondebat, quod mireris, etiam ea lingua, qua negotia proponebantur. Plurimos enim callebat. Sicut autem sine diffi-

difficultate audiebat, ita sine mora respondebat. Sic sibi nec tempus præripiebat, nec aliis.

§. VII. *De Ferdinando II. Imp.*

Ut nulla virtus, ita nec affabilitas deesse Ferdinando II. potuit. Faciles aures omnibus dabat, nec ulla audiendis illis hora destinata, sed quæ advenientibus esset oportuna. Nulla audiendo nausea, nullum tædium. Plures sæpe horas uni dabat, & quidem sereno ridenteque vultu semper.

Hoc unum illi propositum, negotia, pro quibus interpellabatur, primùm expedire; tum si aliò occupationes non evocarent, familiariter colloqui, de vitæ conditione, de patria, de liberis sciscitari. Patrem cum filiis agere dixisses, aut cum fratre fratrem. Agere humanius cum subditis nemo potest.

Stabat autem audiendo, gladio vel mensæ tantùm innixus, si illi prospera firmaque valetudo esset; si morbo impediretur, audiebat tamen, & cùm sedere eum oporteret, sedem etiam proceribus præcipuis, sed potissimùm sacerdotibus, dari curabat. Lam.

§. VIII. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

In Alberto Pio, cum Augusta quædam, & supra hominem majestas elucebat, tum facilimos ad se aditus, & admissis, aures præbebat patientissimas. Nulli se subtrahebat, nec occupationes prætexebat. Ingerere animo videbatur, quotiescunque sui copiam faciebat.

Adeo nullius dictionem, etsi prolixam aut aliquando parùm urbanam, interrumpebat. Parcè equidem, sed benignè tamen omnibus respondebat. Idcirco admirabantur universi, tantam majestatem, cum plebejâ propemodum audiendi facilitate, in eodem Alberto bene convenire. Scrib. in Pol.

CAPUT XII.

De liberalitate Principum Austriacorum.

MAgnorum itaque heroum est, & sic Austriacorum, liberalitate & beneficiis nunquam superari. Quippe liberalitas, Principum propria dos est. Imò magnum est firmandi Principibus instrumentum. Nec minùs auro muniti esse Reges debent,

bent, quàm ferro; hoc contra hostes utuntur, isto in sui observantes, bene meritos, & egenos. Austriaci Principes, cum sciant Reges, ut aliis bene faciant, natos esse, liberalissimi, & olim fuerunt, & nunc sunt.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Rudolphus I. Imp. quasi genti suæ virtutum omnium hæreditatem relinquere deberet, nullam omisit. Ita liberalis fuit, ut nullum vel de se, vel de bono publico bene meritum, sine præmio esse sineret. Confessarium habebat Henricum, ordinis S. Francisci religiosum, pistoris filium, hunc Episcopum Basiliensem primo fecit, mox ad Archiepiscopatum Moguntinum promovit.

Nemo illi sine mercede servivit, sed & præmium servitio addidit. Potissimùm si in expeditionibus militaribus singulari obsequio sese virtus prodidisset. Chytr. in vit. ejus.

§. II. *De Friderico Pulchro Imp.*

Omnium amorem sibi conciliavit Fridericus Pulcher Imp. quia in omnes liberalis fuit. Nemo ab ejus alloquio, nisi contentus recedebat. Omnium vox fuit, neminem Friderico servivisse, qui non opulentus fuerit.

§. III. *De Maximiliano I. Imp.*

Liberalitatem Maximiliani I. Cæſ. qui nondum novit, ex ejus Symbolo cognoſcat. ***Charitas, ubi neceſſitatem animadvertit, non expectat petitionem egeni; antequam petatur, opitulatur, & auxilium offert.*** Sic fecit, & liberalitatem ita coluit, ut in multorum reprehenſionem incurrerit, quòd nihil ſibi defuturum exiſtimans, pecuniæ ſtudium contemneret.

Lepidum eſt, & in aula frequens, quod referam. Nobili cuidam ſed pauperi, cùm vellet opitulari, legationem ad quandam civitatem, ut florenorum centum millia poſtularet, ei mandavit. Abiit ille petiit, & obtinuit, reverſuſque Cæſari quinquaginta millia numeravit.

Quæſtores, qui receptum amplius intellexerant, Cæſarem monent; Cæſar nobilem vocat, venit ipſe, & præſens fatetur; cùmque receptorum nummorum rationes exigerentur, redditurum ſe promittit. Interea cùm hæreret, nec redderet, ſuſpicans Cæſar, nondum illi rationes ſatis eſſe ſubductas, nobilem patitur abire.

Verùm cùm rurſum clamitarent quæſtores, & indignum aſſererent, Cæſari

ri hoc modo illudi, tertiò jussus est adesse.

Adfuit, cùmque ut rationes exhiberet, urgeretur, *Rationes*, inquit, *reddere non detrecto, sed rationum ejusmodi non admodum sum peritus. Rogo Cæsar, ut hi, qui tibi assident, rationum ejusmodi peritissimi, exemplum ipsi mihi dent, & docilem reperient.* Subridens Cæsar, *Verum*, inquit, *ais, & quod postulas, æquissimum est.* Ita illum dimisit. Ex ejus vit. & Orat. fun.

§. IV. *De Philippo I. Hisp. Rege.*

Patrem Maximilianum imitatus, Philippus I. Hispaniarum Rex, cum virtutibus aliis, tum liberalitate potissimùm excellunt. De illo vulgò dictum fuit, *nemini Philippum liberali auxilio defuisse, quem egere noverit, & juvare potuerit.* Ex paneg. Franc.

Fecit hæc ejus liberalitas, ut proceres, ordinesque Hispaniæ, post Elizabethæ Reginæ obitum, amoto ob parsimoniam tenacitatemque Ferdinando Catholico, Philippum Regem unò omnium ore desiderarint.

§. V. *De*

§. V. De Carolo V. Imp.

Qui erat virtutum omnium prodigium, nescio, an non liberalitatis miraculum fuerit Carolus V. Imp. Nata cum ipso, & in ejus animo liberalitas videbatur. Quippe adhuc puer aureos 40. in pauperes quotidie erogabat; nonnunquam etiam uno eodemque die, insciis præfectis, œconomisque suis, septies idem præstabat. Scrib. Heut.

Factus Imperator, non jam aureorum millia, sed Regna, provincias, integras, urbes, principatus largiebatur. Ad redimendos ab hostibus captivos, ad sublevandos bonis suis injustè spoliatos, ad inopes puellas matrimonio jungendas, tam multa effundebat, ut omnium Regum munificentissimus, & haberetur, & diceretur. Quicquid autem donabat, clanculo & furtim donabat, cum ut accipientium pudori, tum ut suæ modestiæ consuleret, neque enim beneficiorum ostentator erat. Heut. l. 19.

Deposito imperio, & abdicatis tot à se Regnis, ex eis ad rei familiaris, vitæque usum, centum ducatorum millia reservaverat, ex quibus, quamdiu illi superstes vita fuit; millia quatuor duntaxat, quotannis

nis expendebat, reliqua jungendis connubio virginibus egenis, viduis, pupillisque juvandis, atque aliis calamitate aliqua hominibus oppressis consignabat.

Audita vox ejus hæc aliquando fuit; *Regis liberalitatem Soli similem esse. Quemadmodum enim Sol lutum indurat, & ceram emollit: ita illa quorundam animos emollit, quorundam indurat.* Chytr. in vit.

§. VI. *De Philippo II. Hisp. monarcha.*

Philippus II. Hispaniarum monarcha, paternæ liberalitatis æmulator extitit. Cùm Belgium frumentorum inopia, fameque premeretur, non aliunde tantùm, in omnium usum apportari curavit, verùm etiam tria pauperum millia, suis ipse sumtibus, calamitoso illo tempore sustentavit. Sur. ann. 1557.

Si quis litterarum studio, aut justitiæ administratione, aut bellica virtute, bene meritus esset, sine præmio aliquo esse nequaquam sinebat. Nec in bonos tantùm munificus erat, sed & in malos, ne, ut dicere solebat, pejores evaderent.

Dicebat aliquando, *homines bonorum magnitudine corrumpi, nec cujuslibet esse in rebus tam prolixis, magnam fortunam concoquere.* Atque idcirco

idcirco quibusdam, sed divitibus, etsi multa sperare ab eo possent, nihil elargiebatur, ut intra fortunam suam, cum rerum suarum incolumitate remanerent, non insolescerent, aut se non perderent.

Idem magna prudentia, in Reipublicæ officiorum distributione utebatur, *ut cùm vellet, unumquemque suæ virtutis præmio gaudere, tum par officio virtus esset, & mentis capacitas.*

§. VII. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

At Albertus Pius, Belgarum Princeps, omnem propemodum munificentiam suam in Divorum templa, & pauperes vertit. Siquidem in hæc supra centena millia, singulis annis erogabat. Sed prudens Princeps munera sua tegebat, ut & necessitatibus aliorum occurreret, & laudem ipse fugeret. Scrib.

Amplius verò, nulli unquam, etsi fortassis immemori, datum à se beneficium improperabat, nec quæ munifica Regiaque manu dederat, cuiquam recensebat. Adeo etiam præter largitiones, per Eleemosynarium factas, clam multas ipse calamitosis hominibus faciebat, pupillis potissimùm, senibus, & ægris, ne laudem aucupari videretur.

§. VIII. *De*

§. VIII. *De Isabella, Clara, Eugenia.*

De te quid dicam, Isabella, Clara, Eugenia, seculi nostri decus? Parta in agro Flerrano, virtute Consalvi Cordubæ, de Halberstadio, Mansfeldioque notho, victoria, cùm plerique perdendos censerent raptores, sicarios, incendiarios, sub proscriptis à Cæsare ducibus, militantes, tua pietas omnes servavit, liberalitas recreavit. Nam hostium milites vulneratos, Bruxellam carpentis devehi curavisti, & singulis præter alimenta, medicos addidisti, ægrotis xenodochia constituisti. Te matrem invenerunt, qui expectare à te mortem poterant. Mem. temp. & Orat. fun.

Sed nimirum tuæ magnitudinis esse judicabas, *adversus hostium vires, non adversus calamitates contendere. Pugnantes in acie vincere, victis parcere, nec hominem dedititium interficere.* Nullus cecidit, cui non sepulturam concessisti. Videre etiam tuum exercitum tunc victorem voluisti, & præmio aliquo singulorum virtutem ornavisti.

Quid, cùm urbs Breda, per hyemem, arctissima obsidione cingeretur, tu singulari benevolentia militibus caligas calceosque distri-

distribui curasti. In reliquis liberalitas tua, cum Alberti conjugis tui munificentia certavit. Imò ut unus animus, ita una quodammodo amborum manus fuit.

§. IX. *De Ferdinando II. Imp.*

Ubi virtuti locus, ibi Ferdinando II. Cæsari est. Nec illa sine ipso, nec hic sine ipsa esse potuit. Si quis autem in Romani imperii solio liberalitatis laude effulsit, fuit sanè Ferdinandus. Per jocum aliquando dixit; *Quod si Deus, alicubi in ditionibus meis, aliquam auri vel argenti fodinam aperiret, non opes aggregarem, sed quantum petere à me quispiam auderet honestè, tantundem libenter erogarem.* Lam. Tam liberalis fuit, ut pœne prodigus videretur; tam munificus, ut aulici aliquid avaritiæ in ipso desiderarent.

Cùm nullum benefaciendi modum faceret, tum vix unquam benefaciendo sibi ipsi satisfecit. Testabuntur religiosæ familiæ, & quicquid egenorum ejus ætate in imperio, Germaniaque. Suggerebat à consiliis quidam, ut Cæsar sibi parceret, & pauperum supplices libellos alteri committeret, quòd parum decere Cæsarem videretur, tenuiorum curis ac molestiis vacare. Sed ille subridens, *non molestum*, inquit, *est pauperibus consulere, ad hoc enim electus*

ctus sum, & vocatus à Deo, libellorum ejusmodi cognitione cœlum lucramur, an etiam, cum Principum causis, intendimus, dubito.

Idem cum intelligeret, multis in locis, advocatos pauperibus deesse, quòd ab iis nulla lucri spes esset, in singularum provinciarum metropoli, patronos constituit, qui pauperum, ac inprimis viduarum, pupillorumque causas tuerentur, iisque ex ærario suo stipendia decrevit.

Quocunque iter habebat, viam utrinque pauperes cingebant; nec frustra, nam sua aut aliena manu singulis stipem erogabat. Nec arceri eos patiebatur, *quòd ibi Deum esse diceret, ubi pauperes essent.* Idem verebatur etiam, ne quis ejus ope fortassis indigeret. Unde cùm ei suaderetur, ut quendam ex aulæ ministerio dimitteret, quòd ejus opera Cæsari necessaria non esset; *At mea fortè,* inquit, *si pauper est, opera indiget.*

Non raro jam Cæsar renunciatus, in xenodochiis epulum pauperibus parari jubebat, & ipse Cæsariis manibus suum singulis ferculum apponebat, familiariter alloquebatur, de patria inquirebat, consolabatur. Idem in aula sua, dominicis diebus præstabat, quippe duodecim accersitos undique egenos poscebat, iisque ipse ministrabat.

Nihil

Nihil omisit, quod exigere à Christiano Principe, vel pietas, vel liberalitas posset. Neque oblitus captivorum unquam fuit, qui vel in ergastulis apud Turcas, vel alibi in catenis essent. Nam in eam rem ex singularum provinciarum ærario, aliquid numerari jubebat.

Nullos hic sigillatim recensere Cæsares, aut Reges deberem. Fuit eadem propemodum omnium Austriacorum pietas, liberalitas, munificentia, & hodie est. Audiunt Hispaniæ reges, quotquot post Carolum V. tot Regnorum gubernacula tenuerunt, tanquam communes orbis patres. Apud eos, qui pro Catholica religione exulare coguntur, asylum inveniunt; Principes regionibus suis, fatali bello exuti, perfugium; religiosi omnes subsidium; oppressi solatium; calamitosi refugium.

Tanta monarchia miseris omnibus patet; in omnium auxilia, in xenodochia, in ergastula, in sublevandas innumerorum calamitates, sese effundit. Satis est miserum aliquem esse, vel oppressum, ut auxiliatricem Austriacorum manum sentiat; satis pro Romana fide pati, ut Hispanicis opibus sublevetur.

Vivunt Reges illi, ut vivere alios faciant, plusque pro aliis, quotannis expendunt, quàm pro se. Eorum palatium, liberalita-

ralitatis ipsius palatium est; eorum manus, munificentiæ ipsius manus. Nec preces expectant, sed præveniunt, ubi verecundia personarum dignitatem excusat. Alios juvare, & opulentos facere, Austriacorũ est.

CAPUT XIII.

De majestate, ac Auctoritate Principum Austriacorum.

MAjestas & auctoritas salus & custodia sunt principatuum. Utraque reverenda quædam, & singularis amplitudo, quæ Principum Austriacorum, divinitus impressa, fuit. Gravitatem illi semper cum humanitate junxerunt tamen, & hinc subditorum in illos amor, & cum timore quodam reverentia.

Adeo nemo illos ad imperia natos dubitavit. Quanquam etiam virtus iis majestatem attulit, & animos omnium conciliavit; item formæ dignitas, quæ ab ipsis barbaris venerationem meruit. Nos eam seqq. §. consideremus.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

In ipso familiæ Austriacæ conditore, Rudolpho I. Cæs. tanta auctoritas fuit, ut præter Christianos Reges, Principesque, amicitiam fœdusq; cum eo Persæ, Turcæ, Mosci,

moſci, vehementer expeterent: tanta majeſtas, ut eorum legati, viri aliàs imperterriti, atque adeo plurimi Germaniæ Principes, ad ejus conſpectum contremiſcerent, obmuteſcerentque.

§. II. *De Maximiliano I. Imp.*

Fatentur omnes, quod de Maximiliano I. Imp. dicam. Ex ejus vultu oculiſque, digna magno Principe majeſtas emicabat. Quippe rebellium etiam conſcientiam, verè commovebat concutiebatque. Erat gravitas in eo, quæ debitam venerationem, vel invitis extorquebat; & univerſa corporis ejus lineamenta, regalem, imperatoriamque dignitatem referebant.

Habitus & inceſſus decens, motus temperatus, verba cum pondere, vero, dicam, hominum, quo volebat, affectus trahebat. Heut. aliique.

§. III. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

In Alberto Pio, ſedem majeſtas poſuiſſe videbatur. Intueri eum ſine reverentia, nemo poterat, nemo ſine aliquo commoti animi terrore. Imò nonnulli aliquando, quaſi de mente deturbati, ſolo ejus aſpectu,

ita

ita percellebantur, ut protinus collaberentur. Voluit nescio quis, sed nimia sermonis audacia, cujusdam eum insimulare; at ubi vultum ejus intuitus fuit, subito correptus horrore, temeritatis, & audaciæ suæ pœnas, corruendo dedit.

Quod si quandoque, quorundam Principum & heroum, non rectam fortasse vitæ rationem, verbo uno, magis tamen vultu, perstrinxisset, ejus ipsi aspectu & sermone saucii, de incolumitate periclitati sunt. Nemo eum sine horrore aliquo allocutus est, nemo sine trepidatione intuitus, nemo sine formidantis animi commotione adivit.

Ipsi ejus in aula ministri, qui adibant quotidie, qui alloquebantur, qui serviebant, nunquam tanta assiduitate & quasi familiaritate, eum excludere timorem potuerunt, quem ejus celsitudinis amplitudo, in eorum animis excitabat. Orat. fun.

Ad paucos fortasse, quod nunc referam, emanavit, evenit tamen. Apud Henr. IV. Franciæ Regem, vir quidam illustri genere natus, magnæ audaciæ, quòd monarchas omnes alloqui intrepidè posset & auderet, sese jactabat. *Cui Henricus, aliter de te sentires, si tibi in conspectum Alberti, Brabantiæ ducis, veniendum fortassis esset, ejus*

majestas

majestas audacissimos percellit. Nunquam, inquit ille, meum animum percellet. Nescit hic animus cujusquam oculos timere. *Benè est*, inquit Rex, *sed experimento opus est; ibis meo jussu legatus, ad Albertum, mandatum mox tibi expedietur, tu te itineri accinge.* Paret ille, sed Rex litteras ad Albertum celeri nuncio præmittit, & de hominis jactantia præmonet.

Vix Bruxellam appulerat, in Aulam deducitur, & ad Principem, quem ubi gladio accinctum, ad mensæ latus sedentem sub connopæo, composito, ut solebat, ad gravitatem vultu, oculisque, & toto corpore majestatem præ se ferentem intuitus fuit, vix dum absolutis salutationis, turbato jam animo, ceremoniis, penitus obmutuit, nec conceptum exordiri sermonem, pristina deficiente audacia, potuit. Ut loqueretur, jussit Princeps, sed ea vox altius ejus animum in silentium demersit.

Educitur itaque, non exposito mandato, & in Franciam reversus, Regi suo fassus est, *Nullam se in monarchis aliis tantam, quantam in Brabantiæ duce majestatem conspexisse. Coram eo audaciam suam primum hæsisse. Prædixeram hoc*, inquit Rex, *tibi, majestate Albertus Regibus præcellit.* Inde risus.

§. IV. *De*

§. IV. *De Carolo V. Imp.*

Formaverat natura Carolum V. ad omnem Regiam, Cæsareamque majestatem. Quippe in eo vultus tanquam dignitatis quoddam theatrum, nec sine gratia; genæ succulentæ, frontis amplæ incredibilis serenitas, oculorum glaucorum, sed ad cœrulei suavitatem tendentium vigor admirabilis, nasus Aquilinus, veterum heroum insigne. Adeo vultu corporeque toto, dignitatem quandam augustam, & amplitudinem præ se ferebat, accedentesque in admirationem trahebat. Heut. l. 14.

Lucanus quidam ex Luca, Italiæ civitate, coram eo dicturus, conspecta majestate Cæsaris, subito metu perculsus obmutuit, nec exordiri orationem potuit. Idem pluribus evenit. Quædam fulgura à majestate sunt, & terrent.

§. V. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

In Philippo, Caroli filio, ea majestas gravitasque fuit, ut Principes, qui illi quotidie adstabant, nutumque observabant, quoties in ejus vultum oculos conjicerent, toto pectore trepidarent, ac cum loqui vellent, primis in verbis deficerent.

Et quidem tantam iſtam majeſtatem non Hiſpani tantùm, ſed ipſi Indiæ, Americæque populi reformidabant. Non ſemel coram eo exterorum Principum legati, timore vel admiratione perculſi, vocem amiſerunt.

Semel verò, quidam vir ſacri ordinis, & religioſus, ab Indiis redux, cum exponere quædam Philippo deberet, quòd ita quidam in India Pro-Rex juſſiſſet, ubi admiſſus in Regis conſpectum fuit, omni memoria deſtitutus, & intercluſa voce hæſit velut Elinguis.

Rex ejus miſertus, *Secede*, inquit, *pauliſper, & animum reſume, mox rediturus.* Voluit ille, ſed perturbatus, & contremiſcens, exitum non reperiebat, ignarus qua parte intraviſſet. Cui Rex è ſolio ſurgens ſublatis aulæis exitum benignè oſtendit. Cerv. Heut. & alii.

§. VI. *De Ferdinando II. Imp.*

Erant, qui in Ferdinando II. Imp. nimiam humanitatem reprehenderent, quòd per eam majeſtas Cæſarea deprimeretur. Sed ipſe eam benignitate temperabat, non deprimebat. Quin imò nonnullos aliquando, ſumma humanitate ad affatum invi-

vitabat, qui tamen majeſtate elingues reddebantur.

Teſtis eſt Tartarorum Regis (quem Chamum vocant) legatus, qui in Ferdinandi conſpectum admiſſus, cum loqui deberet, obmutuit. Interrogatus deinde ab interprete, cur ita coram humaniſſimo Principe hæſiſſet? *Fulgore*, inquit, *quo Cæſaris majeſtas emicabat, ſum victus.*

CAPUT XIV.

De contemtu Regnorum, ac divitiarum, Principum Auſtriacorum.

AUſtriacorum Principum animus, ſupra fortunam, ſupra regna, & opes ſemper fuit. Vel idcirco magni. Bene regere, quàm opes amplificare, ſemper maluerunt, & plus in virtute, quàm in Regnorum amplitudine poſuerunt. Inviderunt illis alii Reges, tam latè patens imperium, ſed inviderunt tantùm, animum non cognoverunt. Nos illum exhibeamus, §. ſeqq.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Monebat quidam è prima nobilitate, Rudolphum I. Imp. ut ditionum ſuarum pomœria extenderet, & fines amplificaret,

ret; *Melius est*, inquit, *bene imperare, quàm imperium amplificare.* Quid generosius? N. Reusn.

Monebo cum Horat. l. 2. Odar.

Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam, remotis
Gadibus jungas, & uterque pœnus
Serviat uni.

Percunctanti cuidam, cur tanto regnandi desiderio homines incenderentur, cum tamen artes eas, quas nunquam didicerunt, libenter se nescire fateantur; Causam hanc dedit: *Quia homines eos stultos arbitrantur, qui regnare nesciunt, stultum autem se nemo judicat.* Sylv. de dict. Frid. Imp.

Aliquando cùm Regium diadema positum ante oculos suos conspexisset, hæsit diu admirandus, tandem; O *diadema, quàm blando jucundoque fulgore aspicientium oculos perstringis, & ad te allicis? At verò si scirent mortales, quantum sub te molestiarum lateat, nemo etiam te humo tolleret.* Berl. in apot. Bene Hor. *Contemtæ dominus splendidior rei est: non qui possidet, magnus est, sed qui contemnit.*

§. II. *De*

§. II. *De Friderico III. Imp.*

Excelſum Friderici III. Imp. animum, jure extollet, & admirabitur poſteritas. Is cum Ladiſlaum, Hungariæ Regem, adhuc puerum, ſua ſub tutela Viennæ teneret, & in palatio ſuo inſtitui, ut Principem oporteret, magna ſedulitate curaret, non defuerunt, qui clam perdendum puerum eſſe ſuaderent. Ejus morte, ingentes opes, & regna etiam plura, acquiri poſſe. At imperator, *Ego verò*, inquit, *tantopere divitias non amo, ut propterea, tam impium facinus audeam, multò minus attentem.* Syl. de reb. Alph. de Roo.

Impium, ejuſmodi conſilium, generoſè rejecit, quòd nec divino nec humano jure liceret, legitimum Regni hæredem, Regno ſpoliare. Bohemiæ legatus, ejus ſententiæ erat, ut neglecto Ladiſlao pupillo, regnum ejus ſibi vendicaret, quod ipſi, Auſtriacorum maximo natu Principi, id ex fœdere liceret. Sed exploſit deteſtandam opinionem Fridericus. Impius eſſe, ne quidem propter regnum unum, eſſe voluit, nec propter plura fuiſſet.

§. III. *De Alberto V. Archid. Austriæ.*

Nemo, Alberto V. Archid. Auſtriæ, felicior, ſed & nemo imperiorum contemtu glorioſior. Uno eodemque anno Hungariæ, & Bohemiæ Regna, obtinuit, & in Romanorum Imperatorem electus, Cæſareo diademate coronatus fuit. Magnum omnino felicitatis exemplum. Quis ſperet tota vita, quod unus illi annus attulit?

Sed agnoſcat poſteritas, contemtorem imperii animum. Cùm Viennam appuliſſent, Principum electorum legati, electionemque de ipſo factam denunciarent, & ut acceptare imperium vellet, obteſtarentur, reſpondit Albertus: *Satis omnino paratum mihi negotii eſt, qui duo Regna, totque ditiones adminiſtrandas, gubernandaſque ſuſcepi. Unius animo vix regi iſta poſſunt. Si imperii cura adjiciatur, impar ero. Gratias itaque electoribus ago; alium ad Auguſtum iſtud munus, aptiorem me, facilè reperient. Hoc illis, legati renunciate.*

Hæſerunt inſperato reſponſo attoniti primùm legati, mox cum intelligerent, promiſiſſe Albertum Hungaris, nunquam ſe ſine eorum conſenſu, oblatum etiam ultro imperium acceptaturum, id egerunt magna

magna contentione, ſedulitateque, ut illi in Germanorum gratiam aſſentirentur, fidemque Alberto reſignarent. Demum ad eum reverſi, ita expugnare animum ejus ſunt aggreſſi, cum precibus, ut ipſe è concilii loco digreſſus magnam lachrymarum vim effuderit, ac tandem reverſus, Principum electionem ratam habuerit.

§. IV. *De Carolo V. Imp.*

Carolus V. Imp. cum urgeretur, ut ad imperium aſpiraret, veritus, ne Franciſcum I. Galliæ Regem, ea ſollicitatione offenderet, quòd is quoque imperium ambire diceretur, ſuum illi animum aperuit. Reſpondit Rex Franciſcus, *Nihilo magis ſe offenſum iri, quàm ſi duo Virginem unam ambirent; pergeret proinde bonis avibus, Deum feliciori adfuturum.* Felicior fuit Carolus, quem Principum electorum calculi, Cæſarem elegerunt. Sur. in com.

Quid, quòd oblatum ultro à Paulo III. Pontif. maximo, *Maximi, Fortiſſimique* cognomen, admittere recuſavit? Illi in conſcientia, gloriæ theatrum erat.

Quo quis propius ad virtutem accedit, eo longius inanis gloriæ auram fugit.

Quanquam plura Carolus à ſe dimiſit, quàm alii acquiſiverunt. Et ut infra vir-

tutem suam, imperia regnaque mundi esse ostenderet, nihil sibi tandem retinuit. Magna cum laude in imperio, & tot Regnis vixit; majore obiit, qui sine imperio & regnis vitam finivit. Ambiant alii, Carolus contemsit.

§. V. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

Prudentissimus Regum non immeritò sua ætate Philippus II. Hispaniarum Rex est dictus. Regis vitam conditioni textoris similem esse dicebat. Labor omnino ingens textoris, & qui honinem totum requirit. Quippe laborat brachiis, manibus, pedibus, oculis, telæ perpetuò affixis, animo, per tot fila distracto, quorum nunc hoc rumpitur, nunc illud implicatur, & confestim adesse oculi, manusque debent: Quod si quispiam fortasse filum transversum præscindat, quicquid orsum est laxatur, retexiturque.

Regis labor, maximus quoque & perpetuus. Cor in varia multipliciaq; fila divisum est, & adesse illi manus, oculique semper debent. Filum unum in Hispania est, alterum in Italia, tertium in America, quartum in Belgio. Unumquodque totam exigit inspectionem, industriam, laborem. Filum fortè unum in Italia rumpitur? religan-

ligandum est. In America laxatur? concinnandum est. In Belgio implicatur? providendum est, ne malè tota tela uniatur. Alibi dissolvitur? retexendum est. Ita Rex semper affligitur, & in concinnanda perficiendi regni tela, totus, dum vivit, occupatur. Cerv. & alii plures.

§. VI. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Quis neget Alberto Pio, Belgarum Principi animum supra imperia, & regna fuisse? Meruerat militari togataque virtute, Romani imperii diadema; hoc erat Principum electorum de eo judicium. Sed animus ejus tam expers ambitionis erat, ut ultro bis oblatum respuerit. Coaluerant in illo summa magnitudo, & summa modestia, diversæ omnino, & ferè semper adversæ virtutes.

Hæreditario successionis jure, devoluta ad eum erant regna Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Bosniæ, Serviæ, Halitiæ, Vlodomiriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ, Archiducatus Austriæ, ducatus Silesiæ, marchionatus Moraviæ, Lusatiæ, & Burgaviæ; comitatus Habspurgi, Tyrolis, & Ferettæ; principatus Sueviæ; Lantgraviatus Alsatiæ; Marchia Torgestina & portus Naonis.

V 5 Quid

Quid ipse? Ferdinando II. patrueli suo, & Cæsari inaugurato, quod obstupescet omnis ætas, munificentia nullis ante seculis audita, dono dedit. Parem animum audeo dicere nemo reperiet. Scrib. & Orat. fun.

§. VII. *De Maximiliano I. Imp.*

Posset contemtor opum Maximilianus I. appellari, nullum apud se earum acervum patiebatur. Dicebat enim; *Hominum mihi, non opum, demandata custodia est. His si vel semel caperer, ilico è Rege servus fierem. Jac. spieg. Servus est, qui cupiditati & avaritia servit. Rex est,*

Quisquis ingentes oculo irretorto,
Spectat acervos. Hor. l. 2.

§. VIII. *De Friderico II. Imp.*

De Friderico II. Cæs. dici nihil, nisi quod admirationem superat, potest. Cum animadverteret, tot quotidie regnis suis, & imperio, hostes insidiari, & eas machinas adhibere, quibus à solio deturbaretur; *Tantine*, inquiebat, *est diadema? Ego verò libenter & sceptrum & diadema deponam, si meliorem me, imperio præficere, cœleste Numen decreverit.*

verit. Quippe non alio consilio imperii coronam suscepi, quam ut Dei gloriam, non meam, augerem, bonoque publico prodessem. Aliter in mei electionem non consensi. Lam.

Cùm in urbe Pragensi, conjugis Eleonoræ, & Ferdinandi filii inaugurationi interfuisset; spectassetque juvenum Academicorum scenam; *Inter Reges veros*, ajebat, *& istos scenicos, hoc tantùm reperio discrimen, quod hi hora una, aut altera regnent, isti annis aliquot. Utrorumque gloriam tempore tantùm differre.*

Jam verò aurum, & quicquid mortales suspiciunt, non aspernabatur tantùm, sed etiam irridebat. Si quid fisco, propter rebellionem, aut discrimen aliud accessisset, nihil sibi de eo retinebat. *Aurum*, inquiebat, *eo apud me est loco, quo lutum. Nisi bene meritis, statuenda ex auro argentove præmia essent, nunquam mihi de metallis ullis cogitandum putarem.*

CAPUT XV.

De vestitûs modestia, Principum Austriacorum.

SCiverunt Principes Austriaci, Regiam Cæsareamque majestatem virtute, non corporis cultu, conitare, idcirco captare

laudes ex corpore nunquam voluerunt. Immodicus vestium luxus, certissimum vanitatis est argumentum. Nec auri fulgor, aut argenti, aut gemmarum, Principem ostendit, sed alta mens, & terrenis rebus altior animus. Hunc animum in Austriacis Heroibus, porro videamus.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Fuit is inprimis in Rudolpho I. Imp. Hic cùm Ottocarum, Bohemiæ regem, prælio à se victum, ut fidem sibi Cæsari juraret, evocavisset; venit ille, sed cum magno & splendido comitatu. Nec tantùm in eo, viri auro, gemmis, serico nitebant, verùm & equi, quorum phaleris nihil pretiosius. Eminebat, ac Emicabat ipse Rex, quem radians purpura, & gemmæ auro inclusæ tegebant.

Id cùm Rudolpho significatum, moneretur que etiam à proceribus suis, ut tam splendidum Regem excepturus, ornatiore veste, cultuque Cæsareo uteretur; subridens ipse, *Imò*, inquit, *Bohemiæ Rex, griseam meam vestem sæpe derisit, at nunc ipsum vestis mea grisea deridebit. Vos proceres mei, arma & equos expedite, & accincti instructique, ut ad pugnam, state. Advenis istis, decus armorum*

rum Teutonicorum, non vestium ostendite. Hoc me vobisque dignum est. Ita dixit, nèc aliter fecit. Militari in veste, eaque vili, intra tentorium conscendit, ad quem, cum Ottocarus accessisset, & in genua procubuisset, aurum suum, isti Cæsaris cultui primò submisit, tum jurejurando fidem suam obstrinxit.

Nec sine ludibrio; nam cum petiisset Ottocarus, ut à nemine in hoc officio conspiceretur, jussit Imperator, ut tentorium, in quo res hæc gerebatur, subitò decedentibus Aulæis, panderetur, revelareturque, ut ab omnibus geniculans Rex, conspici omnino posset. Factum & industriè, & velut casu. Volebat Rudolphus, Cæsarem, non vestem, à Rege isto coli. De Roo.

Si cùm in exercitu ageret, integra quandoque vestis in promtu non esset, laceratam resarciri jubebat, & iterum induebat.

Die quodam, manè egressus & solus, cum esset frigidior aura, vidissetque in Pistoris domo, ignitos recentesque è fornace carbones, fidenter intravit, astitit, se calefecit. Prodit mulier, & eum intuita, necaliunde, quàm ex vestitu, qui plebejus erat, æstimans, *Heus*, inquit, *parum te decet, ad mulierculas, & in alienam domum intrare.*

Cui

Cui Rudolphus; *Miles sum, mea mater, res meas in Cæsaris obsequio contrivi; ille tamen parum benignè me nunc habet, nec pro spe, aut meritis muneratur.* Ad illud Cæsaris nomen, mulier stomachari, excandescereque cæpit, nec pauca in Rudolphum evomere. *Iste est vir*, inquit illa; *qui nos, & nostra perdit, pauperum scopulus & exitium. Meritò ista vobis eveniunt, qui illi adhæretis, & sequimini. Ut plura eveniant, etiam opto.*

Recreavit ista mulieris procacia Rudolphum, qui mox; *Age mulier, ne pro me sollicita sis, imò de me missum fac; sed te, & qui conditionis sunt vestræ, qua tandem re læsit?* Non se continuit mulier, *Illene?* ait, *qui omnes hujus urbis pistores, antea satis lautos, fortunis evertit? Actum videri de nobis potest. Sed tu supersede sermonibus istis, nec ultra aut molestiam, aut impedimentum adfer.*

Plura parabat Rudolphus, sed illa, vase aqua pleno, in accensas prunas injecto, sermonem abrupit. Unde fumo, vapore, cinere, perfusus Rudolphus, domo excedere cogitur. Lips. in mon.

§. II. *De Carolo V. Imp.*

Non propterea tamen vestem, Carolus V. Imp. dissimulavit. Apparere laneo in amictu, non supra plebejum, modo solebat,

lebat, etiam cùm Cæsarem, Regem, Principem, variis in locis se ostentaret. Unde cum Mediolanum, Insubrum urbem, novus intraret dux, non in veste, sed sub umbella agnitus fuit. Gestienti animo cives, ut illum exciperent, omnia instruxerant; plateas aulæis, tabulis, frondibus ornarant, se ipsos vestibus pretiosis & elegantibus, & erat aurea umbella parata, quæ ingredientem tegeret. Populus in spectaculum effusus, oculos in novum Principem intendebat.

Ubi ille advenit, Imperator ipse, tot Regnorum Rex, tot provinciarum Princeps, & Dominus, in lanea, atra, penula, vilique pileolo, sub umbellam se dedit. Videbant eum cives, & requirebant, ac potissimùm matronæ Virgines, virorumque vaniores, qui non plebejam istam vestem, sed trabeam, & illusum auro amictum, fulgentesque in capite & collo gemmas expectabant. Ita & ex veste voluit æstimari. Zen. Scrib. Heut. aliique.

Quid, quod idem Carolus, vestiariam in Germania, Belgioque legem tulit? Quippe usum sericæ vestis, nobilibus tantum personis, magistratibusque, habita census & honorum ratione permisit. Const. imp. c. 11. & seq.

§. III. *De*

§. III. *De Ferdinando II. Imp.*

Quis in Ferdinando II. Cæſ. veſtium ſplendorem, aut luxum ſuſpicetur, qui corpus cilicio frequentiſſimè caſtigabat? Et hoc quidem ſæpius, quàm purpuram induebat. Ne majeſtatem obfuſcaret, dignâ Cæſare in veſte, quandoque ſeſe oſtendebat, ut feſti, inaugurationum, vel ſolemnium pomparum dies exigebant. Aliàs nihil ultra nobilitatis morem in eo apparebat, ſæpe aliquid infra. Improbabat luxus arrogantiam, & luxum exemplo coërcebat.

§. IV. *De Alberto II. Imp.*

Ornare animum malle, quàm corpus, Regium eſt; animus imperat, non corpus. Nec purpura Regem facit, ſed excellens natura.

Id ſibi prorſus perſuaſit Albertus II. Imp. Idem Bohemiæ & Hungariæ Rex, vulgari veſte utebatur, in qua nec ſplendorem admirareris, nec pretium æſtimares. Illam verò pretioſus omnino, magnificuſque baltheus decorabat, ut vel hinc Cæſarem agnoſceres, & illi ſemper in manu gladius, ut militem crederes. Cuſpin.

§. V. *De*

§. V. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Certavit in Alberto Pio Belgarum Principe, majestas cum modestia: vultu ad majestatem compositus erat, animo ad modestiam. Et idcirco vestis illi decora, non superba. Hoc modo quoque popularis fuit.

Sed & fuit antiqui moris tenax, ideoque antiquo in cultu semper, sine arrogantia, sine vilitate. Malebat se intra prudentiæ limites modestum exhibere, quàm in auro suspiciendum.

CAPUT XVI.

De eruditis, & eloquentibus Principibus Austriacis.

DOctrina clari Principes nobiles, ornamenta sunt orbis terrarum, nec fulgentius ullum est lumen, quàm in majestatis fastigio resplendens eruditio. Beatæ quoque, ac felices sunt Respublicæ, quas eruditi Principes regunt.

Et verò potissimum est gubernandi instrumentum facundia, quæ ex ore regnantis efflorescit. Equidem splendidissimum est majestatis decus, in Augusto vertice diadema, sed tum nimirum, cum doctrinam simul coronat. Hanc in Principibus Austriacis coronavit.

§. I.

§. I. *De Maximiliano I. Imp.*

Inprimis in Maximiliano I. Cæſ. cujus tanta eloquentia fuit, ut illam ſatis admirari exteri non poſſent. Loquebatur non Tritonicè tantùm, Gallicè, Italicè, verum etiam Latinè, eleganter & copioſè. Id faſſi ſunt, Regum aliorum oratores, adeoque ipſi electores & imperii Principes, qui diſertiſſimas ejus orationes, frequenter in comitiis, de rebus arduis audiverunt, laudaveruntque. Valebat equidem in eo plurimùm natura, ſed tamen etiam ex arte dicebat, agebatque. Heut. Cuſp. aliique.

Tantæ eloquentiæ fundamentum, ſumma fuit in eo doctrina. Quippe nulla res erat hominis ingenui digna cognitione, in quam animum non intenderet; nulla ferè ars, in quam non doctiſſimè commentaretur. Commentarios rerum à ſe geſtarum, ſtylo terſo & eleganti ſcripſit; item dè quorundam animalium ingenio. Vnde conſtat, arcanas quaſdam naturæ cauſas penitus illi cognitas & perſpectas fuiſſe. Taceo Opuſcula quædam, quæ Germanicè luſit.

Cùm ex urbe Linda, Conſtantiam navigaret, nactus otium, res uno anno geſtas,

ſtas, ſcribæ ſuo pulcherrimo ordine, & explicatis circumſtantiis omnibus dictavit, ut ex hoc velut compendio materiam hiſtorici deſumerent. At nemo poſt ejus obitum conſequi potuit. Differebat de ſyderum motibus, de rerum naturalium cauſis, de geſtis regum aliorum, quæ apud Hiſtoricos legerat, cum omnium admiratione. Quis non miretur tam facundum fuiſſe, qui ab infantia ad annum uſque ætatis vndecimum pæne mutus & elinguis fuerat viſus?

§. II. *De Carolo V. Imp.*

Non afferam, multam in Carolo V. Imp. peritiam, qui regnare pœne prius debuit, quàm ſcientias comparare. Sed inter regnandi negotia, quod ætas non acquiſiverat, lectione & experientia, compenſavit. Hæc verò rerum eſt magiſtra. Legebat aſſiduè Germanici, & Hiſpanici imperii hiſtorias, addebat, & veterum omnis ævi monarchorum res geſtas, ut nihil ignoraret, quod imperii, & tot regnorum molem ſuſtinebat.

Callebat linguas, Germanicam, Gallicam, Hiſpanicam, Belgicam, Italicam, diſertèque loquebatur. In latina titubabat. Sed res ab eo præclarè geſtæ doctrinam pru-

prudentiamque non vulgarem arguerunt. Ingenio excelſo, naturæque dotibus planè eximiis, prædirus eſſe debuit, qui ſic imperavit. Heut. Zenoc. & alii.

§. III. *De Ferdinando I. Imp.*

Ferdinandus I. Caroli frater, latini ſermonis peritus erat, & eo libenter utebatur: Eraſmi libellum, de Principis inſtitutione, ferè ſemper in manibus habebat; & illi de ejus eruditione gratias egit. Ciceronis de officiis præcepta, ab ineunte ætate ſibi tradita explicataque, toto vitæ tempore familiariter coluit, & graviſſimas ex iis ſententias in procerum concilio recitavit.

Studium Hiſtoriarum admodum dilexit, eaſque inter prandendum prælegi, ſibi curavit. Imò non exiguis ſumtibus plures in lucem Hiſtorias produxit, ut ſibi & toti orbi conſuleret. Quodam tempore, cum inter venandum, porrectus illi libellorum ſupplicum faſciculus eſſet, huncque venationis præfecto, ut quod in iis continebatur, compendio repræſentaret, tradidiſſet, ille verò facere ſe poſſe negaret; *Sinite ergo*, inquit, *eos me alere, qui ſciant, & poſſint.* Ex Paneg.

§. IV. *De*

§. IV. *De Friderico III. Imp.*

Quasi deceret Rom. Imperatores, Romano idiomate uti, Fridericus III. Imp. ferè semper & libenter, latinum sermonem usurpabat. Poëticam, & Oratoriam non æstimabat, quòd disciplinis, quæ ad regnandi peritiam spectarent, ferè solis applicaret animum. Dicebat, *aliorum esse dicere, Regum, & Principum facere.*

Jurisperitos non admodum dilexit: ab iis enim juris æquitatem inverti, aut involvi credebat. Proinde in justitiæ administratione, ex æquitate, jureque naturæ plurima definiebat. Ob id etiam, novum de feudis librum conscribi jussit, in quo miro ordine, in seriem longè pulcherrimam omnia reduxit.

Interim, ut erat virorum eruditorum amantissimus, ita ipse doctissimus. Cum autem plerumque Viri principes, morionibus ad oblectationem uti soleant, dicere solebat, *stultis se nunquam delectari posse, aut superbis amicum esse*, nec tales ad aulam suam admittebat. Cusp. aliique.

§. V. *De Rudolpho II. Imp.*

Quanta Rudolphi II. Cæs. doctrina fuerit,

fuerit, data ex tempore, legatis ad eum missis, responsa, declararunt. Nihil sapientius, prudentiusve dici potuisse, ipsi legati fatebantur.

Cum aliquando Poloniæ Regis legatus, coram eo longissimam, & per multa capita distributam orationem pronunciavisset, ut erat non minùs doctrina, quàm sanguine vir illustris; Cæsar latino illi sermone, eoque ornatissimo, ita respondit, ut eundem capitum & rerum ordinem, quem ille tenuerat, observaret.

Quod cum audivisset Julius, dux Brunswicensis, Princeps verè doctus & facundus, apud alios postea imperii proceres, non semel confessus est, *nunquam se crediturum fuisse, tantam in Rudolpho Cæsare, dicendi pariter, & sapiendi vim esse, nisi ipse præsens audivisset.*

Amplius verò, cum antea nullas adversus Turcas suppetias dare vellet, postquam ejus doctrinam, & eloquentiam cognovit, plura deinceps auxilia præstitit, quam aut exposceret Rudolphus, aut ipse jure deberet.

In Astronomia, vix ulli cessit, & extant tabulæ Astronomicæ ab eo conscriptæ. In Viennensi etiam Bibliotheca, volumen latinarum Epistolarum, ejus manu exaratum, asservatur. Linguas, Hispanicam,

cam, Gallicam, Italicam, Bohemicam accuratè calluit. Orat. fun. & Vit. ejus.

§. VI. *De Maximiliano II. Imp.*

Sed & Maximilianus II. Imp. ne quid ignoraret, omnes intelligebat, Germanos, Italos, Hispanos, Belgas, Gallos, Bohemos, Pannones, quarum linguas hausisse à natura videbatur. Latinam non noverat tantùm, sed illa tersa, pura, elegans, ex ore ejus profluebat.

Temporis aliquantulum, quieti & hortorum inspectioni tribuebat, plurimum disciplinarum omnium studiis. Et quidem ante cœnam deliberationibus vacabat, vel litteras de responsis antea decretis, rursus audiebat.

§. VII. *De Philippo Archid. Austriæ.*

Maximilianum patrem, non imitatus tantum, sed æmulatus est filius Philippus Austriæ Archid. in quo litteræ omnes, & bonæ artes fuerunt. Hauserat illas sub Francisco Buslidio Luxemburgensi, quo puer & adolescens usus est præceptore. Nec illas tantum, sed & virtutes, quarum ornamentis ita excultus animus ejus fuit, ut

ut dubitarent homines, meliorne esset an doctior.

Erat insuper tanta morum Suavitate, ut pœne ad se omnes pelliceret. Et poterat sanè cum omnibus loqui, agereque, qui diversas septem linguas, quemadmodum Cæsar parens, didicerat. Et verò quod admirabantur universi, in omnibus facundissimus erat. Hujus tantæ eruditionis, & virtutum ejus fama, ita creverat apud omnes, ut ista ætate Principum decus, & suæ Gentis maximum ornamentum crederetur. Paneg.

§. VIII. *De Ferdinando III. Imp.*

Majus mihi nunc admirationis exemplum restat, in Ferdinando III. Cujus in Cæsareo throno majestas non ita pridem imperium illustravit. Nihil ignorare videbatur, quia omnia didicerat. In omnes Philosophiæ partes ingenium intulerat, &, qua fuit memoriæ firmitate, omnia comprehendebat.

Nihil in liberalium artium studiis, eum latebat; singulas magna ingenii felicitate, facilitateque arripuerat. Hic & Philosophiæ suæ, omne aliud doctrinæ genus adjunxerat, ut qui natus erat ad homines gubernandos, omnibus sapientiæ subsidiis niteretur. Memor. temp.

CAPUT XVII.

De Conversatione Principum Austriacorum, cum viris doctis.

Quales ii sunt, qui cum Principibus versantur, tales & ipsi Principes æstimantur. Austriacæ familiæ Principes, viros doctrina claros & amaverunt semper, & eorum consortio sunt delectati. Nimirum quos natura aliis voluit antecellere, hos suo amore dignos judicarunt.

Hoc est scientiam magnifacere, & litteratos honorare, quorum patrocinium, quicunque unquam magni heroes, avidissimè susceperunt. Nec sanè sine fructu. Quippe assidua cum excellentibus ingenio, eruditioneque viris, conversatio, parit eruditionem. Aliquos igitur producamus.

§. I. *De Maximiliano I. Imp.*

Maximilianus I. Imp. verè alter sua ætate Augustus, nullos amore majori quàm doctos complectebatur, & patere illis, ut aulam suam, ita animum volebat. Patronum eorum dici, maximo sibi honori ducebat. Dicere etiam palàm solebat, *Eos se amare æstimareque, quos Deus aliis voluisset antecellere.*

Colebat Joan. Cuſpinianum, Joan. Nauclerum, Conrard. Peutingerum, Jacob. Maulurm, Ladiſl. Sunthemium, hiſtoriæ ſcriptores. Ex mathematicis mediciſque Georg. Collinitium, Joan. Vogelinum, Joan. Stabium.

Nec colebat tantùm, verùm etiam ad ingenia, ſtudiaque excolenda, ipſe adhortabatur, ac præmiis excitabat. Eorum ſe diſcipulum, & amicum profitebatur, ſcripta, lucubrationeſque ſuas, eorum iudicio ſubmittebat, conſilia de imperii negotiis exquirebat; quod ſtatuendum pro publico bono videbatur, cum iis communicabat. Demum quicquid otii nanciſcebatur, iis dabat, & majeſtatem audiendo libenter inclinabat.

§. II. *De Carolo V. Imp.*

Carolum V. Cæſ. quanquam regnorum, & imperii magnitudo, quæ in tenerum adhuc adoleſcentem incubuit, citius, quàm oportuiſſet, à ſtudiis bonarum artium abduxerit, earum tamen amorem non amiſit, nec erga litteratos reverentiam excuſſit.

Unde cùm Genuæ oratorem latinum, facundiſſimè dicentem audiret, nec ſatis intelligeret, ingenuè confeſſus; *Jam ego*, inquit,

inquit, *puerilis incuriæ meæ do pœnas, & præsagum Adrianum præceptorem meum, qui hanc mihi pœnitentiam prædixit, agnosco.*

Egit verò quamdiu vixit, libenter cum viris eruditis, quos & admirabatur cum amore, & ad Ecclesiæ, Reipublicæque officia, cum honore promovebat. Cùm historicis potissimùm oblectaretur, & illi ferè semper Thucydides in manibus esset, quem Gallicam in linguam Claudius Massil. antistes, ejus rogatu, verterat, tum de ejus politicis axiomatibus, sæpissime cum doctissimis viris, sibi à consiliis conferebat, eorum sententiam exquirebat, suam ipse etiam proferebat.

Imò cum prudentissimum Authorem istum, quotidie legeret, ut idem consiliarii facerent, adhortabatur. Cum de re ardua, capiendum consilium esset, doctis deliberantium dissertationibus, vehementer capiebatur, & nonnunquam dimisso concilio repeti apud se jubebat. Dicere frequenter solebat, *Ea consilia, quæ à viris doctrina præstantibus, rerumque, de quibus consultaretur, gnatris procederent, non posse non utilia videri.*

§. III. *De Ferdinando I. Imp.*

De amore Ferdinandi I. Imp. in viros, summo ingenio, & præstanti eruditione

 præ-

præditos, nemo dubitabit. Hos à latere suo vix unquam dimittebat. Ne quis dubitaret, insignibus suis librum appingi curavit, ut litterarum & litteratorum patrocinium, sibi esse commendatum ostenderet. Idcirco in ejus Aula, non pauciores eruditi viri, quàm nobiles, omni tempore fuerunt. *Ad majestatis suæ æstimationem non minus illos, quàm hos esse*, dicebat. Et verò etiam plus se emolumenti, ab illis habere fatebatur, ideoque singulari clementiâ, magnificentiâque ornabat. Scriptores Rer. Germ.

§. II. *De Rudolpho II. Imp.*

Sequitur memorabilis exempli Rudolphus II. Imp. Qui tanti viros eruditione claros æstimavit, ut quicunque eâ alibi præstantes essent, ipse in Aulam suam evocaret, & summo in honore haberet. Sæpe Joan. Bravitium à secretis, media nocte accersiri ad se jubebat, & de arduis imperii negotiis, cum eo conferebat.

Nonnunquam Mathematicos suos, noctu quoque vocabat, ut cum iis de astronomicis rebus ageret. Erant tum in disciplina præcipui Tycho Brahe, & Joan. Stuplerus. Alios, si qui essent, litterarum cognitione præstantes & amabat & honorabat. Iidem.

§. V. *De*

§. V. *De Maximiliano II. Imp.*

Sed ambos Maximilianus II. Cæſ. ſuperavit, qui non tam aulam, quàm quandam in aula Academiam habuit. In ea quippe Politici, Hiſtorici, Mathematici, Oratores, Medici, Poëtæ, quos amare parum eſſe ducebat, niſi etiam honore affeciſſet.

Et quoniam eorum artes florere in Viennenſi Gymnaſio magna cum laude ſciebat, ideo urbem illam frequentius incolebat. Quotidie cum his, aut illis, negotium illi erat, nec otium eſſe cum illis converſari, ſed negotium exiſtimabat. Macte Maximiliane, pacis artes colendo, pacem imperio dediſti. Orat. fun.

§. VI. *De Ferdinando II. Imp.*

De te verò quid dicam, Ferdinande II.? Doctos amabas, nemo ignorat; ſed quibus vitæ morumque integritas adhæreret. Libenter eorum opera utebaris, fatentur omnes; quia ſine doctrina nihil rectè fieri credebas.

Eos vel ad honorifica munera, vel ad opima ſacerdotia promovebas; quid juſtius, quàm digniſſimos ad Eccleſiæ, vel Reip.

 officia

officia admovere? Duo tibi hominũ genera in consortio placebant, boni, & docti; ab illis pietatem, ab his doctrinam hauriebas, ab utrisq; regnandi prudentiam. Quippe regnorum sunt fulcra, probitas & sapientia.

Fuit in eo, quod omnes extollent Academiæ. Siquidem comitum, aut Baronum filios, quos honore aliquo academico ornatos, intelligebat, aut aureo monili decorabat, aut in numerum cubiculariorum adlegebat.

Imò in conferendis Reip. officiis, eos cæteris omnibus præferebat, quos Academia aliquo honore donavisset, vel quos doctrina excellere compertum haberet. Adeò nec ætas, nec obsequiorum diuturnitas prævalebat, ubi doctrinæ testimonium, Academiarum judicio ostendebatur. Nobilitati par doctrina, sæpius pluris apud eum æstimabatur. Lam.

CAPUT XVIII.

De sapienter dictis Principum Austriacorum.

E Fœcundis pectoribus non possunt non sapienter dicta prodire. Nascuntur in illis, & inter loquendum enitescunt. Semper verò fœcunda Austriacorum pectora fue-

fuerunt, tanquam sapientiæ domicilia, ex quibus, quæ dicta aliquando prodierunt, quasi quædam sapientiæ documenta, videamus.

§. I. *De Friderico III. Imp.*

Fridericus III. Imp. cùm in Hungaria, Gunzienses suæ ditioni subjecisset, conversus ad suos; *Magnum*, inquit, *opus egimus, sed majus nunc restat, ut qui hostes vicimus, vincamus nos ipsos, avaritiæque & ultioni frænum imponamus.* Volebat sapiens Imperator, vitam hosti victo relinquendam, & quod illi restabat. Sylv. l. 2. de dict. Alph.

Idem cum Lintii in Austria, sub vitæ occasum decumberet, crusque illi sphacelo affectum, ex medicorum consilio resertum esset, ipseque cogitabundus illud suspiceret, à suis quæsivit, *quod inter Cæsarem & Rusticum discrimen esset?* Tum ipsemet subjunxit, *Rusticum sanum ægroto Cæsare feliciorem esse.* Vixit annos LXXVIII. imperavit LIII. quo Cæsarum post Augustum nemo diutius imperavit.

§. II. *De Maximiliano I. Imp.*

Venerat quidam, obscuro loco natus, ad Maximilianum I. Imp. & oblatis aureorum nummorum aliquot millibus, ut nobilitate dona-

donaretur, efflagitabat; cui Cæsar, *Ditare te possum, nobilem efficere sola te virtus potest.*

§. III. *De Carolo V. Imp.*

Nihil fœcundius Caroli V. Cæs. pectore. Nihil ex eo prodiit, nisi quod omnibus esset documentum. Borgia dux Candiæ, cum ab eo postularet, ut ejus consensu mundi negotiis renunciare posset, & curas omnes saluti tantùm impendere, etsi prudenti ejus consilio Cæsar egeret, consentit tamen, sed mox ad astantes; *Ego*, inquit, *de hoc facto ita sentio, plures ejus æmulos futuros, quàm imitatores.* Ribad. in vit. Borg.

Ferebant ægrè principes, qui illi à consiliis erant, quod partam tam sæpe victoriam non eo usque prosequeretur, donec debellatum esset. Quibus ille; *Ethnicis principibus sola clari nominis fama finis olim fuit; at nobis Christianis Cæsaribus alius est scopus, quibus non laus apud homines cordi esse tantum debet, quantum eorundem salus.* Just. Gobl. in Chron.

Idem cùm Belgicis ditionibus sese exuisset, & earum regimen in Philippum filium transtulisset, repentè in fletum totus abiit; cum mirarentur vehementer proceres, *Ne miremini*, inquit, *an nescitis senectuti proprium esse facilè lachrymari?* Georg. Rich. in axiom.

Cum

Cum Româ Senas, atque inde Florentiam profectus esset, curiosè arcem illam inspexit, quam ejus gener Alexander dux extruxerat, & ingenti machinarum æ nearum apparatu adornarat. Tum eundem illum generum suum admonens; *Age*, inquit, *in libera civitate principatum auspicaris, sed tibi ab exulum, civium, omnium denique hominum insidiis diligenter cave. Omnia apud liberos principatum inchoantibus timenda sunt.* Heut. l. 13.

Anno superioris seculi 53. Albertus Brandenburgicus, hostis imperii declaratus, & quidem ab imperii senatu, quem Cameram vocant, Cæsarem, ut pro se intercedere vellet, per litteras rogavit; Respondit hoc modo Cæsar. *Non Cæsaris est, legitimam juris exercendi viam imperiali senatui præcludere. Judicio, positis armis, si ita lubet, contende. Si tibi roganti, teque sistenti, jus negetur, tum Cæsaris officio fungar, & pro te intercedam* Idem.

Cum de imperio à se abdicando, deliberaret, hortarenturque proceres, ut suprema sibi potestate reservata, negotia per alios administraret; *Ah*, inquit, *me præsente ita res administratis, ut de vobis omnes conquerantur; quid igitur fiet, si gerendis ipse rebus non intersim?* Idem.

§. IV. *De Ferdinando I. Imp.*

Optimè Ferdinandus I. Imp. ex humanæ conditionis consideratione, sapientiam hauriebat, unde dicere solebat; *Hominem cælo, terra, mari, arboribus, brutisque, longè inferiorem esse.* Sciscitanti cuidam causam, *Quia*, inquit, *hæc omnia tempestatem præsentiunt, solus homo mala sua nec sentit, nec prospicit.* Verè, etsi aliunde magna hominis dignitas elucescat. Dicebat etiam, *Malle se gemmarum & thesaurorum suorum jacturam facere, quàm litteras nescire*; etsi se modicè in iis versatum esse, ingenuè fateretur. Chr. Germ. Imp.

Si quid ei præter expectationem eveniret, hoc se versu solabatur; *Accidit in puncto, quod non speratur in anno.* Cum autem senator quidam ei responderet; *Perditur in puncto, quod non reparatur in anno*; *Incommodo isti*, inquit Cæsar, *piæ preces & sapiens consilium medentur.* Paneg. ejusd.

§. V. *De Philippo I. Hisp. Rege.*

Philippus I. Hispaniæ Rex, falconem in aula sua alebat, quæ cum esset cæteris illius generis ferocior, quodam die in Aquilam, in palatii vestibulo constitutam,

forte

fortè involat, fauceſque ei adunco roſtro præſcidit. Indignatus Rex, falconem talionis pœnâ mulctari mox imperat: factum autem redarguentibus quibuſdam proceribus, *Indecorum & impium eſt*, inquit, *populum in Principem ſuum inſurgere; Aquila avium eſt Princeps.* Chr. Hiſp.

§. VI. *De Philippo II. Hiſp. Rege.*

Nemo ſapientiam in Philippo II. Hiſp. Rege deſiderabit. Vita & dictis mundo illam oſtendit. Cum ex amicis,ut videbantur, quoſdam inimicos experiretur, hoc tantùm dicebat: *Hæc eſt rerum humanarum conditio. Fallitur, qui aliud expectat; & naturæ leges evertere velle videtur, qui aliud ſperat.*

Si quæ exſurgerent in caſtris, aut alibi, militares ſeditiones, de iis ita paucis diſſerebat: *Fatum hoc magnorum imperiorum eſt, ut in eorum viſceribus aliqui ſemper motus excitentur. Nec his Romanum imperium caruit.*

Si fortaſſe provinciæ aliquæ defeciſſe dicerentur, reſpondebat: *Magnis Regnis idem quod Rupibus, evenire ſolet. Ex his varia varii detruncant, bono quidem ſuo, ſed exiguo rupium damno: Verendum tamen, ne ſi audacius inſurgant, tandem ſecta, rupis fragmentis obruantur.* Si quandoque præter expectationem, quædam illi nunciarentur; *Nihil*, inquiebat,

mihi præter opinionem accidit, nihil improvidum. Orat. f. Cerv. Scrib. Berl.

Multi beneficiorum acceptorum immemores sunt, & plures animum, etiam post beneficia, ingratum ostendunt. Id si in aliquo Philippus animadverteret; *Omnino,* dicebat, *ignorarent illi, rerum humanarum conditionem, aliud qui sibi promitterent. Si gratum aliquem experior, inter beneficia pono; si ingratum, inter humana numero.* *Convitiari*, dicebat, *esse humanæ libertatis signum. Nihil frequentius, quàm convitia, in liberis Rebusp. audiri.* Iis ipse nequaquam movebatur. Convitia contemtu vincuntur.

§. VII. *De Alberto I. Imp.*

In eo prælio, quo de imperio Germanico Albertus I. & Adolphus Nassovius concurrentes certaverunt, cum ex equo, primo impetu Adolphus deturbatus, mox in eundem à suis repositus esset, in Albertum vehementius invehi cœpit, & illi acclamare; *Hic Romanum relinques imperium*: cui Albertus, *Illud*, inquit, *in manu Dei & voluntate est situm.* Nihil amplius, quia in pugna paulò post Adolphus, & vitam & imperium perdidit. De Roo. Cusp. aliique.

§. VIII. *De*

§. VIII. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Unum Alberti Pii dictum, tantùm depromam. *Plebejum esse*, dicebat, *beneficium dare, & recensere, quod dedisse, & narrasse, sit præmium accepisse.* Orat. f. Scrib. aliique. Non ignorabat vetus dictum: *Qui dedit beneficium, taceat; narret, qui accepit.*

Monitum: *Beneficii dati gloriam amittit, qui datum jactat.*

§. IX. *De Maximiliano II. Imp.*

Omittere Maximilianum II. Imp. nefas hic esset. Cùm illi, è proceribus quidam gratularetur, quod annum 49. Clymactericum, nullo valetudinis incommodo, ac multò minus mortis periculo, evasisset, sapienter ipse; *Mihi*, inquit, *anni omnes, clymacterici sunt* Ignota omnibus mortis hora, annis omnibus, imò diebus, & horis expectanda est.

Cum animadverteret, leges omnibus præfixas, pro casuum varietate deflecti, leges *nasos cereos* videri, dicebat.

C A-

CAPUT XIX.

De argutiis, & facetiis, Principum Austriacorum.

MAgnorum ingeniorum indicium, argutiæ præbent, & facetiæ, potissimum, cum in iis acumen & honestas. Nec Principes dedecent, in quibus ingenii quoque amœnitas requiritur. Illustrant quippe majestatem, & suavitate terrorem mitigant.

Certè Augustissima Gens Austriaca, tales, semper Principes produxit, quos & gravitas ornaret, ad regimen imperiorum, & hilaritas ingenii, ad conciliandam omnium benevolentiam, componeret. Hi sunt, sed præcipui tantùm.

§. I. *De Rudolpho I. Imp.*

Et inprimis, ipse Gentis Austriacæ parens, Rudolphus I. Imp. tam facetus fuit, quàm Augustus. Venerant duo ad eum oratores, & arduum planè negotium adferebant, quod expediri citissimè oportebat, & hoc ipsi exposita legatione postulabant. Uni erat barba cana, sed capillus niger;

niger; alter capillo cano, sed barbâ nigrâ conspicuus.

Horum tam dissimilem colorem contemplatus Rudolphus; *Non prius*, inquit, *negotium à vobis propositum absolvam, quàm mihi barbæ, & capillorum vestrorum, diversitatis rationem reddideritis.* Dimittuntur, ut de ratione deliberent. At postero die, cùm iterum ad Imperatorem admissi essent, eorum primus hanc reddidit rationem.

Ego, inquit, O *Imperator, hanc præcipuam tota vita curam suscepi, ut ori, gulæque meæ satisfacerem, & idcirco caput nigros capillos retinuit, mentum autem canam barbam irrigatum accepit.* Alter, *Capilli*, inquit, *mei, ô Cæsar, mecum ab incunabulis creverunt, sed post exactos quatuor, & viginti annos, barba mihi capillis junior erupit. Ubi illam ætatem barba assequetur, eundem cum capillis, colorem sortietur. Atque hinc nigra mihi barba est, cani verò capilli.* Risit Cæsar, & quod urgebant legati, negotium expedivit. A. Borl.

Erat illi nasus Aquilinus, justo paulò major, facies interim Regia planè, corpus procerum. Cum autem quodam die, obvium in declivi semita dicaculum quendam hominem haberet, jubetur is à satellitibus de via decedere, & Imperatori cedere. Cum nollet, rogatur causam, & ipse qui Rudolphi facetias clementiamque probè

probè noverat, *præterire*, inquit, *non possum, nam Cæsaris nasus viam implet.* Audiit Rudolphus, & subridens, *Vale*, inquit, *amice, nasum torquebo meum, ne te impediat.*

§. II. *De Friderico III. Imp.*

Anno supra M. CCCC. septuagesimo quinto, Cercelinus, Ludovici XI. Galliæ Regis legatus, ad Fridericum III. Cæs. venerat, ut ei, ne pacem, cum Carolo, Burgundiæ Belgiique principe, iniret, sui Regis nomine suaderet. Hortabatur autem, ut ditiones illas Belgicas, quæ Burgundo parebant, sed ad imperii Germanici jura spectarent, occuparet; Regem suum armis Burgundiam, Flandriam, aliaque ejusmodi loca, quæ Franciæ monarchas aliquando agnovissent, invasurum. Hoc consilium Cæsar eleganti apologo elusit.

Tres, inquit, *olim Juvenes, cum in Caupona lautè tractati, unde symbolum persolverent, non haberent, hospiti promittunt ursum, vicinos agros vastantem, se occisuros, cujus vendità pelle protinus facerent satis. Vix erant in campos egressi, obvium ursum habent, cujus terribili aspectu propemodum exanimati, in fugam mox se conjiciunt. Et quidem unus celeri cursu oppidum repetit, alter in proximam arborem quasi volans, ascendit, tertius cæteris vel timidior vel tardior,*

dior, in terram provolutus, retento intra fauces spiritu, mortuum se fingit.

Ursus hunc jacentem aggressus, nunc ori & naribus, nunc auribus admoto rictu, cum halitum nullum apprehenderet, cadaver putat & abit. Paulò post deposito metu surgit iste mortuus, quem repentè ex arbore desiliens, alter socius latus adit, rogatque sollicitè, quid illi in aurem ursus insurrasset. Et ille, bellua ista profectò, inquit, multò nobis est sapientior. Hoc verò monere visa est, ne in posterum cujusquam feræ pellem venderemus, antequam eam confecissemus. Hoc responso legatum Cæsar abs se dimisit.

§. III. *De Maximiliano I. Imp.*

Argutum Maximiliani I. Cæsaris ingenium, consideremus. Uladislaus Hungariæ Rex, filiam habebat, ætate juvenculam, formæ excellentia præcellentem, quam ut Imperatricem faceret, Maximiliano quanquam seni, conjugem obtulit. Ille verò, *Aliquando*, inquit, *ex parente Friderico audivi, Principi ætate provecto mitiorem adferri mortem non posse, quàm si ei juvencula, matrimonio jungatur. Consultius itaque videri, ut nepotum alteri filia ista Anna destinetur.* Heut. l 4. Argutè conjugium pro se recusavit, pro nepote acceptavit.

Cùm autem idem Uladislaus, ac simul Sigismundus Polon. Rex, Viennâ, ad Maximilianum iter suscepissent, obviam illis

ad

ad quintum ab urbe lapidem, magno cum apparatu processit; ubi verò mediis in campis, tres illi potentissimi Principes convenêre, & ex Rhedis desilientes, sese arctissimè complexi fuêre, facetè, pièque sic exorsus est Cæsar; *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Mox intulit Sigismundus; Faxit Deus, hunc conventum nostrum Reip. suæ salutarem.

Rogaverunt Maximilianum Amsterodamenses, cùm in fortunam majorem & opulentiam, emergere inciperent, num urbem suam muro lateritio cingere, munireque liceret? Respondit ille, *Non esse, quod vereri quicquam possint, præter intestina bella, quibus Hollandos potius, quàm vera quiete dudum delectari animadvertebat. His sublatis urbem suam serico filo circumdarent, neminem se agnoscere, qui eum unquam esset rupturus.*

Quodam tempore mendicus quidam, sed audax, Maximilianum fratrem salutavit, & ut sibi dignam aliquam fraterno amore Eleemosynam largiretur, vehementer rogavit; *At*, inquit Cæsar, *quomodo tibi sum frater?* Ubi ille ab Adami stirpe consanguinitatem hanc fusè deduxit, jussit Cæsar obolum unum duntaxat illi porrigi, adjecit ipse: *Abi nunc, si tantundem à quolibet fratrum acceperis, crede, me divitiis brevi superabis.* Coro. de fact. mem.

Veneti,

Veneti, opibus & viribus suis elati, Maximilianum tanquam imbellem, multò minus sibi parem contemnebant. Cumque illis manus ad arma prurirent, legatos ad eum ablegarunt, qui superba hac voce bellum illi denunciarent: *Senatus populusque Venetus, Maximiliano bellum indicit.* Nec pluribus verbis usi sunt legati. Cæsar autem placido sereno que vultu legatis, mox ita respondit; *Ite & gerite bellum simili stultitia, qua indixistis.*

§. IV. *De Carolo V. Imp.*

Solerti & amœno ingenio, Carolum V. Cæs. natura instruxerat. Post obitum Francisci Sfortiæ, cum Gallicus legatus, Mediolanensem ducatum, Regis sui nomine, ab eo peteret, respondit; *Idem mihi placet, quod fratri meo, Galliæ Regi, placere intelligo.*

Hoc responso, cum ea, quæ optamus, libenter credamus, legatus Carolum assentiri existimavit, idque ad Regem confestim perscripsit. At verò Carolus ducatum illum non minus sibi, quàm Gallo placere sentiebat, atque idcirco non minori à se studio retinendum, quàm à Gallis expeteretur.

Monitus aliquando in castris fuit, ut Ger-

Germanorum militum, ebrietati legem poneret; at ille, *Ebrietatemne, Germanis interdicerem?* perinde id foret, ac si Hispanis rapinas inhiberem. Facetè omnino. Coroz. & alii.

Domesticorum quispiam conquestus aliquando apud eum fuit, quod cùm plurimis annis, suæ majestatis obsequio omnem operam impendisset, minus tamen ipsi, quàm cæteris, de majori celebriorique officio provideretur. Cui Carolus; *An nescis, quò soli vicinior est luna, eò minus luminis, ab eo accipiat.* Chytr. de vit. Car. nimirum in magnatibus usu venit, ut qui illis officio vel ministerio propinquiores sunt, à remuneratione seu promotione sint quoque remotiores.

Scripsit de rebus à Carolo gestis historiam Sleidanus, hanc cum legi fortè audiret, identidem dicebat; *Mentitur nebulo. Nulla historiæ ejusmodi veritas, aut fides inest, cum veritatis fideique lumen in se extinxerit.*

§. V. *De Maximiliano II. Imp.*

Libenter verò etiam jocabatur Maximilianus II. Cæs. Inde cum Aulicus quidam apud eum conquereretur, quod plebeæ matronæ, suo cultu mundoq; nobilitatem superarent, ac proinde castigandum vulgi

vulgi luxum eſſe; *Non audiſti*, inquit, *quod populus nobilium mores, facilè imitetur, ac pernicie illapſa exſuperet? Cum vitioſa cernis, tu verò abſtine, & oculos averte.* Ex ejus vita.

E procerum numero, quidam indoctus, libellorum ſupplicum magiſtros, quique erant à ſecretis, accuſabat, quod nimius eorum eſſet ſplendor, & ſuperba nimis dignitas; cui Cæſar, *Quid inter Achillis, & Alexandri lyram, interſit, quia non didiciſti, ideo frigidè admodum accuſationem inſtituis.*

Cum eſſet in quadam Auſtriæ urbe, ubi bubula caro non ad libram, ut in aliis urbibus receptum, vendebatur, conquerentibus Aulicis, magiſtratui Urbano, ut querelam hanc & incommodum tolleret, mandavit. Moniti à magiſtratu lanii, ad Cæſarem veniunt, & mox;

Si majeſtas tua Cæſarea, inquiunt, *apud nos cum Aulicis ſuis degere perpetuò, ſicut Viennæ, ſtatuerit, receptum facilè morem abjiciemus: aliter privilegio noſtro vim nunquam adferemus.* Riſit Cæſar, & ad ſuos converſus, *Profectò*, ait, *Reges & Principes majeſtatem ſuam nondum lanionum & carnificum rationibus permutarunt.*

Agebat cum eo ſemel vir quidam ultimæ ſenectutis, ſed qui, ut ætatem diſſimularet, canos ſuos, & barbam, fuſco colore

colore obduxerat. Quod ubi Cæsar advertit, adstantes interrogavit, *Quid hunc hominem, integræ mentis, ac sani consilii, intus alere putarent, qui conspicua cunctis notaque nequaquam vereretur?*

Chymicus quidam florenos 20. ab eo postulabat, ut in carbones impenderet, quod exiguo subsidio, thesauros comparare ingentes posset. Verborum ineptiam notavit Cæsar, & *Miror*, ait, *te jam tot annis tantillo subsidio ad Crasi opes nondum pervenisse.*

Contemsit ipse Chymicos semper, & eorum rationes judicio superavit. Compendia quædam machinarum semel ostendebant, sed ipse, *Vos*, inquit, *similes iis estis, qui ferro in hypocaustis accincti, inter pocula somnosque, acies recensent, & castra tentant. Facilis est parvorum in exemplis monstrandorum ratio, at in magnis & usu ipso longè difficillima.*

CAPUT XX.

De Recreationibus, venatione, ac artibus quibusdam, Principum Austriacorum.

CUm mortalium vita, in remissionem ac studium sit divisa, Principes Austriaci

ſtriaci otium, & Reipublicæ curam, ita miſcuerunt, ut ex otio animorumque relaxatione, nullum rebus gerendis impedimentum adferretur.

Porrò cum major ſit poſt otia virtus, & ipſa quies, ſeu etiam animi relaxatio, vires inſtillet, nemo reprehendet, ſi aliquando à rerum tractatione animum ad otium vel recreationem revocarint. Fuit illis otium labor, & in otio negotium invenerunt. Sic quieſcere quandoque voluerunt, non tamen deſidere, aut flacceſcere. Propono eorum recreationes, & diverticula.

§. I. *De Friderico III. Imp.*

Fridericus III. Imp. cùm otium aliquod, imperii res permitterent, rem metallicam tractabat, eaque vehementer delectabatur. Non indigna Cæſare ea tractatio fuit, quæ & oblectationem adferret, & uſum ad Reipublicæ utilitatem referret.

Idem magnam ex hortis voluptatem hauriebat, nec eos perambulando tantùm, ſed herbarum naturam perſcrutando. Qua in re ita profecit, ut ſuæ ætatis medicos fruticum notitia, facilè ſuperaret. Roo: Cuſp.

Cum

Cum alii quidam Principes, saltatione seu tripudiis recrearentur, dicere solebat, *Malle se febri torqueri, quàm operam dare saltationi.* Unde in Italiam profectus, cum Leonora Augusta, postquam ad agrum Florentinum pervenit, apud S. Miniatum, choream puellarum agrestium, quæ saltitando nudas tibias, genuaque ostendebant, fortè reperit, mox verò ad Augustam, *Eamus*, inquit, *meretricum hic ludus est, non virginum.*

§. II. *De Alberto IV. Archid. Austriæ.*

Fuit Albertus IV. Archid. Austriæ, Architectus ingeniosissimus, & quotiescunque otium suppetebat, dolare, torno polire ligna, aliaque id genus, propriis manibus facere, mirum in modum gestiebat. Hoc illi frequens exercitium, nec Principe indignum, cum & corpus hoc labore exerceret, & vacuas sibi horas nequaquam relinqueret. Naturam sequebatur, ad hoc ipse factus. G. de Roo.

§. III. *De Alberto II. Imp.*

Venationem tanquam virilem exercitationem, amavit & exercuit semper Alber-

bertus II. Imp. Quippe dicere solebat, *Se voluptate quavis alia carere posse, venatione non posse.* Habet illa quandam cum arte militari similitudinem, & est quoddam ejus rudimentum. Cusp.

§. IV. *De Maximiliano I. Imp.*

Solo venationis exercitio, Maximilianus I. Cæs. vehementer capiebatur, cui adeò deditus fuit, ut frigora & æstum juxta poneret. Nulla ei jucundior remissio videbatur, quàm lustrare saltus, cubilibus feras excutere, montium juga superare, & horrendis scopulis gradum inferre.

Venit semel in vitæ discrimen, de quo nos Cap. IV. diximus; sed credo, ut divina erga eum benignitas eluceret, non sine miraculo.

§. V. *De Carolo V. Imp.*

Excelsus Caroli V. Cæs. animus, non nisi excelsis delectabatur. Alta indoles alta querit. In castris ipsis, & medio belli ardore, syderum doctrina recreabatur, & cœlestium revolutionum leges, periodosque, magna cum voluptate considerabat.

Regiarum virtutum imaginibus admodum delectabatur, sed quæ à sole, luna, motibus syderum sumerentur. Inde certa quædam acroamata formabat. Aliqua subjungo.

1. *Quemadmodum Sol in cœli fastigio tardissimè movetur, & æquè inopi divitique lucet: ita Principes Austriacos ad imperii fastigium evectos, decet cunctanter agere, consilia non præcipitare, omnia circumspicere, justitiæ, clementiæque lucem, summis & infimis pariter præbere.*

2. *Sicut Solis deliquia, futuras portendunt Regnorum mutationes, aut calamitates: ita Regum errores, etsi parvi, magnam in humanis rebus pariunt perturbationem.*

3. *Ut Luna vim suam, in hoc elementari orbe, efficacius exercet, quia terræ propinquior est: ita Regum præsentia, vicinitasque, cum in bellicis motibus, tum in togata Reipublicæ administratione, momenti plurimum habet.*

4. *Sicut Fulmen, cera lanaque illæsa, æs, ferrum liquefacit: sic Regum potentia supplicibus parcendo, cedit, sternit autem rebelles.*

5. *Quemadmodum lumen in Luna mensibus singulis accrescit, decrescitque, nec ver est semper, aut æstas: ita Regum consilia in hac perpetua rerum vicissitudine variari mutarique necesse est.* Zen. & alii.

Hæc monita sunt heroica, nec aliud addo,

addo, quàm pulchrum est, versari subinde in astris Principes, qui astrorum Rectoris in terra sunt vicarii.

§. VI. *De Philippo I. Hisp. Rege.*

Si quis unquam, in venatione summam cepit voluptatem, fuit Philippus I. Hispaniæ Rex, Belgarum Princeps, Maximiliani I. Cæs. filius, sed ista ei exitio voluptas fuit.

Quippe cum in Hispania, semel maximos cervos venando prostravisset, ut erat calore fervens, copiosiore potu sitim restinxit, hocque modo lethaliter pulmonem affecit, & nimio jecur calore succendit. Secuta paulò post mors fuit. Ita rem se habere in cadaveris, anatomia medici compererunt. Ex ejus vit.

§. VII. *De Ferdinando I. Imp.*

Fuit & amantissimus venationis Ferdinandus I. Imp. Verùm ut in isto remissionis ejusmodi otio, nec disciplinæ militaris, nec armorum oblivisceretur.

Edixerat sub gravibus pœnis, & quidem sub oculorum jactura, ne quis agre-

ſtium venando feras perſequeretur. Deprehenſus agricola quidam fuit, & ad Cæſarem adductus, nec diffitebatur. Unde pronunciata in illum ſententia, ut ſecundum edictum oculis privaretur. Publico miniſtro, ut exequeretur mandatum.

Erat hic in procinctu, cum Cæſar dimitti reum incolumem jubet. *Nolo*, inquit, *belluam ratione deſtitutam, cùm homine conferri. Et omnino indignum eſſet, hominem belluæ unius cauſa, tam neceſſario vitæ inſtrumento privari.* Metum injicere Imperator voluit, non hominem perdere. Annal. Germ.

Idem curis publicis defatigatus, recreabat ſe, contemplatione admirandæ harmoniæ in corporibus cœleſtibus. Proinde quotieſcunque vacuum illi tempus erat, cum præſtantiſſimis mathematicis diſſerebat accuratè, & eruditè.

§. VIII. *De Maximiliano II. Imp.*

Maximilianus II. Imp. & venatione, & aſtronomicis rebus libenter recreabatur. Quibuſdam frequentius ad venationem evolantibus, dicere ſolebat; *Egregiam & Principe dignam exercitationem venationem eſſe: Minimum lædi homines, quando cum belluis nego-*

tium

tium esset, dummodo ne ludicris seria elabantur, quæ nulla opima ferarum cæde sarciri possunt. In vit.

Multa equidem astris tribuebat, tanquam causarum adjumentis. Cuidam autem, Cypriano Bohemo, nimiam crudelitatem exprobravit. Quæsivit ab eo, an iis, qui apud Cannas, insigni clade simul concidissent, eundem exitum natale astrum comminatum fuisset? Item, an qui ingenio excellunt, rariorum vi syderum, eadem die, in lucem editi essent? Si non, non esse fatalia astris adscribenda.

§. IX. *De Rudolpho II. Imp.*

Nemo Rudolphi II. Cæs. remissiones jure reprehendat. Pictor erat, & aurifaber ingeniosissimus. Testes sunt tabulæ, quibus Apelles meliores vix dedisset. Intuentibus, ars quædam plus quàm humana, & industria objiciebatur. Quid, quod auream coronam, mensamque ex solis gemmis confecit? Industriæ hoc opus fuit, & ingenii non vulgaris.

Sed & horologiorum tantus artifex extitit, ut singula libratis ponderibus temporis momenta, propemodum repræsentarent. At verò machinarum ænearum ad

belli usum fusione, ita vehementer oblectabatur, ut unam quotidie horam, iis inspiciendis tribueret. Ex f. Orat.

§. X. *De Mathia I. Imp.*

Rudolphi frater, Mathias I. Imp. si quid otii, à publicis curis nancisceretur, ad torno polienda ligna se conferebat, in hoc otio, & statuas, & instrumenta bellica accuratissimè formabat. Quis neget exercitio, quod natura ingenio addidit? Germ. script.

§. XI. *De Ferdinando II. Imp.*

Venationem, & aucupium Ferdinandus II. Imp. tota vita amavit. Credo, ut Carolum fratrem venationi deditissimum, imitaretur, imò & alios majores suos. Quanquam & medici eam, valetudini ejus conducere omnino censebant.

Ipse verò cum sciret venationem, militaris artis Tyrocinium esse, in ea exercere se desideravit, ut par bellicis laboribus, cum opus esset, existeret. Cupiebat etiam aulicos suos nonnunquam ab otio abducere, quòd non ignoraret, otium sæpe ad improba aditum esse.

Nec

Nec ullum ipsi ex venatione commodum erat; quippe prædam omnem, aut legatis, aut principibus viris, aut religiosis familiis addicebat. Solam ipse animi remissionem spectabat. Et ne reipub. inter oblectamenta deesset, rusticorum causas, in campis & sylvis audiebat, ac plerumque decidebat. Si quæ intelligeret damna, à feris illata, ea æstimabat, paratoque pretio sarciebat.

Musica quoque oblectabatur, sed in sacris potissimùm ædibus.

Idem Theatralibus scenis, sed quæ pudicitiæ non officerent, aut martyrum laureas exhiberent. Nihil Ferdinando placere potuit, nisi quod sanctum. Lamoz.

§. XII. *De Alberto III. Archid. Austriæ.*

De Alberto III. Archid. Austriæ, Alberti I. Imp. nepote, hoc tantùm dicam, studiosissimum eum astronomiæ fuisse. Et verò eâ tantopere oblectabatur, ut vacuum omne tempus, Astronomorum dissertationibus libenter daret, quas ut sæpius audiret, etiam media nocte somnum abrumpebat.

CAPUT LI.

De morbis, ac morte, Principum Austriacorum.

VIrtutem ne ipsa quidem morte Principes Austriaci deseruerunt. Fulsit illa in eorum vita, in morte eorundem resplenduit. Nec aliter ex hac vitæ statione migrarunt, quàm in ea degerunt, piissimi, Christianissimi. Quos igitur vidimus, cum tanta virtutis gloria viventes, in ipso virtutis sinu morientes, consideremus.

§. I. *De Friderico III. Imp.*

Fridericus III. Imp. interrogatus aliquando, quid homini optimum contingere in hac vita posset? *Bonus*, inquit, *ex hac vita exitus*. Unde cum fatalem sibi imminere horam sentiret, muniri Sacramentis Ecclesiæ omnibus voluit, ut vel sic Ecclesiæ filius obediret, nec à majorum institutis recederet.

Addidit etiam, vel idcirco libenter se mori, quòd pacata universa esset Germania, & Principes in optata tranquillitate degerent. Roo.

§. II. *De*

§. II. *De Maximiliano I. Imp.*

Etiam in morbo, facetus Maximilianus I. Cæsar fuit, sed mortis nunquam oblitus. Gravis illum semel morbus lecto affixerat, nec sine mortis periculo morbus esse videbatur. Accersebantur undique medici, iique peritissimi, rem magnam, si periculo Cæsarem eximerent, omnium opinione facturi. Vix aderant, ille meliusculè sese sentiens, singulos seorsim introduci ad se mandat, & hac voce compellat, *Medice quot?*

Quid sibi ea interrogatio vellet, mirabantur primò, velut muti, & attoniti deinde silebant. Ingressus demum quidam cæteris experientia, doctrinaque clarior, cum rursum quæreret Imperator, *Medice quot? Tua pace dixerim*, inquit, *ô Cæsar*, *innumeros*. Libera ista confessione delectatus Maximilianus, risit, & adjecit: *Ingenua ista confessio, te medicum Cæsareum fecit; sed tu porrò experimentis per mortes abstine; inventis ex fide utere.*

Cum palatium ad Oenipontem, ingenti sumtu construi mandasset, operis præfectus, leviores in eo errores visus est commisisse. Quos cum animadvertisset Cæsar, adstanti sibi nobili viro in aurem dixit:

parum hic fecit, quod me delectat; aliam mihi domum constituam, quæ placebit.

Eodem die, capulum funebrem omni necessaria supellectile instructum, parari jussit, ac secum, quocunque proficisceretur, arcæ inclusum deferri. Cùm autem procerum varia esset de arcę istius usu conjectura, ac nonnulli thesaurum in ea latere suspicarentur, subridens, ac sibi conscius Cæsar, *Hanc arcam*, inquit, *in usum rei mihi inter omnes alias charissimæ, mecum defero.* Theatr. vit.

Quotiescunque in monumentum istud oculos conjiciebat, (in illud autem ferè semper defixos habebat) hanc vocem audire sibi videbatur, *Cogita mori.* Ac tum ille ita secum: *Quid te, Maximiliane, dilatas, & extendis? Quid multa possidens, plura appetis? Tot provinciæ, tot Regna te non capiunt, at iste te loculus capiet.*

Quid, quod multo ante mortem tempore, non Cæsar, non Rex, sed Maximilianus tantùm appellari voluit. Maximiliane, verè Maximus fuisti, id res à te gestæ dicunt, sed hæc potissimùm circa mortem cura.

Ubi diem sibi illuxisse ultimum, & instare mortem sensit, *Nibil*, inquit, *jam eorum omittamus, quæ Divini numinis gratiam parant, vitiis animum liberant, securum ad cælos iter sternunt.*

nunt. Mox peccata apud ſacerdotem expiavit, ſacram Synaxin magna animi ſubmiſſione ſumſit, ſacro oleo inunctus fuit.

Juſſit etiam plurimis in locis, rem divinam pro delictorum ſuorum expiatione fieri, ac tandem inter adſtantes ſibi ſacerdotes, viroſque religioſos, qui & ſolabantur, & animum addebant, inter mortales eſſe deſiit. Heut.

§. III. *De Carolo V. Imp.*

Qui imperium, totque Regna, tanta cum gloria rexerat, Carolus V. nec tanquam Imperator, nec tanquam Rex, mori voluit, ſed tanquam homo, qui ſe hominem eſſe norat, ac pœne tantùm, ſi non infimis, certè par nobilibus.

Abdicato imperio, quod ex principum electorum voluntate, Ferdinando fratri reliquit, tranſlatis in filium Philippum, tot regnis & provinciis, in Hiſpaniam ſeceſſit, & in D. Juſti monaſterio, cum duodecim tantùm famulis, ut Deo vacaret, & ad migrandum ex hac vita ſeſe componeret, delituit.

Hoc in loco primùm edixit, ne Cæſar, ne Auguſtus, ſed Carolus duntaxat appellaretur. Cum Regnis titulos etiam, & nomina exuit, omnemque honorem contemſit.

Idem cum intellexisset Franciscus Borgia, protinus ita exclamavit: *O virum magnum, qui cum de hostibus toties triumphavit, se ipsum tandem vicit.* Sed & illum invisit, triduoque apud eum moratus, cum abitum pararet, ducentos illi aureos, dono Carolus dedit, adjecitque: *Exiguum id munus est, fateor, sed memineris me tot Regnis, tantisque bonis exutum, privatam agere personam, cujus si statum consideres, nunquam majus à me beneficium accepisse te cognosces.* Ribad.

Vixit in ista solitudine, biennio nondum integro, quo tempore dies pœnè totos, noctesque, fundendis ad Deum precibus insumebat, sæpiusque, *mundo se jam, imò & Deo, in hac mortali vita inutilem deinceps esse, dicebat.* Cumque sacra Synaxi ferè quotidie reficeretur, tum postquam imminente morte S. unctionis Sacramentum suscepit, iterum sibi sacrosanctum Christi corpus dari, vehementer expetiit, recepitque; & ultimam propemodum vocem in hæc verba composuit: *In me manes, ô Christe, & ego in te maneam.* Sur. ann. 1558.

Quinque ante obitum annis, inter maxima regnorum negotia, Sarcophagum exstrui sibi quoque, Maximilianum imitatus, curavit, in quo ea omnis supellex, quæ ad illum sepeliendum necessaria, asservabatur. Hunc apud se paucissimis

cissimis consciis, ne ostentationi, vel simulatæ fortasse religioni tribueretur, atque etiam cum Mediolanum, adversus Gallos proficisceretur, semper habuit.

Non poterat tamen ea res unumquemque latere; unde fiebat, ut illi, quibus rerum maximarum cura demandata erat, ac frequenter cum Cæsare agebant, existimarent, secretum thesaurum aliquem, aut veterum historiarum libros, aut rem ingentis pretii aliquam, cum Cæsare deferri. Sed ipse non aliter, quàm Maximilianus, rem sibi omnium charissimam ibi latere subridendo jactitabat. P. Georg. Tol. l. VI. de Rep. ex Orat. fun. &c.

§. IV. *De Ferdinando I. Imp.*

Quasi esset Austriacorum Principum sola virtute niti, Ferdinandus I. Imp. titulos quoque augustos, & honorificas compellationes contemsit. *Nihil se cæteris apud Deum præstare asserebat; mortem æqualem omnes reddere, judicium de conditione mortali futurum, nec alium se esse, quàm mortalem, omnibus aliis naturæ conditione parem.* Theat. vit. aliique.

Cum instaret supremus illi dies, & ultimam

mam adstantes Principes horam expectarent; *Non*, inquit, *ante diem Jacobo Apostolo sacrum, fatis concedam ita decrevit cœleste Numen, ut quemadmodum ille peregrinus apud nos in Hispania fuit, ita ego in Germania peregriner.*

Præsaga mens suæ mortis diem prævidit. Obiit ipso, quem prædixerat, die, Julii 25. Id unum optavit in morte, ut Ecclesiam tranquillam, pacatamque relinquere posset.

§. V. *De Alberto II. Imp.*

Sanctissimæ mortis tuæ, Alberte II. Imp. oblivisci nunquam posteritas poterit. Rex eras Hungariæ, & Bohemiæ, & insuper imperii fascibus ornabaris. Cum verò ex Hungaria Viennam æger redires, omnibus te libenter regnis, & imperio abdicasti, ut securus morereris.

Nam cum ad Vicum Nesmelium pervenisses, & vis morbi propinquam mortem indicaret; quàm primum voluntatem ultimam scripto mandari jussisti, ac denique, ut Christianis sacris, Catholico ritu munireris, unica cura fuit.

Obtemperarunt proceres tui supremo mandato, sed tua ultima vox omnium lachrymas concivit. Hæc fuit, cum exspirares. *Omnipotens, æterne Deus, ignosce iis, qui*

mea

mea causa mortis existunt, ego iis ex animo, sed propter te ignosco; te verò, ut mei miserearis, oro, obtestorque. Vix dixeras, animam cum voce Emisisti, sexto Cal. Nov. anno supra M. CCCC. trigesimo nono. Roo, Cusp. aliique.

§. VI. *De Ferdinando II. Imp.*

Non potuit non piissimè mori Ferdinandus II. Imp. cujus imperium non aliud, quàm pietatis imperium fuit. Duo vehementer optabat, priusquam è vivis excederet. Unum, ut religionem Catholicam in antiquam possessionem, ac jura reduceret: Alterum, ut pacem tranquillitatemque, sopitis bellis Germaniæ redderet, in utroque multum profecit, neutrius tamen ex animi sententia compos fuit.

Idcirco tertium votum adjecit, ut filius Ferdinandus III. Imperii habenas post obitum suum acciperet, ultimamque manum paterno operi adferret. Hujus voti compos factus, quasi supremum à Divina majestate beneficium accepisset, imperium vitamque deponere paratus fuit. Et omnino ita evenit.

Nam Ratisbonæ, finitis comitiis, postquam filium imperiali diademate coronatum vidit, morbo correptus, deferri se Viennam curavit. Cumque supremum immi-

imminere sibi tempus, xv. Februarii die, anno hujus seculi 37. præsentiret, mentem ab omnibus rebus aliis subduxit, Deoque ac conscientiæ, quod reliquum tempus erat, impendit.

Ne quis de animo ejus, vitaque dubitaret, cingentibus lectum aulicis; *Ego*, inquit, *& puer, & adolescens, & vir factus, cæleste Numen semper timui, colui, me, meosque meaque omnia, divina ejus voluntati integrè commisi. Hic animus, ut in vita, ita in morte permanet.*

Mox sacrosancta Synaxi, post expiatas animi labes, extremaque unctione munitus, Deum, Deiparamque virginem, custodem angelum, D. Ignatium, omnesque cœlites, in ultimo hoc agone, ad auxilium sibi ferendum evocat. Madebant omnium oculi lachrymis, & pectora suspiriis personabant, sed ipse ceream dextra candelam tenens, jamq; Deum animo complectens, tota mente erectus, tranquilla prorsus conscientia, nullo aut motu, aut convulsione corporis, ex hac vita migravit.

§. VII. *De Philippo II. Hisp. Rege.*

Philippus II. Hispaniarum monarcha, ultimo vitæ biennio erigere sese in pedes vix potuit; diebus 53. ante obitum, nul-

lum

lum non cruciatum est expertus. Quippe articulari morbo, manuum, pedumque ulceribus, apostemate, febri tertiana, febri continua, hydrope, dysenteria vexatus.

Et quidem tot inter cruciatus, non movere se poterat, & vix quietem brevissimo etiam somno capere. Insomnis ferè semper & vigil; sed omnium tamen victor, nec voce ulla, nec signo ullo dolorem testatus est.

Plus potuit ejus patientia, quam vis tot morborum. Et quemadmodum in vita adversus hostes steterat invictus, ita in morte inusitata patientia vicit, non ferendos dolores.

Sex ante mortem hebdomadibus, qui illi à confessionibus erat, cùm medici non auderent, quo in periculo versaretur, Regem admonuit. Egit Rex gratias, & hilari serenoque vultu, ut totius vitæ labes, una confessione expiaret, desideravit. Fecit id quoque, nec quicquam eorum omittere voluit, quæ certiùs ad salutem ducerent. Quin imò, quoties illum idem à sacris confessionibus Religiosus invisebat, toties iterum conscientiam discutiebat, etiam una alterave ante obitum hora.

Divinæ voluntati suam semper submisit,

ſit, pati paratus, aut mori. Camillum Cajetanum ſedis Apoſtolicæ legatum, juſſit advocari, ut ſibi quicquid in ſalutem ſummus Pontifex poſſet, indulgeret. Indulſit ille, & ratum Pontifex habuit, etiam ante Philippi mortem. Calendis Septemb. animo denuo purgato, unctionis extremæ Sacramentum, miniſtrante Archiepiſcopo Toletano, pietate incredibili ſuſcepit. Et quoniam Cæremoniarum ejuſmodi ignarus erat, quòd nullum hactenus inungi vidiſſet, inſtrui prius voluit, ac filium quoque præſentem eſſe, ne ſimili ignorantiâ in poſterum teneretur. Inunctus jam Rex, læto animo proteſtatus eſt, nunquam ſe tota vita tantam lætitiam perſenſiſſe, ac deinceps facilè quievit.

Adfuit paulò poſt, cum fratre Principe, sereniſſima infans Iſabella, ut ultimò bene iis parens apprecaretur. Apprecatus eſt Rex, & ad filium primò converſus; *Da operam fili*, inquit, *ita vivas, regaſque, ut cum ad hanc ultimam vitæ horam perveneris, tuta, ſecuraque conſcientia mortalem hanc vitam relinquere poſſis.* Multa deinde circa regnorum adminiſtrationem prolocutus, eadem ipſi ſua manu præſcripta tradidit.

Adjecit quoque ſaluberrima præcepta, quæ Francorum Rex D. Ludovicus, filio Philippo moriens reliquit, ut ad eorum nor-

normam, & vitam & imperii sui administrationem componeret.

Tum filiam infantem alloquens; *Desideraveram*, ait, *ô filia, priusquam è vivis excederem, te destinato tibi marito conjunctam videre, sed non ita visum Divinæ majestati. Rogo interim, ita porrò te geras, sicut hactenus, Religionem Catholicam in iis, quas tibi relinquo, provinciis conserves, augeasque. Hæc enim mens mea fuit, cum eas in te transtuli. Ubi primum maritum videris, Albertum, eundem, ut idem velit, faciatque, meo nomine obtestare.*

Postremò feretrum, in quo recondi corpus suum volebat, in conspectu suo collocari, eique regiam coronam ac sceptrum superimponi jussit. Admonens demum filium filiamque; *Reputate*, inquit, *apud animos vestros, rerum humanarum instabilitatem, & dum hoc afflictissimum cernitis corpus meum, cogitate, quàm tenui filo pendeat pompa, & splendor magnitudinis terrenæ.*

Illuxit tandem ultima vitæ hora, qua Rex, læto ridentique vultu, ceream è Monteferrato candelam, manu una tenens, altera Christi cruci affixi effigiem; *Morior*, inquit, *Catholicus, & in fide, & in obedientia S. Romanæ Ecclesiæ.* Hac ultima voce pietatem suam testatus, XIII. Septemb. anno CIƆ. IƆ. XCVIII. è vivis excessit. Cerv. de excess. Phil.

§. VIII. *De*

§. VIII. *De Ladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege.*

Ladislaus Austriacus, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, eo tempore, quo ejus nuptiæ cum Magdalena Francia parabantur, Pragæ vivere desiit. Vocati ad eas erant Fridericus III. Imp. Casimirus, Poloniæ Rex, Princeps Bavariæ, Saxoniæ, Brandenburgi, Rheni, aliarumque provinciarum. Vix morbo, qui subitus fuit, correptus erat, statim apud primæ admissionis familiares, ex eo morbo præsentem sibi mortem imminere confessus est.

Ne tamen ea fama, ante tempus in vulgus spargeretur, cœna de more sumta, stomachum sibi duntaxat dolere affirmavit, seseque ad quietem composuit. Mox ingravescente morbo, doloreque vehementi excitatus, ne cuipiam molestus esset, solitum surgendi tempus expectavit. Accersuntur demum Medici primo diei crepusculo, discurritur, trepidatur, nihil proficitur. Vis enim morbi omnem industriam superabat.

Quare Rex post aliquam de Regnis curam, sacerdotibus intromissis, in animæ suæ

ſuæ ſalutem, totus incubuit, ac poſt expiatam exomolegeſi conſcientiam, Pragenſi Eccleſiæ ſua ornamenta legavit, crines, quos auri fulgentis inſtar habebat, reſcindi juſſit.

Tum ultimis ſacris perfunctus, ceream manu candelam apprehendens, & intentis in affixum cruci Chriſtum oculis, traditam ab eo precandi formulam ad hæc uſque verba pronunciavit, *Sed libera nos à malo.* Nihil amplius deinde locutus, quieſcenti ſimilis, hora, poſtquam ægrotare cœpit, trigeſima ſexta, conditori ſuo animam reddidit.

Cruditatem ſtomachi mortem attuliſſe, quidam crediderunt; alii peſte obiiſſe; non defuit veneni ſuſpicio: ſed negant Bohemi. Bonf. Avent. & alii.

§. IX. *De Alberto Pio, Belgarum Principe.*

Pœnè mortuus ante mortem fuit Albertus Pius, Belgarum Princeps; quippe ultimis vitæ annis, tot inter cruciatus, vix vitam retinebat, & donec vix una aut altera gutta ſanguinis ſupereſſet, re-

retinuit. Nec tamen tam habere corpus, quàm contractorum membrorum globum quendam videbatur. Mens interim integra, constantia inconcussa, patientia invicta.

Cum omnes ad vota decurrerent, ut longiorem illi vitam Divina majestas concederet, solus ipse dicebat: *Quod si voto uno protendere vitam possem, nollem tamen, ne adversari divinæ voluntati velle videar.*

Pridie ante fatalem diem, cum medici denunciassent, Principem vix ad alterum diem victurum, *Ne perdamus ergo*, inquit, *tempus*. Muniri mox Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis voluit, & conscientiæ, mortique imminenti vacare. De Belgii administratione, jam ante cum Isabella conjuge, ac cum Philippo Rege, per litteras constituerat.

Obiit tandem altero die III. idus Jul. qui vivere diutius nolebat. Nec potuit non piissimè obiisse, cui *Pii* cognomen omnes ordines post mortem detulerunt. Ex Orat. fun. Var.

§. X. *De Rudolpho I. Imp.*

Finio in te, Rudolphe I. Imp. ut cum tuas tuorumque posterorum Cæsarum, Regum,

Regum, Principum virtutes, hactenus compendiose descripserim, easdem tuo fato concludam.

Quæ tuum corpus febris, ultimis vitæ annis sæpenumero vexarat, facta tandem lethalis fuit, nec difficilè confecta senio membra, in fatalem lectum dejecit. Sensisti vim fati imminentis, moxque cum religioso viro, qui tibi à confessionibus sacris erat, assiduusque itinerum omnium comes, de conscientia tua disposuisti, & illud sacrosanctum corporis Christi pignus, cujus cultus tibi omen imperii fuerat, suscepisti.

Mox, quod omnium admirationem concitavit, Spiram proficisci voluisti. Et quidem, *Tibi properandum esse*, dicebas, *ut Reges illic invenires*. Verùm in itinere ipso, non procul à Spira, in oppido Germesheim, Catholico ritu Sacramentis omnibus munitus, ex hac vita excessisti.

Nec vanus tamen Vates extitisti. Nam Reges convenisti, Spiræ apud Reges alios sepultus, tuæ ætatis anno LXXIII. Christi CIↃ. CC. XCI. Imperii XVIII. Ita non Imperator tantùm gloriosissimus, sed tuæ mortis Vates obiisti.

Vive jam in æternum, tua Augusta posteritate, soboleque celebris, cui hoc tempore Catholica innititur Ecclesia, Christique

que religio, & quam solam Dei, Ecclesiæque hostes reformidant. Non est illa sanè invidia, sed vincit virtutis gloria invidiam, & vincet, quamdiu pia. Voveo ex intimis animæ medullis, & calamum tollo.

Vivere gloriosissimè, mori piissimè, Austriacorum Principum est.

Finis III. Partis.

EPI-

EPITAPHIUM HOMINIS CHRISTIANI, VITÆ REGULAM EXPRIMENS.

D. O. M.

Siste gradum Viator;

HIC TERMINUS VIÆ, ET VITÆ, TUÆ AC MEÆ.

ILLE EGO QUI NATUS PRIDEM
AC NOTUS ERAM SÆCULO;
En denatus hoc jam lateo
nudus nullusque Sepulcro.

PULVIS, CINIS, ESCA VERMIUM. VIXI ANNIS (N) PAUCIS,
SI SPECTETUR ÆTERNITAS;
Ad hanc tamen currendum mihi fuit
in stadio fugacis vitæ.

TEMPUS VIVENDI, ut *BENE MORERER*,
& VITAM MERERER IMMORTALEM,
Dedit mihi, & dat etiamnum tibi clemens DEUS,

ILLIUS, & OMNIUM QUOQUE
MOMENTORUM STRICTA à ME
JUSTO JUDICI reddenda fuit ratio;

VTIQVE ERIT ET TIBI.

VIXI IN EO (N) STATU,
AC ID (N) MUNUS GESSI.

Z Qui

Qui mihi HONOS, idem ONUS fuit; ô molestum & grave!

Miserum esse qui non CAPIANT;

Mirum, non deesse qui CUPIANT.

O QUAM ME JUSSIT RIGIDAM SUPREMUS PATERFAMILIAS

REDDERE RATIONEM VILLICATIONIS MEÆ!

SI SAPIS, ET CREDIS AMICO SYNCERE MONENTI,

Huc tu quoque te para Quotidie;

NAM ex meo periculo te cautum reddi, felicis simul & sapientis erit.

POSSEDI DE TERRÆ BONIS MODICA;

(*Attamen* satis *ad* Usum Vitæ; satis ad Votum, *quod* NECESSITAS *rexit*, *non* Cupiditas.)

Etiam horum, ad novissimum usque quadrantem reddenda fuit ratio.

Esto, *Res* ANGUSTA *fuit mihi*; *sed* (*experto fas est credere*)

Sic tutius ad AUGUSTA *pergitur*.

O Viri

O Viri DIVITIARUM thezaurizatis;
& ignoratis, cui!

EGO NIHIL INTULI IN HUNC MUNDUM, NIHIL EXTULI.

Quod in Cœlum præmisi per manus
PAUPERUM, Inveni, &
hoc SOLUM:

Vos similiter cum dormieritis SOMNUM
vestrum, aliud invenietis nihil.

O AMICI VIVITE LÆTI;
AT NON IMMEMORES LETHI;

En quondam lætus vobiscum, vos jam
reliqui, & à vobis relictus,

INIVI SOLUS ÆTERNITATIS ITER.
QUOD ESTIS, FUI: QUOD
SUM, ERITIS;

QUIS SCIT AN CRAS, AN HODIE,
AN HAC IPSA FORSAN HORA.

*Memores estote judicii mei, sic enim
erit & vestrum.*

O HOMO BULLA, QUAM BREVIS
HÆC VITA!

QVAM LONGA ÆTERNITAS!

VERE MOMENTUM UNDE PENDET ÆTERNITAS;

Æternitas GLORIÆ & POENÆ.

Ad illam VIRTUS *ducit:*

Ad hanc VOLUPTAS.

ELIGE; SEMEL PERIISSE, ÆTERNUM EST.

HOC POSTREMUM TE ALLOQUOR;

Desiderans te habere consortem mecum in Terra Viventium, unà cum CHRISTO IESU,

In quo solo SALUS est & VITA Mortalium.

ILLI ô VIATOR VIVE, ILLI MORERE, ET ÆTERNUM VIVES.

Ante mortem MORI vitiis, mors est optima.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

APPEN-

APPENDIX.

De officio Nobilium, & Aulicorum conditione.

CAPUT I.

Nobilitas Quadruplex.

NObilitatem hic in bonam partem accipimus; nam qui ſunt malis facinoribus, & ſcelere clari, aut celebres, nobiles non agnoſcimus.

Nobilitas verò in bonam partem accepta, quadruplex eſſe poteſt. I. Naturalis, quæ competit hominibus, qui naturam ſortiti ſunt, ingenium, complexionem, indolem præclaram, ut videantur ad regendum, vel ad aliis imperandum nati. II. Supernaturalis, vel Theologica: hac præditi ſunt, qui in gratia ſunt; hi enim filii, & amici Dei, conſortes divinæ naturæ, Reges & ſacerdotes, hæredes Dei, & cohæredes Chriſti vocantur. Huc etiam pertinet omnis nobilitas, quæ ex virtute, & rebus præclarè geſtis contrahitur. III. Eſt poli-

tica, & civilis, qua nobiles dicuntur, ex clara ſtirpe & ſtemmate, à nobilibus progenitoribus orti, qui res præclaras geſſerunt, à plebe & vulgo diſtinguuntur. IV. Eſt vera nobilitas ex politica & ſupernaturali mixta.

Quæ deſcribi poteſt, eſſe *qualitas proveniens ex parentibus ſanguine claris, ac gratia* Dei *ſimul & virtute reſplendens.* Seu, Nobilitas *eſt generis claritudo, quam magna opera pro utilitate Reipubl. facta pepererunt, & inſignia facinora mortalibus utilia compararunt.* Nec plæclara facinora authoribus ſuis magnas opes, & divitias, nec non dignitates & honores, exemptiones, privilegia, titulos honorificos Equitum, Baronum, Comitum, Marchionum, Ducum, Principum, Regum contulerunt, quorum alii aliis digniores, honoratiores, potentiores ſunt. Ita nobilitas præmium virtutis fuit, à qua ſi nobiles ſtemmate deflectant, verè fiunt ignobiles, ac familiam ſuam dehoneſtant: Et ſi de majorum nobilitate glorientur, perinde faciunt, ac ſi ovis morbida de matre ſana, vel lignum carioſum de arbore præclara ſe prodiiſſe jactaret.

Adde, quod ex progenitoribus primis Adamo & Eva, omnes habeamus idem Principium; animæque nobilitas magis ſit ſpectanda, quàm corporis. Nám id quod ex

ex nativitate corporali accepimus, est mortalitas & corruptio. Si quid tamen gloriæ vel nobilitatis per nostros, aut majorum virtutes, vel heroica & fortia facta accepimus, id iisdem, quibus partum est mediis, conservari debet, alioqui nihil est nisi mera vanitas, & fumus inanis.

Nec tamen contemnenda nobilitas sanguinis, à qua etiam Sancti commendarunt plurimos; est enim quasi invitamentum perpetuum virtutis continuandæ, & obstringit ad præclara opera præstanda, ne sint degeneres, qui claro genere orti sunt: qui etiam ut plurimum solent honestius educari, & melioribus moribus instrui; quin imò solet fructus de natura arboris participare, nec imbellem

Progenerant Aquilæ columbam.

CAPUT II.

Nobiles debent virtute præstantes esse.

PRo monstris ergo habendi sunt, qui à majorum virtute degenerant; *& servi fiunt peccati, qui peccatum faciunt*, nec pro filiis Abrahæ Christus Dominus habendos censuit eos, qui opera Abrahæ

non faciebant. Joan. 8. Probat illos ſcriptura, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Joan. 1. *Omnis qui facit juſtitiam, ex Deo natus eſt.* 1. Joan. 2. *Quos filius Dei liberaverit, hi verè liberi ſunt.* Joan. 8. *Qui contemnunt dominum, erunt ignobiles.* 1 Reg. 2. *Videte*, inquit Joan. Ep. 1. c. 3. *qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & ſimus. Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Rom. 8. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui eſt in cœlis, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.* Math. 12. Ubi rectè Chryſoſt. hom. 45. in Math. *Una*, inquit, *& ſola nobilitas ac neceſſitudo cum Chriſto eſt, ut voluntatem Dei facias*; nec ergo filiorum geſtis gloriemur, niſi virtutes eorum imitemur; nec de parentum nobilitate nobis quicquam arrogemus, niſi probam eorum vitam ſequamur.

Hinc ad vitam bonam reſpiciens Chriſtus dominus, ignobilia & contemtibilia mundi elegit, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Sic & Deus in V. Teſt. paſtorem ovium David, in Regem, & Moyſen in ducem populi, alioſque erexit in principes. *Quis eo nobilior, cui pater eſt Deus? cui patria ſuperna Jeruſalem? Nobilitas autem divinæ generationis*

tionis conservatio, ipsiusque ad suum exemplar conformatio, inquit Nar. in Laud. Gorg. *Illud nobilitatis genus, quod in Principum diplomatibus, edictisque consistit, tum ullo loco ac pretio habeo, cum pictam forma elegantiam laudandam duxero, simiamque ob id revereri cœpero, quod leo esse jussa sit. Quod ad generis nostri originem attinet, lutum idem omnes sumus, ab eodem fictore genus ducimus, mihi servus est, quisquis turpiter ac flagitiosè vivit.* Et S. Hier. ad Celant. *Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum: servum, & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis; sola apud Deum nobilitas est, clarescere virtutibus.*

Similia passim docent SS. PP. Sed & Ethnici Poëtæ, & Philosophi. Plato, inquit, *neminem Regem non ex servis oriundum, neminem non servum ex Regibus.* Is generosus, qui ad virtutem bene à natura est compositus: animus facit nobilem. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus; nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Quemcunque volueris, revolve nobilem, ad humilitatem pervenies. Rectè Ovidius:

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Et alius :

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas vera est atque unica Virtus.

Et Juvenalis :

Stemmata quid faciunt ? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Emilianos,
Si coram lepidis male vivitur ?

Et ;

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Eacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Et ;

Malo Venusinam, quàm te, Cornelia, mater
Gracchorum, magnis si cum virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote Triumphos.

CAPUT III.

Nobilitas sanguinis non contemnenda.

NOn censemus interim nobilitatem generis ex se parvifaciendam, quamvis aliqui eam corruptis moribus dehonestent. Sic Paulam à nobilitate generis etiam commendat Hieronymus, sic Demetria-

metriadem, Marcellam, & alias. Sic Nazianzenus, Cyprianum, Basilium, & alios alii. Multum enim valet majorum virtus ad posteros incitandos, ut eam sequantur. Sed laudabilior nobilitas, si splendori natalium splendor virtutis adjungatur. Habebit in te finem nobilitas, si vilis sis moribus; initium, si majoribus tuis virtute præcellas. Exigua est gloria, quæ de solo conceptu, partu, & utero sumitur, si declinetur à majorum virtutibus.

Quidam philosophi nobilitatem vocabant *antiquatas divitias*, quia videlicet divites ad honores & dignitates solent promoveri; vel insinuare voluerunt, recentes divitias ad nobilitatem non sufficere, quia nuper ditatum esse, est *quædam ineruditio divitiarum*, inquit Arist. Nesciunt enim recens ditati formare, nec dirigere bona fortunæ ad opera virtuosa, sicut antiquitus ditati, qui divitiis bene usi sunt.

Ex tribus autem ferè oritur nobilitas, ex natalium antiquitate, honoribus, & divitiis. Si Princeps nobilem de novo creet, talem dicimus nobilem factum, non natum. Longè tamen nobilius est, nobilitatem primam fundare, quàm evertere. Attamen qui recens ditati &

nobilitati ſunt, facilius ſuperbia inflantur, quàm qui longa ſerie nobilitatem à majoribus traxerunt: generoſioris enim animi ſunt communiter, quàm quod iſtis divitiis ſuperbiant; ſolent etiam parva injuria non facilè commoveri, facilius etiam indignationem remittere, nec virtuti deditos deſpicere.

Præterea, utpote in curiis Principum enutriti, ſolent magis eſſe affabiles & benigni. Cavent etiam diligentius aliquid indecens ſuis majoribus perpetrare, quia ſciunt ſua vitia & virtutes omnibus eſſe conſpicuas. Eligunt denique non rarò nobiliter mori, quàm ſubdi peccatis.

CAPUT IV.

Officia nobilium.

HÆc præclarè deſcribit, aureo ſuo libro de Rep. Chriſt. vir, Apoſtolico Spiritu venerabilis, Archiep. Philipp. quondam in fœderatis Belgii provinciis vic. Apoſt. ubi lib. 2. c.4. ſic eloquitur:

Sciant itaque Nobiles imprimis officii ſui eſſe, dominari animo ſuo, & abſurdis cupiditatibus & affectibus reſiſtere: injurias condonare: nam vindicare velle, abjecti, timidi, & ignobilis animi ſignum

signum est. Melior est enim patiens viro forti, & qui dominatur animo, expugnatore urbium. Prov. 16. II. *Verè nobilis est, ad majora virtutis opera præstanda conari: nihil enim nobilius, quàm virtuti vacare, nihil ignobilius, quàm servire vitiis.*

III. *Nobilium est largos esse & benignos erga pauperes, ut Deo similiores fiant.* IV. *Meminerint se obligari, ad defensionem Catholicæ fidei, ad fidelitatem patriæ, Regi & Principi servandam, ad protectionem viduarum, orphanorum, pauperum.* V. *Ad persolvenda fideliter ministris suis stipendia, & operariorum mercedem non fraudare nec protrahere.* VI. *Non terant tempus ludis, conviviis sumtuosis, nec dissipent sua vanitatibus superfluis vestimentorum, ædificiorum, alendis multis equis, canibus, avibus ad venandum frequentius.* VII. *Caveant nocere aliis per venationes suas, nec opprimant miseros subditos suos.*

VIII. *Abhorreant à contentionibus, duellis præsertim, nec generosum esse existiment alios ad duellum provocare, vel provocatos acquiescere: cùm nihil sit vilius, magis nocivum animæ & corpori: unde est meritò morte, vel singulari ignominia ademtæ nobilitatis, fustigationibus, flagellis puniendum. Generosissimum erit contemnere vasa illa gloriæ, quæ provocant ad talia, vel irridere, & ut puniantur, procurare, generositatem autem suam in defensione Religionis, & patriæ,*

patriæ, ac pauperum demonstrare.

Denique studeant nobiles se & familiam suam in timore Dei continere, sint apud eos omnia honesta, bene ordinata, fugiant otium, levitates, adulationes. Vacent frequenter orationi & devotioni, piæ lectioni, vel historiarum honestarum, & moralis Philosophiæ, aliisque honestis exercitiis. Praeant subditis suis bono exemplo in frequentandis Ecclesiis, suscipiendis Sacramentis, honorandis Sacerdotibus. Quantò majores sint, humilient se in omnibus, & coram Deo invenient gratiam. Non jactent nobilitatem; sed discant à Christo Domino mites esse, & humiles corde. Sic nobilitatem Spiritus sectantes, verè nobiles erunt. Sicut Christo Domino nihil fuit nobilius, nihil humilius. Sint magnanimi & fortes animo in adversis; ferant fortiter injurias sibi illatas, propulsent verò eas, quæ Deo & pauperibus inferuntur. Non confidant nimium divitiis, potentiæ, vel gloriæ hujus mundi, quæ transeunt; sed ad veros honores, & divitias anhelent, nec dolebunt nimium, si hæc terrena amittant; beatius, judicent, dare quàm accipere, & extorquere. Ita Episcoporum illud lumen, piè, accuratè, & breviter in eruditissimo illo suo opere, ex quo pleraque hæc habemus.

CAPUT.

CAPUT V.

Commendatur scientia historica, maximè nobilibus.

HIstorici non parvam laudem merentur, qui gesta & dicta memorabilia singularum ætatum describunt, & meritò lectio eorum commendatur omnibus, quia nescire, quid ante nos actum vel dictum sit, est quasi semper esse puerum. Sed hæc laus veracibus historicis tribuenda est; quia qui referunt quæ vera non sunt, historicorum nomen non merentur. Utilis & honesta occupatio Principum & magnatum est, annales & gesta seculorum evolvere, ut imitentur quæ rectè facta sunt, prava detestentur; ut discant ex multorum dictis & gestis prudentiam.

Maximè autem legendæ sunt historiæ S. Scripturæ, & eorum qui Ecclesiasticas res piè & veraciter scripserunt. Vitandi libri fabulosarum historiarum, vel meretricio ac molli stylo conscriptarum, ad inserendum ardorem libidinis, aliarumque vanitatum juventuti. Qui, & quo ordine, legendi Historici, vide apud Ant. Possevin. bibl. selectæ lib. 16. Qui etiam de Poësi & pictura agit lib. 17. nec non de Theol.

Theol. Jurispr. Medic. Mathem. ac Philosophia latissimo toto isto opere. Vide & quæ diximus, initio hujus Tractatus.

Historiarum igitur lectio, quamvis omnibus sit utilissima, maximè tamen Principes decet: in historia enim velut in speculo videbunt, quomodo Deus regna det & auferat; pios & humiles exaltet, superbos deprimat. Hic regnorum & Rerumpublicarum principia, decursum, finem & interitum, ac mirabiles conversiones deprehendent. Discent quid imitentur, quid fugiant. Discent omnium Regum, & sapientum mundi prudentiam, vicinorum potentiam, exterorum opes & ingenia, prædecessorum suorum errores & defectus, hostiles dolos, insidias, consilia, aliaque infinita, quæ agenda, quæ cavenda, cognoscent. Sed accedat Geographia, orbis terrarum situm, populorum inclinationes, vires regnorum & similia pertractans.

CAPUT VI.

De superbia nobilium hujus seculi.

DE piis ac verè nobilibus, hic non loquimur; at de nobilibus & potentibus hujus seculi, quibus superbia cum natura

tura videtur ingenita, ita ut dixerit Saluſt: *Superbia commune nobilitatis malum eſt.* Hi ſunt enim, qui de primatu ſolent contendere, & exinde bella, ſeditiones, duella, tumultuſque publicos ſuſcitare. Nempe ſicut terræ motus à vento intra viſcera ſua concluſo, ortum habet, dum volens erumpere, evertit omnia, quæ offendit: ſic ambitio & ſuperbia, licet non ſit niſi ventus & vanitas mera, in ſublime erumpere volens, omnia commovet & perturbat.

Cur Alexander totum orbem bellis commovet? Cur Cæſar & Pompejus totum Romanum imperium concutiunt? Cur Saul perſequitur Davidem per montes & deſerta? Cur occaſione illius octoginta ſacerdotes perimit in civitate Nobe? Cur Aman procellam graviſſimam excitat in Judæos? Cur in Republ. ab illis, qui regere ambiunt, tanta commotio & tempeſtas exſurgere ſæpe cernitur? Omnia certè iſta à vento ſuperbiæ, in hominum cerebro concluſo, procedere, exploratum eſt.

Vult Alexander orbis ſolus eſſe monarcha; & hic eſt ventus erumpens & ſuſcitans tot prælia. Non fert Cæſarque priorem, Pompejuſque parem; & ideo tanta commotio Romano redundans cruore. Superbia Saulis hoc mulierum canticum non

non potuit non ægrè tolerare : *Percussit Saul mille, & David decem millia.* 1 Reg. 18. 7. Aman indignatur gravissimè, quod Mardocheus Judæus nolit sibi genua flectere; hinc tot tempestates, tot procellæ, Esth. 3. 5.

Nonne superbia cum dominandi libidine conjuncta, Athaliam eo deduxit profundæ cœcitatis, ut omne semen Regium extingueret? 4 Reg. 11. nonne Abimelech induxit, ut 70. fratres interimeret crudelissimè, super lapide uno? Jud. 9. Annon ambitio Absolonem ita excœcavit, ut parenti suo optimo necem quaqua via moliretur? 1. Reg. 15. annon Romulum & Remum, ut fraterno sanguine primos civitatis suæ muros defœdarent? T. Liv. lib. 1. hist. Rom. dec. 1. Annon Herodem ita dementavit ambitio, ut Christum filium Dei in ortu, nefando quodam deicidio interimere attentaret, & ad id cœdem illam promiscuam infantium, adhuc lactentium decerneret? Math. 2. 13.

Denique, quæ non in orbe nefanda flagitia, neces, cruorisque humani profusiones, in cælum usque vocem extollentes, ex hac ambitione & dominandi libidine quotidie cernimus?

CAPUT

CAPUT VII.

Multi ex vili prosapia ad Regnum pervenerunt.

QUamvis igitur nobiles hujus seculi, soleant passim de suis stemmatibus & nobilitate gloriari: attamen exigui ea momenti est, si ignavis, vel sordidis ipsorum moribus coinquinetur. Sicut enim nulli nocet generatio vilis, quem nobiles commendant mores: sic nec illis prodest generatio clara, quam sua deturpant & obscurant ignavia.

Adde, nullum esse adeo nobilis familiæ, etiamsi princeps, qui si suos à bis mille annis repetat, inter eos non inventurus sit multos spurios, Rusticos, viles. Nam & ex vili prosapia multi mox ad Regnum pervenere. Vis horum exempla?

I. Saul ab asinis, David ab ovibus ad Regnum evehitur, & Saul postmodum reprobatur. II. Valentinianus I. Imp. patrem habuit funes torquentem. III. Agathocles Syracusanorum Rex patrem habuit figulum. IV. Tamberlanus ex

ex Bubulco factus est Rex Tartarorum. v. Tullius hostilius ex pastore factus est Rex Romanorum. vi. Maximianus ex opilione Imperator. vii. Justinus I. Imp. primò fuit subulcus, deinde bubulcus, postea faber lignarius, deinde miles, tandem Imperator.

viii. Othomannus ex Agrestibus parentibus ortus, primus Turcarum princeps fuit, cujus & modò posteri regnum obtinent. ix. Aurelianus & Diocletianus Imperatores, etiam ex vili genere orti sunt. x. Denique omnis nobilitas ignobile habuit principium, & qui in Avorum nobilitate gloriantur, non in sua, sed in aliena virtute gloriam collocant. Unde Iphicrates cuidam exprobranti ignobilitatem rectè respondit: *Meum genus à me incipit, tuum in te desinit.* Testis est Plutarch. in Apoph.

Sixtus V. Pontifex, cùm de nobilitate ageretur, per jocum solebat dicere, se ex illustrissima domo prognatum: quia licet vili esset è tugurio ortus, illam meritò domum dicebat illustrissimam, quæ rimas multas habens, undique solis radiis erat pervia. Certè multi ad Pontificatum, supremum Ecclesiæ apicem, evecti sunt ex vili familia; nec hoc obfuit nobilibus eorum moribus. Horũ aliquos recenseamus.

I. Ioan-

I. Joannes XXII. sutoris cujusdam fuit filius, doctrinâ interim spectatissimus. II. Sixtus IV. filius nautæ pauperis extitit. III. Nicolaus V. circumforanei pullos & ova vendentis. IV. Sixtus V. (ut jam diximus) filium pauperis rustici in tugurio habitantis se gloriabatur. V. Adrianus VI. Ultrajectinus, pauper Lovanii quondam studiosus fuit. Et sic plurimi alii.

CAPUT VIII.

Gloriantur nobiles bellicis victoriis; nonnunquam vanius.

GLoriantur & alii nonnunquam Equites nobiles, bellicis stratagematibus & victoriis; at vanè, & superbiæ murum erigunt. Sic Persarum Rex Sapor, devicto Valeriano Imp. equum, dum conscenderet, subsellii vice utebatur: ac eum instar canis sub mensa sua micas cadentes lingere cogebat; inaudita sanè superbia. lib. 4. Baron. tom. 11. Anno 1106. num. 99.

Similiter Adonibesec Rex, ut habetur Iud. 1. 6. habebat septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, sub mensa sua ciborum reliquias colligentes. Unde justè factum est, ut & ipse captus,

ptus, cæſis ſummitatibus manuum ac pedum, ab hoſtibus illuderetur.

Seſoſtris Ægyptiorum Rex, illuſtris admodum & felix, plurimas & maximas ſibi ſubjecit nationes. Atque, ex eo ſucceſſu, in protervam arrogantiam ſublatus, currum ſibi aureum, pellucidis pretioſiſque lapillis exornatum, fieri fecit. In quo conſidens, à quatuor ex devictis Regibus currum ſuum voluit trahi, jugo illis impoſito.

Hoc verò cùm fieret, celebri quodam feſtoque die, ex iſtis Regibus unus oculis converſis continuò retroſpiciebat, & ſubridens, rotæ volubilitatem intuebatur: Seſoſtris verò cùm eum, cujus rei gratia tam frequenter oculos in rotam conjiceret, percunctaretur; reſpondiſſe is fertur: *Cum ſtupore admiror, imò cum riſu, rotam inſtabili modo ferri, atque aliàs aliter volvi; & nunc quidem ſublimia demittentem, rurſus autem demiſſa ſublimantem conſpicio.* Seſoſtris porrò, ubi dictum id intellexit, ſtatuit, ne illi poſthac currum traherent, conſideravitque rotam, in cujus ſummitate ipſe agebat, ad infortunium ſimile devolvi poſſe: unde moderationem accepit ejus arrogantia, & inſolens gloriatio. Niceph. lib. 8. hiſt. c. 29.

Certè ex victoriis certam gloriationem planè vanam eſſe & ſtolidam, rectè oſtendit

dit Archidamus Rex Lacedæmonum. Cum enim Philippus Rex Macedo, post partam de hoste victoriam, Epistolam insolentem & amarulentam ad eum scripsisset, rescripsit ille: *Si metiaris umbram tuam, haud reperies illam majorem, quàm ante victoriam.* Sic graviter monuit, non esse viri prudentis ob tales successus prosperos intumescere, cum inde quis melior vel major non existat, nisi extrinseca quadam & umbratili ambitione, cum & omnia hæc variari possint fortunæ mutabilitate. Plut. in Lacon.

Hoc etiam rectè agnovit Carolus V. Imp. Cùm enim Franciscus Valesius, Galliæ Rex, ejus tunc captivus, parieti cubiculi inscripsisset; *Hodie mihi, cras tibi:* Id advertens Carolus, & captivi mentem haud ignorans, subscripsit: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Florim: Rem. & alii.

Non ergo glorientur nobiles in avis, in proavis, non in stemmatibus aut insigniis, non in vexillis aut victoriis. Non ædificent turrim superbiæ, in caput suum tandem occasuram; sed meminerint se ejusdem esse sortis cum hominibus omnibus, se è humo prognatos, & in humum redituros, quando nihil proderunt stemmata, nihil arma victricia,

nihil

nihil fortitudo bellica; quia hæc deſerentur, & ipſi à vermibus obſeſſi, devincentur, prædaque erunt ac eſca.

Ponant & illi ſibi ante oculos Pompejum, poſt tot bellica geſta à vili ſpeculatore capite truncatum, & in ſuo jacentem tabido cruore. Proponant & Julium Cæſarem, poſt tot victorias in medio ſenatûs tot confoſſum vulneribus. Et alios.

CAPUT IX.

Miſera Aulicorum conditio.

CUriales ſeu Aulicos vocamus, qui Regum vel Principum Aulas ſectantur, & eiſdem ſervire, ſeu placere omnibus modis affectant, & pro magno ducunt, ſperantes ſe ab illis promovendos ad honorabilia miniſteria ſeu officia: parum attendentes, quòd ſæpe & ut plurimùm ſpe ſua fruſtrentur, poſtquam multo tempore ſe ſuaque Principum ſervitio impenderunt: unde ſapienter quidam dixerunt; quod qui admodum ſtudent innoteſcere, & chari eſſe Principibus, animam ſuam oderint potius: nam vilis eſt ipſis vera virtus, quies & ſecuritas, multiſque obnoxii fiunt periculis: ut plurima eorum, qui Principibus chari fuerunt, exempla probant:

bant: ferè enim postquam diu adulati fuerint iis, tandem contemnuntur; vel si virtutem sectentur, Principibus odiosi vel suspecti fiunt, aut multorum invidiam incurrunt. Unde non malè quidam censebat, melius esse, Regibus incognitum esse, quàm amatum.

Longè sanè tutius & salubrius est, Regis Regum amicitiam quærere, cui si quis placeat, etiamsi lateat, feliciter vixit. Regibus placere studentibus si fortuna affulgeat, animi tumore & superbiâ sæpe inflantur, fiuntque contemtores aliorum, & Principum voluntati instabili innituntur, baculo verò arundineo; & posito quòd perseveret amicitia, modicum mellis multum fellis, & inquietudinis referunt, & libertate se privant & vitæ securitate. Et quia mobilis est Principum animus, ac tanto mobilior, quanto à pluribus concutitur, periculo se subjiciunt, odio potentis de honore vel vita dejiciendi. Plerumque etiam non qui plus habent sapientiæ aut virtutis, sed qui plus adulantur, illi gratiæ & favori proximi sunt. Et vix tamen quod quæsiverunt, adipiscuntur, nimirum nobilitatem, officia, dignitates, divitias.

Non considerant tales, quòd negotia Magnatum gerere, periculosum sit, placuisse ipsis, dura servitus, displicuisse discri-

men, paratumque pro levi offensione supplicium: multis quoque displiceat necesse est, qui Regum negotia tractat, ac tandem ipsi etiam Deo, si quis favore Principum emolumentum quærat, ingentia multorum damna vel procurare, vel dissimulare debet, mordaces linguas in se excitat, & ultra vires se curis gravat: nam implere debet, quod sibi injungitur à Principe, etiamsi sæpe in aliorum perniciem id tendat.

Honorabilis quidem Regis procuratio, sed difficilis ratio, & sub judice ventilanda, coram quo accusatores habiturus sis multos, excusatores paucos vel nullos. Implebis domum tuam vento vanæ gloriæ, famâ falsarum divitiarum, alienas autem vel spoliabis, vel veris divitiis implebis. Et tamen cernimus tantas curas & pericula magno emi, multis precibus, obsequiis & laboribus comparari. De aula sancta, cap. seq.

CAPUT X.

Miseriæ comitantes etiam Regiam Dignitatem.

NE tamen etiam miserias Regum & aliorum principum præteriisse videamur hîc; sciant Reges & principes alii, in-

inquit Ill. Philipp. cit. ſupr. ſe non tam ad gloriam, & honoris faſtigium evectos, quam ad curas & ſollicitudines, & honorabilem quandam ſervitutem; non ad quietem, ſed ad labores; non ad libertatem, ſed ad ſplendidum quendam carcerem: quæ enim major captivitas, quàm prodire vix poſſe, quin circumcingaris populi multitudine, nec ſine timore progredi; ſed armatum ac munitum debere prodire in publicum? Quot Reges vidimus, vel legibus ex alto faſtigio prolapſos, vel hoſtium manibus, vel etiam Domeſticorum cæſos? vel in captivitatem abductos, in exilium pulſos? Paucos habent Reges amicos fideles, vix conjugem, vix filios, vix fratres. Adulatores ipſis ſunt plurimi; rari, qui verum dicant.

Plurima etiam facere debet Princeps, quibus nedum amorem, ſed odium & invidiam aliorum ſibi conciliat. Exigendæ ſunt à ſubditis pecuniæ, puniendi facinoroſi, prohibédæ injuriæ, confiſcanda bona multorum, cogendi aliquando ſubditi ad bella prodire, agros, domoſque relinquere. Rari ſunt, aut nulli, quibus ſecurè fidere poſſit, nec cibos niſi prægustatos audet manducare. Timent principes vicinos Reges, ne ab illis invadantur; timent fortes, ne aliquid audeant gratia libertatis; timent prudentes, ne quid conſilii adverſus ipſos machinen-

tur; timent justos, ne dedignentur ab ipsis gubernari; timent divites & potentes, ne aliquid contra ipsos moliantur; timent celebritates hominum; timent solitudinem non custoditam; timent ipsos custodes, quos nec inermes habere volunt, nec armatis fidunt. Timent ipsos, quos vel maximè promoverunt, ne insolescant, & benefactoris jugum excutiant.

Nec ab hoc misero statu sciunt se principes pro placito expedire, vel sponte cedere principatu, vel miseriam ipsam relinquere. Si malè subditos rexerint, si iniquè multa extorserint, quomodo tot damna reparabunt, quot intulerunt; aut tantum restituent, quantum injustè extorserunt? & tandem *transit memoria eorum cum sonitu*; eisq; succedunt sæpe indigni, ignoti, extranei, aut etiam hostes, aut Regnorum & principatuum invasores. Unicum restat solatium, si cum Deo amicitiam tenuerint, & in timore Domini ambulaverint. Præclaras instructiones ad Reges, invenies apud Bar. tom. 9. Ao. Christi 829. n. 26. & 27. & præsertim tom. 10. A_0. 850. n. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. Ex Lup. ferrar. ad Car. Reg. Epist. 64. quæ omnino legenda; item alia eodem tom. Ao. 858. n. 20. usque ad 46. non negligendus doctissimus ac pientissimus Tractatus S. Thom. de Regim. princip.

CA-

CAPUT XI.

Vitia Aulicorum ordinaria. Aula sancta.

PRimùm enim ferè ambitio hominem ad ista inania sectanda impellit, de quâ cap. seq. & certum est, quòd qui favoris & gratiæ cupidus est, facillime ad res injustas impellitur, & locus aulæ lubricus est. II. Curialibus familiarissima est adulatio, dolus, fraus, hypocrisis, mendacium: cum multa promittunt aliis, & pauca servant, etiam vilioribus se submittere debent, & laudare peccatores, præsertim Principem, cujus gratiam quærunt, in desideriis suis.

III. Non rarò munera recipiunt, quæ excæcant etiam corda sapientum, & subvertunt corda justorum: Et vix ea subterfugere possunt: quin imò curiales, ut canes famelici, vix nisi hoc oblato cibo mansuescunt, aut aliquem audire, nedum exaudire volunt: vendunt verba sua, aliquando etiam pretium accipiunt, ut faciant: sive te torvo vel læto gestu audiant, vel aspiciant, cogeris miser dare munera, vel ut augeas favoris affectum, vel tollas amoris defectum. *Si nihil attuleris, ibis Homere foras.*

IV. Fingunt Palatini se multos amare,

cum plerosque oderint, ut rectè Seneca dixerit, *Errare illum, qui in Aula sincerum quærit animum.* v. ut Principi placeat Aulicus, astutus esse debet ad inveniendas rationes exspoliandi pauperes novis tributis, exactionibus, oneribus. Denique Palatini vel curiales luxui, comessationibus, ebrietatibus, libidinibus, ut plurimum vacant, mollibus vestiuntur, delitias sectantur, noctem vertunt in diem, laudant quod non debent, operantur quod non licet, loquuntur quod non decet. Sedent *cum divitibus in occultis, ut interficiant innocentem, dextera eorum repleta est muneribus, insidiantur ut rapiant pauperem, pauperem, cui non erat adjutor.*

Verùm hæc de corruptis Principum aulis dicta intelligi debent, de quibus dicitur, *Exeat aula, qui vult esse pius*: invenias enim aulas piorum principum, quæ sunt virtutum & bonorum morum scholæ, atque adeo veræ pietatis domicilia. Has qui sincero animo frequentant, & in illis modestè & piè conversantur, ac veros honores, qui sunt virtutum præmia, sectantur, nec in externa fama, sed in pura conscientia honorem collocant, hi authoritatem cum laude vera accipiunt, patroni pauperum, pupillorum & viduarum defensores, veri Principum amici & consiliarii evadunt: fiuntque à supradictis vitiis omnino alieni & ex-

& extranei; ſtabilemque honorem tandem apud Principes, & maximè apud Deum (quem omnibus præferunt) conſequuntur, per humilitatem, ſinceritatem ac veritatem, juſtitiam, conſtantiam, pietatem & caſtitatem. Quin etiam moribus civiliores ſunt, & à ſordibus, barbarie, impudentia alieniores, quam vulgus hominum. Ita S. Vultrannus in Clerum aulicum aſſumtus Lotharii ac Theodorici Regum inſigni pietate converſationem inſtituit. Ita S. Gangulphus eques & Burgundiæ comes, in aula Pipini II. Ducis Brabantiæ & majoris domus Franciæ. Ita plurimi alii, in Aulis principum, Auſtriacorum præcipuè, de quibus ſupra.

CAPUT XII.

De Ambitione Aulicorum.

AMbitio, eſt honoris vel dignitatis, ſeu præeminentiæ immoderata cupiditas. Ab hac ſæpe deterret Scriptura divina, tanquam grandium malorum infelici origine. Hæc autem vel quàm maximè regnat in aulis & curiis Principum ſecularium, ubi certatim ad ſeculi honores & præfecturas contenditur. Ambitionis enim & invidentiæ quædam ſunt Gymnaſia, magnatum aulæ & palatia.

Sed quam variis ibidem malis, variiſque

periculis ambitio sit obnoxia; quàmq; instabilitati conjuncta, dilucidè docent omniũ historiarum volumina. Cernere est ibi fortunam cum ambitiosis istis primùm prosperè ludentem, ac postmodum asperè illudentem; hos, quos evehit, primùm quidem blandè excipientem & lenientem, mox verò cruentè omnia laniantem, ut verè possint illud *Job* 30. 22. usurpare: *Elevasti me, & quasi super ventum ponens, elisisti me validè.*

Certè, quoties ambitionis malum aliquos suo tramite duxisse cernitur, toties eos miserè cernitur seduxisse: nã qui hac duce gradiuntur, dum per fumosam ejus caliginem ascendere se autumant, subitò præcipiti gressu in confusionis voraginẽ, velut exoculati proruunt: *Ascendunt usq; ad cœlos, descendunt usq; ad abyssos, & moti sicut ebrius*. Ps. 106.

Percurre regna, percurre aulas Principum, intuere quæ ibi geruntur, oculo mentis perspicaci; & agnosces Theatra esse, ubi fortuna, spectante orbe, circa ambitiosos ludum suum exercet, sed in eorum ludibrium. Ibi inconstantiæ suæ absolutissima expromit, & exponit exempla. Ibi rotam suam volubilem ascensu & descensu sanguineo purpuratam erigit, & ostentat. Hinc Poëta Ovid. lib. trist.

Vive tibi, quantumque potes prælustria vita:
Sævum prælustri fulmen ab Arce venit.

CAPUT

CAPUT XIII.

Fortunæ instabilitas, & casus aulici, exemplis illustrati.

SEd de hac volubili ambitiosorum fortuna, aliqua lubet subjicere exempla, variis in Aulis optimatum nobis proposita; quæ & his proponi possint, qui nimium suæ fidunt fortunæ, ambitionis fallaci aura, in aula decepti. Nam pauci illud considerant: *Fortuna vitrea est, dum splendet, frangitur.* Aperiant oculos hîc, & videant.

1. Aman in Aula Assueri primus, interrogante Rege, quo prosequi honore conveniret, quem Rex decrevisset honorare, hunc sibi à Rege decernendum honorem tumida ambitione autumans, respondit: Induendnm fore talem Regali veste, & equo impositum Regio, cum diademate Regali in vertice circumducendũ per urbem, à primo de Principibus Regiis, inclamante: *Hoc honore condignus est, quemcunque Rex voluerit honorare.* Esth. 6. At citò jussus est id Mardachæo Judæo, quem hostili odio insectabatur, præstare, eumque per urbem, sic ornatu Regio amictum, circumducere: & paulo post, qui Gentem Hebræam penitus internecione delere

ambitione seductus moliebatur, erectus est in patibulum, corvorum ipse pabulum. Sic nimirum in fatali aliquo ligno pendet Aman, ambitiosæ fortunæ ludibrium, Aulicis, & omnibus ambitiosis exemplum.

II. Magnus fuit in Aula Davidis Regis Joab, exercitui imperans; 2 *Reg.* 3. Qui & ausus fuit duos principes, Abner & Amasam, in dolo perimere, lugente quidem Rege, crimen tamen ejus differente punire. At tandem justo Davidis decreto, jussu Salomonis infeliciter interfectus fuit juxta altare. Sic ambitiosa ejus audacia, & crudelitas, condignam accepit vindictam; sortita est ambitio infelicem exitum, per infelix ejus exitium.

III. In aula Tiberii Cæsaris, potentia & honoribus mirè effulsit Sejanus, cui statuam æneam populus erexit, cujus nutu omnia regebantur, cujus natalis dies celebratus, qui & Imperatoris in consulatu collega factus est. Testis est Dio Cass. lib. 58. Hist. Rom. Sed quid tandem? Ejus ambitio cùm ad supremum apicem pertigisset honoris, citò etiam ad extremam infelicitatis sortem revolvi visa est. Nam paulò post publico edicto, cum totâ perimitur progenie, & ipse unco spectandus ducitur; quique eum prius venerabundi spectabant, jam ejus exitio gaudent,

dent, & currunt præcipites, pedibusque eum proculcant, clamantes:

Dum jacet in Ripa, calcemus Cæsaris hostem.

IV. In Aula Arcadii imperatoris rerum summam obtinuit Ruffinus, cum eo imperium in oriente administrans. Hic suo non contentus loco, dignitatem imperialem sibi arrogare conatus est, ambitione seductus. Verùm eadem die, quâ purpureo paludamento inaugurandus erat, ferro necatus ab exercitu Romano, jacuit ad pedes Arcadii. Caput deinde ei resectum est, & lapide in os immisso hastæ infixum, inque sublimi loco expositum. Dexteram quoque ejus abscissam per urbem circa opificum officinas circumtulerunt, his utentes verbis: *Date stipem inexplebilis avaritiæ viro.* Et ridicula illa mendicitas auri multum satis collegit: lubenter enim contulerunt aurum, ad hoc jucundum spectaculum. Juven. Sat. 10. Niceph. lib. 13. c. 1.

V. Belisarius in aula Justiniani Imp. summus fuit præfectus, nemini sua ætate comparandus, militari fortitudine, & triumphis celebris, contra Persas, Vandalos, Gothos. Adeò ut Justinianus monetam cudi curarit argenteam, in ejusque uno latere imaginem suam imprimi, in altero imaginem Belisarii, cum hoc elogio, *Belisarius Decus Romanorum.* Hunc tamen tot &

tantis honoribus ornatum, propter affectati regni ſuſpicionem, ab æmulis ſuſcitatam, non tantum omnibus honoribus privavit: ſed etiam erutis oculis eò calamitatis induxit, ut è vili tuguriolo ſtipem ſibi emendicare coactus ſit, dicens: *Date obolum Beliſario, quem virtus extulit, invidia excæcavit,* Ita Procop. lib. 1. Bell. Perſ. Cedren. & alii.

CAPUT XIV.

Exempla noſtri ſeculi hac de re.

SEd cum hæc antiquiora cenſeri poſſint, noſtro etiam ſeculo non deſunt exempla, his non abſimilia, quæ ab ambitione mentem prudentem valeant abſtrahere & deterrere. Et hæc quidem in Europæ celebrioribus Regnis, quaſi in Theatris orbis, fuere oculis exhibita noſtris. Pauca memoremus.

I. In regno Angliæ, Thomas Volſæus, humili loco natus, ita Regis ſibi gratiam conciliavit, ut Lincolnienſis primùm Epiſcopus, deinde Vintonienſis, ſimulque Archiepiſcopus Eboracenſis, deniq; Regni totius Cancellarius, ac poſtremò Cardinalis, & Legatus à latere creatus fuerit. Acceſſit & gratia duorum Regum Carol. V. Imp. & Franciſci, Galliarum Regis, qui certatim hunc

hunc sibi devinciebant muneribus; ita ut Carolus sæpe amanter ad eum scriberet, & se ejus filium & cognatum subscriberet.

Verùm cùm summi Pontificatûs eum ambitio invasisset, se per Franciscum Regem ad illum, viam securam sternere posse autumans, primus suggessit funestum illud Angliæ consilium Henrico Regi, ut divortium iniret, cum Catharina Caroli matertera. Et quidem consilium istud eo animo dederat, ut Rex nuptias novas cum Gallica prosapia contraheret, sicque arctiùs sibi Regem devinciret. Cùm ergo in id omnem conatum exercuisset, spe frustratus est: nam Henricus Catharinâ relictâ alteram duxit, simulque regnum à fide Catholica seduxit.

At verò Volsæus, non immunis à flagitio, consilii pessimi auctor, illud in caput suum retorqueri, non ita multò post persensit. Nam gratiâ Regis excidit, cancellario munere privatus est. Episcopatu quoque, & palatio magnificentissimo, quod extruxerat, spoliatus.

Denique in magna nobilium corona, comprehensus, in Londinensem arcem trahitur, sed in ipso itinere his oppressus ærumnis, animam exhalavit. Dicitur verò, cùm satellites ei dixissent, se ob Regiam majestatem læsam vinculis his tradi, respon-

respondiſſe; *Utinam non magis Divinæ Majeſtatis læſæ reus forem! at dum Regi nimium ſervio, & Dei, & Regis gratiam perdo.* Sander. lib. 1. Schiſm. Angl. Hic nimirum eſt funeſtus finis ambitionis, hic funis aureus in jugulum eorum redundans, tandemque eos præfocans incautos.

II. In Regno Galliæ, Carolus de Biron, Mareſcallus, per gradus proſperæ fortunæ ad apicem ſupremæ felicitatis conſcenderat: primùm Capitaneus, deinde Admiralis, poſtea Mareſcallus Regni, denique Regis vices gerens. At nec hoc loco contentus, Regnum dum vult ambire, cum Regibus exteris conſilia miſcens, deprehenſus eſt; & comprehenſus à Regiis militibus, carceri eſt mancipatus. Atque ut ambitio ejus finem tandem acciperet, & ſubitò decreſceret is, qui nimium intumuerat, in publico theatro capite eſt mulctatus.

Dignum verò eſt memoratu, quod de eo ferunt. Nimirum jam à juventute ambitione ductum, mutata veſte adiiſſe quendam aſtrologum, ut ſortem fortunamque ſuam ex aſtris exploraret. Oſtendit ergo ei horoſcopum ſuum, & nativitatem per alterum delineatam, diſſimulans ſuam eſſe, aſſerenſque eſſe cujuſdam nobilis Domini, ſe autem ejus eſſe famulum. Aſtrologus ille reſpondit, cujuſcunque eſſet horoſcopus

aut

aut nativitas, esse alicujus prænobilis, qui arte & fortitudine militari ad Regiam dignitatem posset conscendere, sed quoddam *caput Algol* impedimento fore. Quærit ipse, quid sit illud *caput Algol?* Respondet Astronomus, esse capitis periculum illi imminens. Et hoc quidem responsum sæpius ipsi in cogitationem postmodum veniebat, non sine sollicitudine, neque tamen eum à dicta potuit deterrere ambitione.

Fertur & alterum magiæ deditum accessisse, illumque prædixisse, ut præcaveret sibi ab ictu Burgundi retrorsum, quem si posset evitare, ad Regnum facilè pertingeret. Hujus memor responsi, cùm carcere detineretur, inquisivit ab amico visitante, num executor Parisiensis Burgundus foret? cumque responderet ille; Burgundum esse: *Ergo*, inquit, *actum est de vita mea.* Sic nec magicis responsis, nec conscientiæ interioris stimulo, ab ambitionis periculosissimæ libidine abstrahi potuit, sed miserè periit, exemplum aliis daturus. Unde exivit hic versus apud Gallos, annum, diemq; necis ejus designans Gallico idiomate:

L'an mil cent deux en Juillet,
L'on fit grand Biron de faire.
Tant pour le mal qu'il avoit fait,
Que pour celuy qu'il vouloit faire.

III. Nota

III. Nota est in eodem regno historia Tragica, Marchionis d'Ancre, qui summo apud Regem loco fuit, cuncta negotia Regia suo administrans consilio & potentia. Multi porrò exinde tumultus orti, multæ conspirationes in nobilitate Gallica; adeò ut proverbium circumferretur: *Nostre navir en è s'asseuxera, si l'on ne je he l'Ancre en l'eau.* Quasi dicas, non erit tuta navis, nisi anchora in aquam jaciatur. Alludebant autem ad nomen *d'Ancre*, quod Gallis Anchoram designat; hanc aquis submergendam assetebant, ut Regnum fluctibus variis agitatum, securitatem acciperet.

Quid tandem? dum mandato Regis ad fores palatii comprehensus, vult reluctari, ibidem perimitur; ac deinde cadaver à furente plebe per plateas cum ignominia trahitur, fœdèque pertractatur, & discinditur odio incredibili. Uxor quoque ipsius publico decreto igni postmodum traditur. Sic qui Galliæ Regnum tum cum ambitione administrârat, quasi in prora sedens, clavumque tenens, postea disjectus est, & confractus non sine gravissima confusione. Hinc Chronographicus ille versus necis ejus in vulgus ivit:

AnChora ConfraCta est, tota ergo pace frVatVr FranCia, nVnc Ipso Rege Regente rateM.

IV. In-

IV. In Regno Hispaniæ, similem passus est Aulicæ fortunæ varietatem, Alvarus de Luna, sub Joanne II. Legionis & Castellæ Rege, cui intimus erat à consiliis; ita ut primò comitem, deinde Conestabilem, demum magistrum S. Jacobi lilum fecerit, non sine admiratione multorum: quia has dignitates in unius personam concurrisse, nunquam auditum fuerat. Tantoque affectu in eum Rex ferebatur, ut omnia ad ejus voluntatem facere crederetur.

At tandem amor in odium incredibile est commutatus; unde Regis decreto apud Burgos captus, criminibus quibusdam contra eum propositis, capite mulctatus est, caputque ejus in publico loco in ligno sublimi fixum, omnibus fuit miserabile spectaculum; ut discant homines non nimium prosperæ fortunæ fidere, aut Regum favori, non nimium laxare habenas propriæ ambitioni aut cupiditati. Alph. A. Carth. Reg. Hisp. Anaceph. c. 92. Ann. 1507. Rod. Sanct. 4. p. Hist. c. 28.

V. In eodem Regno recens adhuc est Historia Roderici Calderonis, viri in aula potentis, cui anno 1621. 21. Sept. Madriti, sede in publico theatro constituta, caput abscissum est: ita ut ejus exemplum, & cruor

& cruor recens effusus, satis moneat ambitiosos satisque edoceat, quomodo à summa prosperitate ad summam adversitatem fortunæ rota frequenter ac velociter humanos successus revolvat.

VI. Barneveltii Batavi, statuum totius Hollandiæ Archiconsiliarii, cujus consilia instar Achitophelis in Israël æstimabantur, haud ignotus est occasus; rota fortunæ sese in ejus exitium volvente, post tot tantaque obsequia Reipublicæ Hollandiæ exhibita: sic præclarè dixit Polyb. lib. 5. *Sicut calculi modò arei sunt, modò aurei: sic aulici ad nutum Principum, nunc beati sunt, nunc miseri.*

Scripsit Æneas Sylvius, postea creatus Pontifex Pius II. ad Aulicum quendam, librum de miseria curialium, ubi ostendit, quanta in Aulis sit vanitas, invidia, ambitio; quot servitutes, sollicitudines, metus; quanta inconstantia, mutabilitas, casus, ruina, pericula animi & corporis.

Hunc verò tandem Epilogum addit: *Quæ cum ita sint, relinquamus hunc pelagum inquietum, nosque in aliam vitam redigamus. Nam si pacem cupimus, si nobis vivere volumus, si salutem animæ quærimus, fugienda sunt nobis atria Regum & Aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis amor Regnat; sed avaritia, libido, crudelitas, ambitio. Quibus vitiis qui deditus sit, non poterit se tueri,* quin

quin malus convincatur & stultus apud sapientes: Vale Vir, nisi ex curialibus unus esses, meo judicio prudens. Anno 1441.

Sapienter ergo Horatius, ut ambitioni multorum insatiabili frænum ponat, sic concludit, & nos cum illo:

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordidus tecti, caret invidenda
Sobrius Aula.

Homini mortali ad immortalitatem adspiranti, Monile sacrum.

Misericordia & veritas obviaverunt sibi. Ps. 84.

CUm tractatum hunc circa finem anni M. DC. LXI. absolverim, anno autem sese revolvente, moris sit Xenium repræsentare: en Monile, benigne lector, quod pectori appendas, nobilitatis tuæ Symbolum. Monile voco, quòd mentem moneat, ut stemmata hic insculpta consideret. Rationale vocare possem, quòd hominis rationem erudiat, ut rectum de se judicium ferat. Olim sacerdos in rationali insculptum gerebat *doctrina & veritas*: ego monili huic tuo pro Symbolo inscribo:

Miseria & Vanitas.

An id miraris? Appende te in æqua veritatis

tatis lance, in Sanctuarii pondere, & mirari desines. Nobilitas tua non alia est, quàm agnata calamitati vanitas, & mobilitas. Omnia in te, & circa te mutationi sunt obnoxia. Vita, animus, corpus, fortuna. Inspice singula, & dum interrogo, animum reflecte.

Quid Vita tua? *Rota volubilis.*

Volvitur per lustra, annos, menses, & citato gressu ad metam properat, nec sistere cursum potest, nec revocare gradum. Elabitur vita etiam invita. Magna pars effluit nobis malè agentibus, maxima nihil agentibus, penè tota aliud agentibus. Melior portio prætervolat, deterior succedit, nec prospicimus. Ex amphora primò effluit quod purum est; turbidum subsistit: Sic in ætate nostra, quod est optimum, primum est, reliquum fæce mixtum. Vide ne ætas florida præterfluat inanis & vacua.

Quid Animus tuus? *Arundo mobilis.*

Flectitur huc illuc, ad omnem auram volubilis. Quantas cogitationum volubilium patitur alternationes! Quàm varias affectuum diffidentium alterationes! Modò serenus prodit cum jubilo, modò turbidus cum nubilo: modò plangit, mox plaudit: modò frustra sibi spondet, mox despon-

ſpondet: quod citò probat, mox improbat: Annon ergo arundo mobilior aura? Pugnant vota noſtra cum votis, conſilia diſceptant cum conſiliis, optamus contra id quod optavimus.

Quid corporis Moles? *Mola verſatilis.*

Mola volvitur, & volvendo teritur: corpus noſtrum, pulveris maſſa, inquieto motu rotatur, ſed paulatim teritur, donec pulveri reddatur. Diverſa mutatione quaſi circuitu, molam hanc trahunt æſtas & hyems, ver & autumnus, variaſque ei affricant qualitates. Hæc modò vigorem habet, & florida eſt, mox languorem patitur, ægreſcit, & olida eſt. Domus eſt lutea, terrenum habens fundamentum, ſenſim ſine ſenſu collabeſcens. Noli eâ magis niti, quàm *pariete inclinato, aut maceriâ depulſâ.*

Quid favor Fortunæ? *Ludus inconſtantiæ.*

Varia & inſtabilis fortuna eſt: nihil in ea tam conſtans, quàm inconſtantia. Si ſtabilem eam velis, tolle globum volubilem, cui inſidet, tolle rotam, qua omnia ſurſum deorſum alternata verſat ſerie. Blanditur multis & ludit, ſed frequentius illudit. Tangit eos fugitiva, & angit; niſi quis compoſitæ mentis

ſupra

ſupra aſſurgat, & eam ſive aſperam, ſive proſperam deſpiciat. Intuens igitur quæ in te, quæ circa te, agnoſce titulos avitæ nobilitatis tuæ, quos ſapiens quidam ſic depinxit: *Homo eſt imbecillitatis exemplum, corruptionis ſpeculum, inconſtantiæ imago, fortunæ ludus, invidiæ & calamitatis trutina, temporis ſpolium.* Sed ſingula poſtrema hac quæſtione complector:

Quid ipſe homo? *Univerſa vanitas.*

Sic aſſerit vates: *Univerſa vanitas omnis homo vivens.* Quare univerſa vanitas? Microcoſmos eſt, ſive parvus mundus, & ita eſt epitome vanitatis, *vanitati enim ſubjecta eſt omnis creatura*, quæ in homine cum nativo ſibi defectu eſt abbreviata. Inquiris igitur, quid homo? Exemplar abbreviatum eſt miſeriæ & vanitatis. Perluſtra elementa & orbis partes, & intelliges quæ dico: Terra variæ eſt alterationi obnoxia, frigore ſtringitur, calore ſolvitur: Sic eſt corpus hominis. Mare multis agitatur fluctibus, deorſum procurrit ſeſe volventibus undis: Sic eſt vita hominis. Aër modò tenebris conſpergitur, mox luce fruitur: Sic eſt & animus hominis. Ignis modò fulgidus, modò fumo turbidus: Sic cupiditas noſtra exæſtuans eſt, ſed caligine circumfuſa. Vides igitur quomodo homo

univerſa

universa vanitas, & quàm rectè nobilitatis Symbolum ei inscribo:

Miseria & Vanitas.

Bina hæc sunt stemmata, quibus gloriari potest. Bina hæc elementa sunt, quibus constat, vel potius quibus inconstans est. Hæ sodales & affines vitæ nostræ, quæ ut comites lateri se jungunt, aut ut Domini præeunt, aut ut pedissequæ subsequuntur. Nec deserunt, nisi vita cum illis deseratur, adhuc funeri assistunt parentantes.

Hæ sunt Rotæ, bigæ, & currus versatilis, quem vehit infelix filius Adæ, *grave enim jugum super filios Adæ*, ut miseriæ & vanitatis triumphalem currum vincti trahant: *à die exitus ventris, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.* Sub hoc jugo omnes gemunt, *ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo.* Sed væ illis, qui non solum trahunt jugum & currum miseriæ, sed cum illo, & in illo trahunt *iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Ab illo væ tibi prospice. Quomodo prospicies? Monile hoc inspice, & à te in Deum ascendens, in divina stemmata animum converte. Quænam illa?

Misericordia & Veritas.

Si miseria & vanitas in terreno solo resident,

ſident, Miſericordia & Veritas in cœleſti ſolio præſident. Hæc ſunt Divini numinis inſignia, quibus ejus gloria nobis innoteſcit. Hæ ſunt gemellæ Altiſſimi filiæ, quæ vultu ſereno manum porrigunt, ut eruatur homo ab humo, *infixus in limo profundi.* Uterinæ ſorores ſunt, fœderatæ ut ferant mortalibus opem: è cœlo prodeuntes *obviaverunt ſibi, ac oſculatæ ſunt,* inito pacto, ut Miſericordia miſeriæ, Veritas ſuccurreret vanitati. Illarum cura eſt, ut exterſo vultus ſudore, illuc reducant hominem, unde traxit imaginem. Amplectere manum earum protenſam, ut te deducant per tramitem, in quo nihil fœdum, nihil lubricum, nihil devium. Deſere vanitatem, quæ mater eſt iniquitatis, amplectere Veritatem, quæ mater eſt æternitatis. Tranſeunt omnia, tranſit vanitas, tranſit iniquitas: *Iniquum eſt vinum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui filii hominum, & opera eorum, at in iniquitate peribunt. At Veritas manet, & invaleſcit, & vivit in æternum.* Hoc igitur Monile pectori tuo appende, ut ad illam adſpires, & ſuſpires, quæ perennat, Miſericordiam & Veritatem, & eruaris à miſeria & vanitate. Hæc tibi toto animo, corde, calamo exopto & voveo. AMEN.

FINIS.